(4,1,2

TOMI QUARTI
TRACTATUS
QUINTUS
DE
SACRAMENTO POENITENTIÆ.

INDEX

Titulorum Tractatûs quinti Tomi quarti Theologiæ universalis de Sacramento Pœnitentiæ.

Prœmium. - - - Num. 1.

Cap. I. De existentia, necessitate, & materia Sacramenti Pœnitentiæ. - - - 9.

§. I. *De existentia Sacramenti Pœnitentiæ, seu an Pœnitentia sit verum novæ Legis Sacramentum.* 10.

§. II. *An Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum sit necessarium, & qua necessitate.* - 39.

§. III. *Quænam sit materia tùm remota, tùm proxima Sacramenti Pœnitentiæ.* - - 46.

Cap. II. De prima Sacramenti Pœnitentiæ parte, seu de Contritione. - - 68.

§. I. *Quid sit Contritio generatim sumpta.* - - - 70.

§. II. *Quæ sint proprietates Contritionis generatim sumptæ.* - 78.

§. III. *An, & quomodò Contritio sit necessaria, & quando præcipuè obliget.* - - - - - 86.

§. IV. *Quotuplex sit Contritio in genere sumpta.* - - 94.

§. V. *An Contritio perfecta non tantùm in casu necessitatis, sed ordinariè, etiam extra Sacramentum, hominem Deo reconciliet.* - 97.

§. VI. *An Contritio perfecta sit dispositio necessariò prærequisita ad percipiendum cum fructu Sacramentum Pœnitentiæ.* - - 110.

§. VII. *An Attritio ex metu gehennæ concepta sit bona.* - - 113.

§. VIII. *An, & qualis requiratur Dei amor in Attritione, ut sit dispositio sufficiens ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ impetrandum.* - - - - 130.

Cap. III. De Confessione, quæ est secunda Pœnitentiæ pars. - - - - 156.

§. I. *An Confessio omnium peccatorum mortalium sit præcepti divini.* - - - 159.

§. II. *An Sacramentalis Confessio peccatorum essentialiter sit publica, vel secreta.* - - 176.

§. III. *Quando præceptum divinum Confessionis obliget.* - - 184.

§. IV. *An Confessio Sacramentalis sit etiam præcepti Ecclesiastici, & quando obliget.* - - - 188.

§. V. *Quænam sint veræ Confessionis conditiones.* - - 193.

§. VI. *An Confessio per litteras Sacerdoti absenti facta valeat; vel potiùs an ante Decreta Summorum Pontificum Clementis VIII.* &

& Pauli V. hujusmodi Confessio per litteras Sacerdoti absenti facta valuerit. - - - - 210.

§. VII. *Quænam ad integritatem Confessionis requirantur.* - 215.

§. VIII. *De Confessione invalida repetenda.* - - 240.

Cap. IV. De Satisfactione, quæ est tertia Pœnitentiæ pars. 246.

§. I. *De necessitate aut existentia Satisfactionis.* - - 249.

§. II. *De materia, quantitate & qualitate, Ministro, Subjecto, Fructu, & conditionibus Satisfactionis.* - - - 269.

§. III. *An Satisfactio præcedere debeat absolutionem.* - - 276.

§. IV. *De Disciplina veteris Ecclesiæ circa Pœnitentiam, seu de pœnitentia publica.* - - 285.

Cap. V. De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, seu de Absolutione. - - - - - 290.

§. I. *An Absolutio necessariò constet verbis, & quibus, an deprecativis, an indicativis.* - - 291.

§. II. *An & quando absolutio Sacramentalis peccatoribus sanis eam petentibus sit deneganda.* 306.

§. III. *Utrum moribundis pœnitentibus absolutionem petentibus unquam denegata fuerit, aut deneganda sit Sacramentalis à peccatis absolutio.* - - 315.

Cap. VI. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. - - - - 323.

§. I. *Penes quem resideat potestas remittendi vel retinendi peccata.* 324.

§. II. *An in Ministro præter Ordinis potestatem requiratur etiam jurisdictio.* - - 331.

§. III. *An præter Ordinis potestatem & jurisdictionem requiratur approbatio in Confessario tàm Regulari, quàm Sæculari non habente Beneficium curatum, ut validè absolvat.* - - 340.

§. IV. *De Casibus reservatis.* 356.

§. V. *De Sigillo Confessionis.* 376.

§. VI. *De Dotibus & Obligationibus Confessarii.* - - - 388.

Cap. VII. De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ. - 395.

§. I. *De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ circa peccata mortalia, & venialia.* - - 396.

§. II. *De bonorum operum, meritorum, & virtutum per Pœnitentiam reviviscentia.* - 397.

§. III. *De reditu peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.* 410.

Cap. VIII. De Indulgentiis. 419.

§. I. *De existentia Indulgentiarum.* 422.

§. II. *De fundamento Indulgentiarum, seu de Ecclesiæ thesauro.* 431.

§. III. *De natura & valore Indulgentiarum.* - - 447.

§. IV. *De iis, à quibus dari possunt Indulgentiæ.* - - - 452.

§. V. *De iis, quibus prodesse possunt Indulgentiæ.* - - 458.

§. VI. *De dispositionibus necessariis ad lucrandas Indulgentias.* 466.

§. VII. *De causis, propter quas dari possint Indulgentiæ.* - - 470.

§. VIII. *De variis Indulgentiarum speciebus.* - - - 479.

TOMI QUARTI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS QUINTUS
DE
SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1 ***Procemium.***

DEperditam primi parentis lapsu, quam in ortu suo acceperat, innocentiam, plenè reparat aquæ Baptismus, prout suprà, ubi de eo tractavimus, abundè ostendimus; quòd si quis pro humana fragilitate à justitia in Baptismate accepta postmodùm exciderit, tùm remedium paratissimum grandi huic malo in Pœnitentia invenit. *Multiplex misericordia Dei*, inquit S. Leo Epist. 62. aliàs 91. *ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ.* Longè ante ipsum Tertullianus, cùm nondùm ad Montanistas defecisset, dixerat lib. de Pœnit. cap. 8. *Hæc venena providens Deus, clausâ licèt ignoscentiæ viâ, & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc patere permisit. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Hanc appellat *secundam post naufragium tabulam*, *spem secundam.*

Et verò *Si*, inquit Concilium Tridentinum Seff. 14. de Pœnitentia cap. 1. *ea in regeneratis omnibus gratitudo esset erga Deum, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficiô & gratiâ, susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui se se posteà in peccati servitutem & dæmonis potestatem tradidissent; Sacramentum scilicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* 2

At adversarius noster Satanas tam copiosam tamque inopinatam gratiam

homini, nullam verò sibi concessam ægrè ferens, qua vi qua arte efficacissimum illud pœnitentiæ remedium hinc per armatos Hæreticos de medio tollere, indè per adulterinam & umbratilem Catholicorum pœnitentiam in venenum convertere ab initio usque adhuc aggressus est. Duo igitur maximè nobis modò sunt præstanda; vindicanda nimirùm Sacramenti Pœnitentiæ contra Hæreticorum perfidiam veritas, & asserenda Ecclesiæ disciplina circa usum hujusce Sacramenti contra fucatam plurium Catholicorum pœnitentiam, & laxiorem quorumdam Confessariorum morem, qui, ut cum S. Cypriano loquamur, dum peccatores blandimentis adulantibus palpant, delicta non comprimunt, sed nutriunt.

3 Porro Pœnitentiæ nomen triplici sensu in Scriptura sacra sumitur. 1mo. pro *pœna*, qua quis admissum scelus castigat: sic intelligi debet hæc Christi sententia Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Eodem modo accipitur hæc alia Luc. 11. ubi Christus de Ninivitis ait: *Pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ.* Nam gravissimis laboribus, quos Scriptura Jonæ 3. commemorat, in se ipsos animadverterunt Ninivitæ.

2do. Sumitur Pœnitentia pro *odio ac detestatione vitæ veteris.* *Pœnitentiam agite*, inquit S. Petrus Act. 2. *& baptizetur unusquisque vestrûm:* id est detestamini Deicidium, quod admisistis in Christi morte; *hunc enim definitô consiliô & præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.*

3tio. Sumitur pro *resipiscentia*, seu pro mutatione iniquæ vitæ veteris in aliam novam, quæ pia sit & sancta, *quæ secundum Deum tristitia est*, ait S. Paulus 2. Corinth. 7. *pœnitentiam in salutem stabilem operatur;* cujus quidem pœnitentiæ seu novæ vitæ hæc sunt argumenta: *Quoniam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.*

Triplicem hunc Pœnitentiæ sensum 4
Scriptura novi Testamenti græco Μετανοίας nomine expressit. Illum quoque complexus est Lactantius Instit. lib. 6. c. 24. ubi sic loquitur: *Is, quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoque Græci meliùs & significantiùs* Μετανοίας *dicunt, quàm nos possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque se ipsum dementiæ, & confirmat animum ad rectiùs vivendum; tùm illud ipsum maximè cavet, ne rursùs in eosdem laqueos inducatur.* Undè mirari licèt Novatorum nostrorum temeritatem, qui ausi sunt vocum significationes ab omnibus receptas mutare hac sola ducti ratione, quòd eorum errores explodant. Volunt enim Μετανοίαν seu *pœnitentiam* non dicere aliud quàm novæ vitæ inchoationem.

Quamvis vera & propriè dicta Pœnitentia vitæ veteris odium & novæ propositum includat, prout primùm indicavimus, nomen tamen suum præcipuè habet à pœna, qua quis, quia deliquit, in se ipsum animadvertit. *A punitione pœnitentia nomen accepit*, inquit Isidorus lib. 6. Orig. *quasi pœnitentia, dum ipse homo punit pœnitendo, quod malè admisit.* Verùm quamvis à punitione pœnitentia dicatur, nihilominùs punitio non est primum, quod in ea reperitur, enimverò ipsa sequitur ex facti odio, quod importat.

Præter triplicem illum sensum, quem 5
pœnitentiæ nomini Scriptura tribuit, & Patres adoptant; ipsa accipitur etiam pro vero ac propriè dicto novæ Legis Sacramento, quo peccata post Baptismum com-

commiſſa delentur, quodque aliis nominibus dicitur 1mo. *Manuum impoſitio*, quia olim in reconciliatione pœnitentium adhibebatur manûs Sacerdotalis impoſitio. *Si creditur continuò moriturus*, ait Concilium Carthaginenſe IV. Cap. 76. de pœnitente infirmo, qui obmutuerat, *reconcilietur per manûs impoſitionem*, & *infundatur ori ejus Euchariſtia.* Ut autem ejusmodi manuum impoſitio diſtingueretur ab ea, quæ adhibetur in Sacramento Confirmationis vel Ordinis, dicebatur manûs impoſitio reconciliatoria, vel in pœnitentiam. 2do. Dicitur apud Græcos *Exomologeſis*, quæ ſecundùm vim nominis idem ſignificat, quod apud Latinos *Confeſſio*, ut ait Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 9. Ex uſu autem accipitur pro integra actione pœnitentiæ. 3tio. Dicitur à Tertulliano lib. cit. c. 4. à S. Cypriano Epiſt. 9. & à Concilio Tridentino Seſſ. 6. c. 14. *Secunda poſt naufragium tabula:* ut enim, confractâ navi, unum vitæ ſervandæ perfugium reliquum eſt, ſi fortè tabulam aliquam de naufragio liceat arripere, qua quis ad portum vehatur, ita poſt amiſſam Baptiſmi gratiam, niſi quis ad pœnitentiæ tabulam confugerit, ſine dubio de ejus ſalute deſperandum eſt. 4to. A multis vocatur *Baptiſmus laborioſus*; quia perinde ac Baptiſmus animam purgat à ſordibus ob intimum, quem includit, animi dolorem de peccatis, ac toleratos in eorum vindictam dolores.

6 Ex his facilè colligitur, Pœnitentiam ſub duplici ratione conſiderari poſſe, 1mo. ut eſt virtus, 2do. ut eſt verum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum.

Pœnitentia ut eſt virtus definitur, ſeu potiùs deſcribitur *Habitus hominem inclinans ad odium & deteſtationem peccati ſui commiſſi, ad firmum melioris vitæ propoſitum, & ſui vindictam in compenſationem injuriæ Deo illatæ.* Colligitur hæc definitio ex Concilio Tridentino Seſſ. 14. c. 1. cujus ſingulæ partes per ſe ſunt manifeſtæ; & quidem de odio & deteſtatione peccati, de propoſito melioris vitæ, & pœna in vindictam peccati ſuſtinenda, hæc jam ex dictis patent, & magis adhuc ex dicendis clareſcent. Additur, *in compenſationem injuriæ DEO illatæ.* Quæ verba innuunt juxta S. Thomam 3. p. q. 85. a. 3. Pœnitentiam pertinere ad virtutem juſtitiæ commutativæ, qua ſcilicet reparatur injuria Deo per peccatum illata.

Pœnitentia, ut eſt Sacramentum novæ Legis deſcribi ſolet, *Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, quo per juridicam Sacerdotis abſolutionem contritis, confeſſis, ac ſatisfacere proponentibus peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittuntur.* 7

Dicitur 1mo. *Sacramentum &c.* quæ ratio generica eſt, atque omnibus novæ Legis Sacramentis convenit.

Dicitur 2do. *Per juridicam Sacerdotis abſolutionem.* Quibus verbis continetur diſcrimen Sacramenti Pœnitentiæ ab omnibus aliis, quæ licèt gratiam producant, eam tamen per modum actûs judicialis nequaquam conferunt.

Dicitur 3tio. *Contritis, confeſſis &c.* Quæ verba deſignant quaſi materiam ſeu quaſi materiales partes hujus Sacramenti ex parte pœnitentis neceſſarias. Verba verò abſolutionis rationem habent formæ, utpotè quæ expreſſiùs ſignificent remiſſionem peccatorum, quàm Contritio, Confeſſio, &c.

Dicitur 4to. *Peccata poſt Baptiſmum commiſſa.* Quæ innuunt Sacramentum Pœnitentiæ Baptizatis ſolummodò diſpenſari poſſe, atque in ea dumtaxat peccata vim ſuam exercere, quæ poſt Baptiſma patrata ſunt; præcedentia enim per Baptiſmum perfectè deleta ſupponuntur.

De Pœnitentia igitur, tum prout eſt Sacramentum, tùm prout eſt virtus nobis 8

 bis

bis præſenti Tractatu agendum venit: utraque enim hæcce ratio, & virtutis nimirùm & Sacramenti, ita in Pœnitentia dignoſcitur connexa, ut neque virtus prodeſſe poſſit ſine Sacramento vel ſaltem ſine ordine ad illud; neque Sacramentum ſine virtute conſiſtere, cujus omnes dotes in ſe complecti ac retinere debet, ut ratum ſit ac validum; cùm ſic rationem partis ſeu quaſi materiæ Sacramenti Pœnitentiæ habeat.

Quæ ut ordine fiant hunc de Sacramento Pœnitentiæ Tractatum in octo Capita diſpeſcimus. 1mum. erit de exiſtentia, neceſſitate, & materia Sacramenti Pœnitentiæ. 2dum. De prima Pœnitentiæ parte, ſeu de contritione. 3tium. De Confeſſione, quæ eſt ſecunda Pœnitentiæ pars. 4tum. De Satisfactione, quæ eſt tertia pars Pœnitentiæ. 5tum. De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu de Abſolutione Miniſtri ejus. 6tum. De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. 7mum. De illius effectibus. Quibus adjungemus 8vum. De Indulgentiis.

9 # Caput Primum.

De exiſtentia, neceſſitate, & materia Sacramenti Pœnitentiæ.

TRibus paragraphis hocce Caput abſolvemus. 1mus erit de exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ. 2dus de illius neceſſitate, an videlicet poſt Baptismum lapſis ſit neceſſarium, & qua neceſſitate? 3tius. De ipſius materia tùm remota tùm proxima. Sit

§. I.

10 ***De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu an Pœnitentia ſit verum novæ Legis Sacramentum?***

Multi à primis Eccleſiæ Sæculis varios circa Sacramentum Pœnitentiæ protulêre errores, nullus tamen eorum veterum Hæreticorum, illud ex Sacramentorum albo unquam expungere auſus eſt. Sæculô 2dô. Montanus (à quo Montaniſtæ, dicti etiam Cataphryges, à provincia Phrygiæ, undè Montanus ortum ducebat; item Pepuziani, à vico Pepuza, ubi conventus ſuos celebrabant) docuit quædam eſſe peccata, quæ in hoc Sæculo remitti omnino nequeant. Idem docuêre Novatiani, à Novatiano Presbytero Romano ſic dicti, qui & alio nomine *Cathari*, id eſt, *puri*, appellati ſunt, & quorum errorem ſuprà Tom. 3. Tract. de peccatis refutavimus.

Duodecimô Sæculô Waldenſes errarunt quidem circa Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ, ut teſtatur Reinerus; conſtanter tamen illud inter Sacramenta numerârunt usque ad Sæculum 16tum, tùm enim à Calviniſtis decepti, duo tantùm Sacramenta, Baptismum ſcilicet & Cœnam, cum ipſis admisêre, ut fusè probat Meldenſis lib. 2. Hiſt. variat.

Sæculô 16tô Lutherus lib. de capt. Babyl. tria numerat Eccleſiæ Sacramenta, Baptismum videlicet, Pœnitentiam, & Panem: ſed ad Operis hujus calcem negat Pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè dictum, verùm eſſe tantùm viam ac reditum ad Baptismum ait. Nihilominùs ſi ad Lutheranorum praxim attendamus, videntur illi Sacramentum Pœnitentiæ retinere; utuntur enim Catechismô, quem Lutherus edidit, & in quo, ut

ut refert laudatus Benignus Bossuet Meldensis Episcopus lib. 3. Variat. Minister audita confessione pœnitentis, hisce verbis eum absolvit: *Ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua in nomine Patris &c.*

Zwinglius & Calvinus cæteris Hæreticis audaciores apertè & constanter negarunt Pœnitentiam esse Sacramentum à Baptismo distinctum, cujus memoria propter apprehensionem Fidei peccata Baptismum subsequentia remittit. Atque in eo errore versantur omnes Calvinistæ verba Christi Domini Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, cum Magistro suo detorquentes ad prædicationem Evangelii, qua lapsi revocantur ad memoriam Baptismi, & excitantur ad credendum justitiam in illo Sacramento acceptam amitti non posse, ac Fidelibus Baptizatis nulla peccata imputari. Hinc commune Hæreticorum dogma, potestatem solvendi peccata Ecclesiæ datam in nuda & concionali declaratione, peccata esse remissa, reponi debere, non verò in actu judiciali aliquo. Contra quos fit

11 CONCLUSIO I.

Pœnitentia est verum ac propriè dictum Sacramentum novæ Legis.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Christus Joan. 20. sic Apostolos, eorumque in ministerio Ecclesiastico successores, allocutus est: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Hanc dimittendi peccata potestatem Matth. 16. se Petro daturum promiserat; idemque promissum ad cæteros Apostolos extenderat Matth. 18. ac tandem illud actu & de facto eis post suam resurrectionem cit. Joan. loc. confert.

Concessâ sibi à Christo dimittendi peccata auctoritate usi sunt Apostoli. 2. Corinth. 2. Paulus incestuosum, quem Satanæ tradiderat in carnis interitum, post duram pœnitentiam absolvit, & Ecclesiæ restituit v. 7. ac statim declarat, se in persona Christi hanc veniam incestuoso indulsisse.

Nec elabuntur Novatores, quando allata à nobis Scripturæ verba ad remissionem peccatorum per prædicationem Evangelii obtinendam, quatenùs, quod ipsi inquiunt, eorum fides excitatur, atque ipsis declaratur, peccata eorum esse remissa, miserè detorquent. 1mo. Quia sine ratione ulla adeo claros Scripturæ textus, ex proprio, naturali, & obvio, ad figuratum, improprium, imò vel maximè absonum deflectunt sensum, ipsi qui Scripturam ubique claram & planam esse plenis buccis prædicant (*a*). 2do. Quia, etsi concederemus per allata Christi verba Apostolis & eorum Successoribus Ecclesiæ Ministris non datam fuisse potestatem dimittendi peccata, sed tantùm declarandi ea esse remissa; nihilominùs vel juxta Novatores ipsos Pœnitentia adhuc rationem haberet Sacramenti: nam, prout ipsimet statuunt, Sacramentorum forma non est aliud quàm concio, qua Minister fidem excitat. Quemadmodum igitur aspersio aquæ cum verbo *Ego te baptizo* Sacramentum constituit, licèt, ut Novatores volunt, totus ille ritus non aliò spectet, quam ad excitandam hominis fidem; ita absolutio exteriùs prolata, quæ pœnitentis actibus supervenit, constituit Sacramentum, quamvis, in sensu Novatorum, ad fidem excitandam solùm referatur.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 8. jam suprà initiô Procemii laudatus, *Hæc venena*, inquit, *providens Deus clausâ licet innocentiæ januâ & intinctionis serâ obstructâ aliquid* 12

(*a*) Vid. inf. Conclus. 3.

aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat. S. Pacianus (*b*) Epist. 1. ad Sympronianum *Solis*, inquit, *licet Apostolis baptizare, & Spiritum sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quàm Apostolis imperatum est. . . . Si ergo & Lavacri, & Chrismatis potestas majorum longè charismatum ad Episcopos indè descendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.* S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 8. *Quid interest*, ait, *utrùm per pœnitentiam an per lavacrum hoc jus* (dimittendi peccata) *sibi datum Sacerdotes vendicent? unum in utroque mysterium est: sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur?* S. Hieronymus Epist. 1. ad Heliodorum, *Absit*, inquit, *ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi Corpus sacro ore conficiunt; per quos & nos Christiani sumus, qui claves Regni Cœlorum habentes quodammodò ante diem Judicii judicant.* S. Augustinus lib. 1. de adulterin. conjug. cap. 28. *Quæ Baptismatis*, inquit, *eadem est reconciliationis causa.*

13 Prob. 3tio. Ex continuo usu, & doctrina utriusque Ecclesiæ Græcæ sicut & Latinæ, quam confirmarunt Concilia Florentinum in Decreto, ubi inter novæ Legis Sacramenta, quartò locò Pœnitentia recensetur; Tridentinum Sess. 14. Can. 1. ubi sic definit: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verum ac propriè dictum Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Et Jerosolymitanum an. 1672. in quo Patres Græci Cyrillum Constantinopolitanum Patriarcham, qui à Novatoribus nostris seductus Calvinismum in Ecclesiam Græcam invehere conatus fuerat, damnant. *Cyrillo*, inquiunt, *dogmatizanti & credenti, non esse septem Ecclesiæ Sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam &c. juxta Christi dispositionem, Apostolorum Traditionem, ac Ecclesiæ consuetudinem, anathema sit.* Et certè constanti Ecclesiæ traditione docemur Evangelica verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* ab Ecclesiæ incunabulis ad hanc usque ætatem intellecta fuisse de potestate dimittendi peccata per Sacramentum propriè dictum.

Prob. 4to. Rationibus Theologicis. 14
1ma. desumitur à priori, quæ est voluntas Christi: bonitati autem divinæ, & infinitis Christi meritis maximè conveniebat, ut peccatis post Baptismum commissis, quæ ob maximam hominum in peccatum proclivitatem valdè multiplicantur, remedium certum, sensibile, & hominibus accommodatum semper suppeditaretur. 2da. petitur ex ipsis Christi verbis prob. 1mâ. adductis. Ad verè & propriè dictum Sacramentum tria requiruntur, prout alibi passim jam ostendimus; 1mo. scilicet ritus externus, 2do. præceptum divinum. 3tio. promissio Gratiæ, quæ illi externo ritui conjuncta sit. Atqui in Pœnitentia hæc tria manifestè continentur; ritus quidem externus; cùm enim potestas dimittendi peccata in hominum gratiam concessa sit, oportuit, ut aliquo signo externo exerceretur; alioquì homines, qui corporei sunt, peccata sibi remitti non intelligerent, nisi adhibito exteriori ritu ea dimitterentur. Adest quoque divinum præceptum: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*, ait Christus Apostolis

Joan.

(*b*) Obiit annò 380.

Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* Adest denique divinæ gratiæ promissio; neque enim peccata dimittuntur, quin gratia sanctificans infundatur.

Porro, ut ait Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 1. *Dominus noster Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Dicitur *præcipuè*, quia Christus ante mortem suam illud jam quasi instituerat promittendo Apostolis judiciariam potestatem Matth. 18. his verbis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

15 CONCLUSIO II.

Pœnitentia est Sacramentum à Baptismo ejusque memoria omninò distinctum & diversum.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, in qua Baptismus & Pœnitentia exponuntur & proponuntur tanquam duo diversa & distincta peccatorum remedia. De Baptismo dicitur Marc. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.* Et de Pœnitentia hæc habentur Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Hinc S. Petrus Act. 8. v. 22. Simonem Magum non revocat ad memoriam Baptismi, *sed pœnitentiam age*, inquit, *ab hac nequitia tua, & roga Deum.* Sanctus etiam Paulus non remisit Corinthium incestuosum aut ad Baptismum, aut ad ejus memoriam 1. Corinth. 5. v. 5. sed *illum tradidit Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini nostri JEsu Christi.* Sic ligavit incestuosum, quem posteà 2. Cor. 2. v. 7. solvit. Et Heb. 6. v. 4. negat eos, qui baptizati sunt posse iterum renovari per Baptismum; prout suprà Tom. 1. Tract. 1. de S. Script. part. 2. cap. 3. in Resp. ad Object. 6. Denique S. Joannes Epist. 1. cap. 1. loquens de remedio peccatorum, in quæ baptizati prolabuntur, non remittit ad memoriam Baptismi, ut eorum venia obtineatur, sed *Si*, inquit, *confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus Deus, ut remittat nobis peccata nostra.* Ergo nec Baptismus, nec ipsius memoria quidquam conferunt ad dimittenda peccata post Baptismum commissa. Nullum igitur in Scripturis fundamentum habet figmentum Novatorum, quod hîc impugnamus; & consequenter juxta eorundem etiamnum principia rejiciendum est, ut qui profiteantur, se nullum approbare dogma, nisi quod expressè & clarè continetur in Scripturis.

Prob. 2do. Ex Patribus, qui Pœnitentiæ Sacramentum à Baptismo clarè distinguunt. Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 4. Pœnitentiam vocat *secundum post naufragium tabulam.* Et cap. 7. *Hæc venena providens Deus &c.* vid. sup. Conclus. 1. prob. 2. S. Athanasius lib. de peccat. in Spirit. sanct. *Est*, inquit, *inter Baptismum & pœnitentiam non leve discrimen; quem enim pœnitet, is desinit quidem peccare, sed tamen retinet vulnerum cicatrices, qui autem baptizatur, jam veterem hominem exuit.* S. Augustinus lib. 2. de adulterin. conjug. cap. 16. de peccato homicidii *Si*, ait, *à Catechumeno factum est, Baptismate abluitur; si à baptizato, pœnitentia & reconciliatione sanatur.* His Patribus addi possunt S. Pacianus, S. Ambrosius, S. Hieronymus sup. Conclus. 1. prob. 2. laudati. 16

Prob. 3. Ratione Theologica ducta ex discrimine, quod est inter Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ. Nam Sacramentum Pœnitentiæ habet subjectum, Ministrum, formam, materiam & effectum omninò diversum & distinctum à Baptismo. Subjectum Pœnitentiæ est homo baptizatus; Baptismi verò quilibet homo est capax. Minister Pœnitentiæ 17

eſt ſolus Sacerdos ; Baptismi verò quilibet homo. Peccatum originale & omnia actualia per Baptismum delentur ; ſola verò actualia, quæ Baptismum ſequuntur, per Pœnitentiæ Sacramentum. Materia Sacramenti Baptismi eſt aqua, forma verò *Ego te Baptizo &c.* materia autem Sacram. Pœnitent. ſunt actus pœnitentis ; forma, verba, quibus Sacerdos abſolvit. Ergo Baptismus & Pœnitentia ſunt duo planè diſtincta Sacramenta. Præſtat hîc audire Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 2. ubi, *Præterquam*, ait, *quòd materia & forma, quibus Sacramenti* (Baptismi) *eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet* (à materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ) *conſtat certè Baptismi Miniſtrum Judicem eſſe non debere, cùm Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptismi januam fuerit ingreſſus. . . . Secùs eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lavacrô Baptismi ſui corporis membra ſemel effecit : nam hos, ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminaverint, non jam repetitô Baptismô ablui. ſed ante hoc* (Pœnitentiæ) *tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam . . . poſſent liberari. Alius præterea eſt Baptismi & alius Pœnitentiæ fructus : per Baptismum enim Chriſtum induentes nova prorsùs in illo efficimur creatura ad quam tamen novitatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus.* Hæc cit. Seſſ. Cap. 2. Concilium Tridentinum, quod proinde ibid. Can. 2. ſic definit : *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.*

CONCLUSIO III. 18

Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum judicii, ita quidem, ut in eo peccata verè remittantur, & non tantùm remiſſa declarentur.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Matth. 16. v. 19. Chriſtus Petro, & in ejus perſona toti Eccleſiæ, prout Tertullianus in Scorpiaco cap. 10. & poſt ipſum innumeri alii Scriptores Eccleſiaſtici exponunt, ait : *Tibi dabo claves Regni Cœlorum ; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Eadem verba repetit ibid. c. 18. v. 18. omnes Apoſtolos alloquens : *Quæcumque alligaveritis ſuper terram*, inquit ad eos, *erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cœlo.* Quibus verbis Eccleſiæ in perſona Petri & Apoſtolorum Regni Cœlorum datæ fuerunt à Chriſto Domino claves. (*c*) Atqui claves non dantur ut declaretur oſtium eſſe apertum, ſed ut re ipſa aperiatur. Item *ligare*, idem non eſt quod annuntiare, vel oſtendere ligatum ; ſed plus aliquid ſignificat, nempè ſententiam Eccleſiæ, qua ipſa pronuntiat hominem vinculô excommunicationis innodandum, pœnis caſtigandum &c. Et pariter *ſolvere* non idem ſignificat ac annuntiare vel oſtendere eſſe ſolutum ; ſed re vera ſolvere à peccatis, eaque dimittere.

Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum ſanctum*, inquit idem Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis, *quorum remiſeris peccata, remittuntur eis &c.* Non ait, Quorum declaraveritis dimiſſa eſſe peccata, ſed quorum remiſeritis, vera ſcilicet & juridica poteſtate. Ergo his verbis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Chriſtus facultatem

(*c*) Sub hac clavium metaphora remittendi vel retinendi peccata, aperiendi vel claudendi Cœlum poteſtas intelligitur.

tatem dedit remittendi peccata, non declarandi duntaxat ea esse remissa. Et verò hæc Christi verba, sensu, quem indicavimus, proprio & naturali esse intelligenda patet 1mo. Quia testatur Christus ibidem, se eam Apostolis conferre auctoritatem, quam ipse à Patre acceperat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, inquit. Atqui Christus potestatem accepit à Patre verè & propriè necnon ex auctoritate peccata dimittendi, non declarandi duntaxat ea esse remissa. Unde Pharisæi ex nativa significatione verbi *remittere* intellexerunt, & offensi sunt, quòd Christus sibi tribueret potestatem dimittendi peccata. *Quis est hic*, dicebant apud S. Lucam cap. 5. v. 21. *qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Hanc tamen eorum verbi *remittere* notionem non emendavit Christus, imò potiùs confirmavit. Et verò si meram illi intellexissent declarationem peccati jam dimissi, immeritò prorsùs offensi fuissent, qui non poterant ignorare à Nathan Propheta Davidi declaratum fuisse, Dominum peccatum ejus ipsi condonasse. Et certè minimè offensi fuerunt, cùm idem Servator noster paralytico declaravit dimissa esse ejus peccata. 2do. Quia Novatores nostri Lutherani ac Calvinistæ hac sua sinistra horum Christi verborum interpretatione arma Socinianis subministrant ad impugnandam divinitatem ipsius, quam memorati Lutherani & Calvinistæ adversùs ipsos ex eo probant, quod peccata remittat; respondent enim Sociniani verbum *remittere* simplicè in Christo designare potestatem declarandi peccata esse à Deo remissa, quemadmodum ipsi Novatores Lutherani & Calvinistæ Catholicis hoc ipsum verbum in præsenti argumento urgentibus respondent. Videtur ex utraque parte par impietas & temeritas. 3tio. Quia testatur Christus eo ipso modo dimittenda esse peccata in Cœlis, quo remittuntur in terris. Atqui in Cœlis non tantum declarantur esse remissa, sed verè & propriè remissa habentur.

Prob. 2. Constanti Patrum Traditione. 19
Qui docent Ministros Ecclesiæ auctoritate ipsiusmet Christi, cujus personam sustinent, peccata dimittere. Sacerdotes in tribunali pœnitentiæ Judices sedere, qui lepram à lepra secernant, & ab ea inquinatos mundent. A Sacerdotibus peccatorum nostrorum vincula dissolvi. Priùs Sacerdotum ministeriò peccata in terris dimitti debere, quàm dimittantur in Cœlis. *Quod per Sacerdotes suos facit Christus*, inquit S. Pacianus Epist. 1. ad Sympronianum (*d*), *sua potestas est.* Epist. 3. *Quod ego facio*, ait, *id non meo jure, sed Domini: Dei enim adjutores sumus.* S. Eligius Homil. 4. (*e*) *Quos Christus*, inquit, *invisibiliter absolvendo dignos sua reconciliatione judicat; nos visibiliter reconciliando, per officium nostri ministerii absolvimus.* S. Leo Ep. 82. aliàs 91. (*f*) *Huic operi*, inquit, *incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit.* S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio c. 6. *Corporis lepram*, ait, *purgare, imò potiùs nullatenus purgare, sed purgatos probare tantùm Judæorum Sacerdotibus licebat. . . . Nostri verò non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsùs purgandi potestatem acceperunt.* Similia habet Hom. 5. de verbis Isaiæ. Eadem etiam eloquuntur SS. Hilarius Comment. in cap. 18. S. Matth. Hieronymus Epist. 1. S. August. lib. 2. de Civitate Dei cap. 9. Gregorius Magnus Homil. 26. Quorum verba inferiùs referemus, ubi de Confessione. S. Athanasius in istud Evangelii,

(*d*) Tom. 4. Bibl. PP. pag. 306. & 310. H. (*e*) Tom. 12. Bibl. SS. PP. pag. 306. H.
(*f*) Tom. 2. Bibl. SS. PP. pag. 605. c. 2. D.

Profecti in pagum &c. Si nondum, inquit, *ſoluta ſunt vincula tua, trade te ipſum diſcipulis JEſu. Adſunt enim qui nos ſolvant acceptâ à Salvatore poteſtate, Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* S. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 2. *Impoſſibile videbatur*, inquit, *per pœnitentiam peccata dimitti: conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotum officia tranſmiſſum eſt.* Idem eloquitur S. Leo Epiſt. 82. aliàs 91. c. 3. Idem ajunt & alii quamplurimi. S. Hilarius in cap. 16. S. Matth. *O beatus Cœli janitor*, exclamat, *cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in Cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſunt aut ſoluta, ſtatuti ejusdem conditionem obtineant & in Cœlo.* S. Chryſoſtomus Homil. 5. de verbis Iſaiæ, *A terra*, inquit, *judicandi principalem auctoritatem ſumit Cœlum: nam Judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum.* S. Bernardus Serm. 1. in natali Apoſtolorum, *Sententia Petri*, ait, *præcedit ſententiam Cœli. &c. &c.*

20 Prob. 3tio. Ex Conciliis. Quotquot adversùs Montaniſtas & Novatianos inſurrexêre Concilia, Concluſionem noſtram apertè confirmant. Neque enim inter illos Hæreticos & Orthodoxos quæſtio erat, an Eccleſia haberet auctoritatem declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed an re vera remitteret.

In Concilio Conſtantienſi damnati ſunt plures articuli Joannis Wiclefi, & Joannis Hus, inter quos iſti erant: *Quòd Sacerdos non poſſit peccatorem confeſſum & contritum abſolvere. Quòd malus Sacerdos verè non abſolvat, nec conferat alia Sacramenta.* Unde in Bulla Martini V. præſcribitur, interrogandos eſſe, qui ſuſpecti ſunt, utrum credant, *quòd Sacerdos poſſit peccatorem confeſſum & contritum abſolvere.* Et rursùs, *Utrum credant, quòd malus Sacerdos verè abſolvat, & verè conferat alia Sacramenta.*

Concilium Florentinum in Decreto definit, *quòd ſicut per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, ita per Pœnitentiæ Sacramentum ſpiritualiter ſanamur;* atque *hujus Sacramenti effectum* ait, *eſſe abſolutionem à peccatis.*

Denique Concilium Tridentinum Seſſion. 14. Cap. 6. & Can. 3. & 9. Lutheranorum & Calviniſtarum errorem proſcribit. *Quamvis abſolutio Sacerdotis*, inquit cap. 6. *alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actûs judicialis, quo ab ipſo, velut à Judice, ſententia pronuntiatur.* Can. 3. verò ſic definit: *Si quis dixerit, verba illa, Quorum remiſeritis &c. non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ detorſerit autem, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit.* Et Can. 9. *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata anathema ſit.*

Prob. 4. Ratione. 1mo. Quia Sacramentum Pœnitentiæ, ut & alia novæ Legis Sacramenta, gratiam producit ex opere operato, ut definit Concilium Tridentinum Seſſ. 7. Can. 8. Atqui ſi Sacramentalis abſolutio nonniſi vim haberet declarandi peccata eſſe dimiſſa, & ea verè non remitteret, tunc Sacramentum gratiam vi ſua non produceret, ſed jam ſupponeret conceſſam; gratia enim propria Sacramenti Pœnitentiæ conſiſtit in remiſſione peccatorum, & reconciliatione pœnitentis cum Deo: at gratiam ejusmodi non efficeret nec conferret, ſed collatam declararet ſolummodò per Sa- 21

cramen-

cramentum Pœnitentiæ. Ergo gratiam vi sua non produceret &c.

2do. Clavium potestas & usus, prout jam suprà adnotavimus, in eo non reponitur, ut ostendat apertum esse ostium, sed ut verè aperiat. Ergo &c.

3tio. Eadem auctoritate peccata dimittit Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ, cùm ait, *Ego te absolvo*, qua in Sacramento Baptismi, cùm dicit, *Ego te baptizo.* Atque in Baptismo verè ministeriali auctoritate dimittit peccata, non ostendit tantùm esse dimissa. Ergo & in Sacramento Pœnitentiæ. Hoc argumentum urgent SS. Pacianus Epist. 1. ad Sympronian. & Ambrosius lib. 1. de Pœnit. c. 8. contra Novatianos.

22 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 1mam Conclusion. Joan. 20. Nulla fuit præscripta verborum prolatio, cum facta est Apostolis peccata remittendi potestas. Ergo in ejusmodi potestatis executione non reperitur ratio Sacramenti propriè dicti; quodlibet enim Sacramentum constare debet sensibili verborum prolatione.

Resp. Dist. ant. Præscripta non fuit explicitè, conc. Implicitè, neg. ant. Siquidem Christus Apostolis imperavit, ut peccatorum remissionem conferrent per modum actûs judicialis, proindeque per externam aliquorum verborum prolationem: undè Ecclesia à suis incunabulis ad hæc usque tempora contulit absolutionem adhibitis quibusdam verbis, quæ à Patribus dicuntur *preces reconciliatoriæ.* Hinc S. Augustinus lib. 5. de Bapt. cap. 20. ait: *Quomodò exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super capita eorum, quibus manus imponitur* in pœnitentiam scilicet.

Inst. Christus Joan. 20. Apostolis eandem potestatem remittendi peccata dedit, quam ipse habebat, prout suprà prob. 1mâ. Conclus. 3tiâ. ipsimet declaravimus. Atqui Christus peccata remisit absque ritu externo. Ergo etiam Apostolis dedit potestatem remittendi peccata absque ritu sensibili, & consequenter absque Sacramento.

Resp. Dist. maj. Eandem quoad efficaciam, conc. Quoad modum remittendi peccata, neg. maj. Vox *Sicut*, quam adhibuit Christus cit. loc. significat solùm dari Apostolis potestatem remittendi peccata verè & interiùs sicut Christus habuit, non verò omninò similem, nec eodem modo exercendam.

Ob. 2do. Si ex citatis Christi verbis, 23
Quorum remiseritis peccata &c. colligi posset, potestatem remittendi peccata esse Sacramentum, pariter ex istis, *Et quorum retinueritis, retenta sunt*, colligeretur, potestatem retinendi peccata verum etiam esse Sacramentum. Absurdum consequens. Ergo &c.

Resp. neg. seq. maj. Potestas remittendi & retinendi peccata duæ sunt ejusdem auctoritatis partes Sacramentales, quarum una, nempe peccata remittendi, verum est Sacramentum, cui annexa est gratiæ & remissionis peccatorum promissio: altera verò, nempe retinendi peccata Sacramentalis quidem est, quia ordinatur ad Sacramentum; non enim retinentur peccata, nisi ut remittantur: non tamen verum est Sacramentum, quia per se gratiam non confert.

Ob. 3tio. Eadem est in utraque lege, 24
nova scilicet & veteri, pœnitentia, eademque proinde vis & efficacia. Atqui pœnitentia in veteri lege non fuit Sacramentum. Ergo &c.

Resp. Dist. majoris primam partem. Eadem est in nova & veteri Lege pœnitentia in ratione Virtutis, conc. in ratione Sacramenti, neg. maj. In veteri Lege pœnitentia Virtus tantùm fuit, quæ deinde in nova ad dignitatem Sacramenti, Christo ita volente fuit evecta. Ad

adam Maj. partem neg. eandem esse vim & efficaciam pœnitentiæ in veteri ac in nova Lege. Pœnitentia enim in nova Lege, quatenùs Sacramentum est, agit ex opere operato, in Veteri autem, quatenùs simpliciter Virtus, ex opere operantis veniam peccatorum impetrabat.

25 Ob. 4to. In quolibet Sacramento tria hæc distingui possunt, scilicet Sacramentum tantùm, res Sacramenti tantùm, & Sacramentum simul & res Sacramenti. Atqui in Pœnitentia tria hæc distingui non possunt. Ergo &c.

Resp. 1mo. Equidem Scholæ Doctores tria hæc in Sacramentis distinguunt: verùm circa hanc quæstionem Ecclesia nihil unquam pronuntiavit; & licèt tria hæc in Sacramento Pœnitentiæ distinctè secernere haud possemus; non idcircò tamen nutaret hujus Sacramenti fides, quæ ab illis subtilioribus Scholæ quæstionibus minimè pendet.

Resp. 2do. Neg. min. Namque Confessio & Absolutio dici possunt Sacramentum tantùm, quæ cùm sensibiles sint, gratiam significant & producunt, atque à nullo significantur. Gratia verò & remissio peccatorum est res Sacramenti tantùm, quia significatur & non significat. Contritio verò est Sacramentum simul & res Sacramenti: est Sacramentum, quatenùs sensibilis fit per Confessionem, & quodam sensu est res Sacramenti, quatenùs ex se non cadit sub sensus, sed per Confessionem exprimitur.

26 Ob. 5to. Contra 2dam Conclusionem. Ephes. 5. Baptismo omnis mundatio à peccatis tribuitur. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ diversum à Baptismo est inutile. Ergo non extat.

Resp. Dist. ant. Omnis mundatio à peccatis Baptismum antecedentibus, conc. Subsequentibus, subdist. Fundamentaliter, præsuppositivè, dispositivè; quia nemo per Sacramentum Pœnitentiæ mundari potest, nisi qui fuerit Baptizatus, conc. verè & effectivè, neg. ant. Solutio per se clara est.

Ob. 6to. Luc. 3. Baptismus vocatur Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Ergo pœnitentiæ Sacramentum non est distinctum à Baptismo. 27

Resp. neg. conf. Loc. cit. agitur de Baptismo Joannis, non verò de Baptismo Christi. Cùm autem tota vis Baptismi Joannis esset à pœnitentia, ad quam invitabat & excitabat, meritò vocatur Baptismus pœnitentiæ. Baptismus verò Christi dicitur lavacrum regenerationis non præcisè ad pœnitentiam excitans, sed per pœnitentiam jam dispositos sanctificans, renovans, ac regenerans.

Ob. 7mo. S. Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 33. docet peccata omnia etiam post Baptismum commissa remitti ipso Baptismo. *Eo ipso*, ait, *quòd semel datur, fit, ut solùm anteà, verùm etiam posteà quorumlibet peccatorum venia Fidelibus impetretur.* 28

Resp. S. Augustinus remissionem peccatorum Baptismum subsequentium non alio sensu eidem adscribit, quàm quòd sit dispositio quædam seu fundamentum præsuppositum ad obtinendam peccatorum veniam Ecclesiæ clavium ministeriô. Se ipsum ibidem explicat: *Quid enim*, inquit, *prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel posteà, nisi præcederet?*

Ob. 8vo. S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 30. appellat Baptismum Sacramentum pœnitentiæ. Ergo &c. 29

Resp. Dist. ant. Appellat Baptismum Sacramentum pœnitentiæ respectu infidelium adultorum, qui ad Baptismum non admittuntur, nisi præmissâ de peccatis pœnitentiâ seu contritione, ut ibidem disertè ait idem S. Doctor. Respectu lapsorum post Baptismum, neg. ant.

Ob.

[illegible] tamen [illegible] & efficaciam [illegible] nova Lege. Pœnitentia autem in nova Lege, quatenus Sacramentum est, [illegible] ex opere operato, in Veteri [illegible] Mediatoris Venturi, ex opere operantis, veniam peccatorum [illegible] bus.

[illegible] Ob. 2do. In quolibet Sacramento [illegible] hæc distingui possunt, [illegible] tum tantum, [illegible] Sacramentum simul & res Sacramenti. Atqui in Pœnitentia tria hæc distingui non possunt. Ergo &c.

Resp. 1mo. [illegible] res tria hæc in [illegible] verùm circa [illegible] nihil unquam [illegible] hæc in Sacramento Pœnitentiæ [illegible] haud possimus; [illegible] tamen [illegible] tur ab illis [illegible] minimè pendet.

Resp. 2do. Neg. min. [illegible] & Absolutio [illegible] tum tantum, [illegible] à nobis significantur. [illegible] est res Sacramen- [illegible]

[illegible] Ob. [illegible] Confessionem [illegible]

[illegible]

[illegible] per Sacramentum Pœnitentiæ [illegible] fuerit Baptiza- tus, [illegible], neg. ant. [illegible]

Object. [illegible] Baptismus vocatur 27
[illegible] pœnitentiæ in remissionem [illegible]. Ergo [illegible] Sacramentum [illegible] à Baptismo.

Resp. [illegible] agitur de Baptismo [illegible] non verò de Baptismo Christi. [illegible] Baptismi [illegible], ad quam invita- [illegible] vocatur Baptismus [illegible]. Baptismus verò Christi dicitur [illegible] non præcisè ad [illegible], sed per [illegible] sanctificans, [illegible]

Ob. [illegible] S. Augustinus lib. 1. de 28
[illegible] cap. 33. docet peccata [illegible] Baptismum commissa [illegible] Baptismo. *Eo ipso*, [illegible] *ut solum* [illegible] *peccata* [illegible].

Resp. S. Augustinum [illegible] Sacramentum [illegible] præsupponitur ad [illegible] Ecclesiæ [illegible], & ipsum [illegible] explicat: [illegible] *Baptismus* [illegible]

Ob. 3tio. S. Fulgentius lib. de [illegible] 29
Petrum cap. [illegible] appellat Baptismum [illegible] cramentum pœnitentiæ. Ergo &c.

Resp. Dist. ant. [illegible] Sacramentum pœnitentiæ [illegible] delicta abluuntur, sed [illegible] non admittuntur, [illegible] post Baptismum [illegible]

Ob.

30 Ob. 9no. Baptismus nunquam deletur. Ergo totâ vitâ utilis esse potest ad delenda peccata, modò ad memoriam revocetur.

Resp. Baptismus quidem quantùm ad characterem, quem imprimit, nunquam deletur; quantùm verò ad ritum externum, seu prout constituit Sacramentum, non manet, sed statim transit, ac consequenter nihil ampliùs efficit. Quantùm ad gratiam sanctificantem quam confert, seu potiùs gratia regenerans per Baptismum accepta amittitur per quodlibet peccatum mortale, nec recuperatur nisi per Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto susceptum.

31 Ob. 10mo. Idem prorsùs est effectus Baptismi & Pœnitentiæ; productio nimirùm gratiæ, quæ vitam spiritualem mortuo per peccatum homini confert. Ergo Pœnitentia à Baptismo non distinguitur.

Resp. neg. conf. Nam per utrumque illud Sacramentum eadem quidem gratia entitativè sumpta producitur, sed non eodem modo; siquidem in Baptismo per regenerationem, in Pœnitentia verò per suscitationem à mortuis confertur: undè sicut regeneratio & resurrectio ex diverso modo, quo vitam tribuunt, differunt specificè, ita etiam Baptismus & Pœnitentia differunt specie ratione diversi modi, quo gratiam justificantem impio conferunt.

32 Ob. 11mo. Contra 3tiam Conclus. Solus Deus peccata dimittit, Luc. 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Ergo Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ non verè dimittunt peccata.

Resp. Dist. ant. Solus Deus peccata dimittit auctoritate propria, suprema, & independente, conc. Solus Deus, per exclusionem causæ instrumentalis, secundariæ, & ministerialis, neg. ant. *Quod enim per suos Sacerdotes*, ait S. Pacianus Epist. 1. ad Sympron. *ipsemet facit Christus.* Quod refertur ex cap. 5. Lucæ à Pharisæis dictum quidem fuit, sed falsò; Apostolis quippe concessam esse auctoritatem dimittendi peccata ministerialem, ipse declarat Christus Matth. 16. v. 19. Joan. 20. v. 21. Sacerdotes igitur à Christo acceperunt potestatem veram dimittendi peccata; non quidem absolutam, principalem & independentem, qualem ipse habet; sed ministerialem &c.

Ob. 12mo. Verbum *remittere* significat aliquando meram peccati dimissi declarationem, ut Luc. 7. v. 48. cùm Christus Magdalenæ dixit, *remittuntur tibi peccata tua.* Jam enim dimissa ei fuerant, ob ardentem scilicet illius charitatem, ut ipse Christus declarat v. 47. his verbis: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo ex verbis Christi suprà laudatis, *Quorum remiseritis &c.* Joan. 20. malè infertur, Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ verè ac juridicè remittere peccata, & non tantùm remissa declarare. 33

Resp. 1mo. neg. ant. Nam verbum istud *remittere* in utroque citato versu sumitur in propria significatione; atque in utroque loco eadem ac vera remissio peccatorum exprimitur. Nam ut ait Euthymius in hunc locum, quamvis Christus v. 47. Pharisæo de Magdalena, ipsa audiente, dixisset peccata ipsi dimitti, voluit tamen, directò ad ipsam sermone absolutionem repetere, ac confirmare, quò & certior illa fieret de peccatis sibi remissis, & ipse manifestiùs ostenderet, penes se esse remittendorum peccatorum facultatem. Et ita etiam convivæ de vera peccatorum remissione verba Christi intellexerunt; ut patet ex eo, quòd intra se dixerint, *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Non fuissent enim verbis ejus offensi, si tantùm declarare voluisset mulieri isti peccata ipsius à Deo jam remissa esse; non enim ignorabant,

rabant, id Prophetas declarare potuisse, atque id in Davide fecisse Nathan 2. Reg. cap. 12. v. 13. vide dicta sup. Conclus. 3. prob. 1.

Resp. 2do. Quòd, etsi verbum *remittere* aliquando significaret idem ac declarare peccata esse remissa, malè tamen à Novatoribus, verbum istud Joan. 20. proprium non habere sensum, inferatur. Enimverò loci circumstantiæ, subjecta materia, loquentis mens atque consilium expendi maximè debent; at ea omnia invictè demonstrant verbum *remittere* in eo loco, ubi Christus Apostolis dedit potestatem remittendi peccata, non meram declarationem, sed veram auctoritatem peccata dimittendi significare. Eadem quoque, qua hic Novatores Lutherani & Calvinistæ adversùs nos ratione utuntur, Sociniani probarent, Christum impropriè Deum in Scripturis appellari, quia Scriptura aliquando impropriè nomen Dei usurpat, ut cùm Judices Deos appellat, &c. At eos non ferunt, & meritò quidem, Lutherani & Calvinistæ: nec proinde nos etiam istos, eodem ratiocinandi vitio laborantes, audire possumus.

34 Ob. 13tio. Multi è SS. Patribus istud Joan. 20. *Quorum remiseritis &c.* interpretantur non de remissione, quæ fiat per modum judicii in tribunali Pœnitentiæ; sed de remissione, quæ fit vel per Evangelii prædicationem, quatenùs scilicet illa prædicatione homines à vitiis retrahuntur, & ad virtutem excitantur; vel per administrationem Baptismi. Ita S. Cyrillus Comment. in cit. S. Joan. loc. S. Hieronymus in cap. 44. Isai. *Solvunt eos*, inquit, *Apostoli sermone Dei, & testimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum.* S. Augustinus Tract. 121. in Joan. *Charitas Ecclesiæ*, inquit, *quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum peccata dimittit; eorum autem qui non sunt participes retinet.* Ergo &c.

Resp. neg. conf. Nonnulli quidem ex SS. Patribus sensu mox adducto citatum S. Joannis locum aliquando interpretantur; sed nullus eorum est, qui nostram propriam & naturalem expositionem rejiciat, nullus, qui auctoritatem Ecclesiæ in dimittendis peccatis non confirmet hoc ipso S. Joannis testimonio; prout de S. Augustino, Hieronymo, & Cyrillo, qui hic in Objectione citantur, suprà passim vidimus. Certè S. Cyrillus cit. Comment. in S. Joan. l. 12. expressè agnoscit duplicem distinctum modum, quo Sacerdotes peccata dimittunt, nempe per Baptismum & Pœnitentiam. *Remittunt*, inquit, *peccata vel retinent Spiritu afflati homines, duobus, ut arbitror modis. Vel cùm dignos ad Baptismum vocant vel cùm filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt, sicut Paulus erga fornicarium Corinthium.* Nihil ergo periculi habet apud illos SS. Doctores adducta in Objectione illorum Textûs Joan. 20. expositio, qui aliam magis propriam sæpiùs laudant & confirmant: at in Novatoribus, qui priori admissâ, alteram immeritò & sine ratione repudiant.

Ob. 14to. Multi ex SS. Patribus, ut S. Augustinus Serm 67. de verb. Evang. Matth. 11. aliàs 8. de verbis Domini. Et S. Gregorius Homil. 26. in Evang. exemplô Lazari priùs à Christo suscitati, quàm à Discipulis solveretur, probant peccatores priùs ad vitam gratiæ revocari, quàm à Sacerdote absolvantur. Ergo Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ verè non dimittunt peccata, sed tantùm dimissa esse declarant. 35

Resp. neg. conf. Nam per vitam gratiæ ex mente eorumdem SS. Patrum non intelliguntur nisi vita inchoata & dispositiones præviæ ad vitam spiritualem, quæ consistunt in actibus fidei, spei, pœnitentiæ, & charitatis inchoatæ, quæ necessa-

necessariæ sunt, ut peccator à peccatis solvi possit. Ita mentem suam apertè explicat S. Augustinus Conc. 2. in Ps. 101. ubi, *Cùm audis*, inquit, *hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit, sed nondum solutus. Quando solvitur, & à quibus solvitur? Quæ solveritis in terra, inquit, erunt soluta & in Cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest. Suscitari autem mortuus nonnisi intùs clamante Domino potest.*

36 Ob. 15to. S. Hieronymus Comment. in cap. 16. Matth. comparat Sacerdotes novæ Legis Sacerdotibus veteris Legis; vultque illos non plus efficere respectu peccatorum, quàm istos respectu leprosorum, quos à lepra non mundabant, vel leprosos non faciebant, sed aut mundos aut immundos declarabant. Ergo &c.

Resp. Comparatio hæc, quam S. Hieronymus inter Sacerdotes novæ & veteris Legis facit, nobis non adversatur; eam quippe non ideò adducit, ut probet Sacerdotes novæ Legis habere duntaxat potestatem declarandi peccata esse dimissa vel non dimissa, sicut Sacerdotes veteris Legis declarabant tantùm vel immundos vel mundos à lepra; sed ut ostendat, non debere Sacerdotes novæ Legis quemquam solvere vel ligare, nisi cognitâ priùs peccatorum naturâ, conditione, varietate, &c. sicut Sacerdotes veteris Legis non declarabant immundos vel mundos à lepra, nisi priùs re bene examinata, ac veritate cognita. *Alligat & solvit Presbyter*, inquit S. Doctor, *non eos, qui insontes sunt vel innoxii, sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit quis ligandus sit, quisve solvendus.*

37 Ob. 16to. Communis est SS. Patrum sententia, non esse in potestate Sacerdotum solvere vel ligare, quos ad arbitrium voluerint, sed id ad solum Deum pertinere. *Apud Deum* ait S. Hieronymus loc. cit. *non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur.*

Resp. Dist. ant. Non est in potestate Sacerdotum absolutâ nullisque legibus adstrictâ, quasi pro arbitrio indignos solvere possint, vel innoxios ligare, conc. ant. Ministerialis, dependens, certisque legibus à Christo præscriptis adstrictâ, neg. ant. Non alia profectò est mens S. Hieronymi loc. cit. & aliorum Patrum, qui hîc adduci possent. *Causæ pensandæ sunt*, ait S. Gregorius Magnus Homil. 26. in Evang. *tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni sequitur arbitrium Judicis.*

Ob. 7mo. Qui accedit ad tribunal Pœnitentiæ, vel perfectam habet contritionem, vel imperfectam: si perfectam, priùs reconciliatur cum Deo quàm Sacramentum actu percipiat; adeoque absolutio merè est declaratoria peccati jam dimissi: si imperfectam, nullatenùs reconciliatur. Ergo absolutio Sacramentalis propriè & verè nunquam peccata dimittit. 38

Resp. 1mo. Falsò supponi absolutionem Sacramentalem non dimittere peccata illius, qui imperfectam habens contritionem, ex amore Dei saltem inchoato & initiali, accedit ad tribunal Pœnitentiæ, sicut ex dicendis locô suô patebit.

Resp. 2do. Neg. absolutionem merè declaratoriam esse, etiam cùm peccata per contritionem perfectam priùs remissa sunt, quàm actu percipiatur Sacramentum, quia, ut docet Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. in illa contritione includitur votum Sacramenti cum obligatione peccata clavibus Ecclesiæ subjiciendi. Imò in eo casu absolutio Sacerdotalis utilis est & ad gratiæ augmentum, & ad remissionem pœnæ pro peccatis omnibus ritè confessis.

§. II.

§. II.

39 ***An Sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum sit necessarium; & qua necessitate?***

Jam alibi passim diximus, aliam esse necessitatem medii seu absolutam, aliam verò præcepti, &c. quæ hîc ad memoriam revocari volumus. Sit

CONCLUSIO.

Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto necessarium est necessitate medii omnibus, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt.

Prob. 1mo. Ex iisdem Scripturæ testimoniis, quibus certum est Ecclesiæ datas esse claves Regni Cœlorum, hoc est, potestatem dimittendi peccata. Ista quippe reciproca sunt, Ecclesiæ nimirum datas esse claves Regni Cœlorum, & unicuique injunctam esse legem subjiciendi se clavibus Ecclesiæ, si fores Regni Cœlorum sibi reserari exoptet; aliàs frustrà esset Ecclesiæ concessa auctoritas dimittendi vel retinendi peccata, nisi fidelibus omnibus & singulis lex imposita esset subjiciendi se clavibus seu jurisdictioni Ecclesiæ ad obtinendam peccatorum remissionem; quemadmodùm frustrà & inutilis foret in Superioribus imperandi auctoritas, nisi esset in subditis lex ac necessitas obsequendi.

40 Prob. 2do. Ex SS. Patribus, & quidem ex passim adductis eorumdem testimoniis, quibus pariter certum est, datas esse Ecclesiæ claves Regni Cœlorum &c. *Nemo*, ait S. Augustinus Serm. 392. aliàs Homil. 49. inter 50. *sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mibi ignoscat, quia in corde ago* (pœnitentiam) *Ergo*, concludit S. Doctor, *sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra &c. Ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ? frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi.*

S. Leo Epist. 82. aliàs 91. ad Theodorum, *Multiplex misericordia Dei*, inquit, *ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ . . . sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus JEsus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Eadem docent quamplures alii SS. Patres quos sequitur Haymo Episcopus Halberstadiensis Sæculi 9ni Scriptor, qui annô 853. obiisse perhibetur, Homil. in Dominica 15. post Pent. ubi confutans eorum errorem, qui sufficere putabant interiorem pœnitentiam, quæ fit coram Deo, *Si vera esset*, inquit, *eorum opinio, nequaquam Dominus leprosos, quos per semetipsum mundaverat, ad Sacerdotes mitteret.* Et infrà; *Ut ostenderet ad judicium Sacerdotum peccata esse liganda aut solvenda, Lazarum, quem per semetipsum à mortuis suscitaverat, non priùs abire permisit, quàm à discipulis solveretur.*

Et certè constans est totius Traditionis doctrina, Pœnitentiam tam esse lapsis post Baptismum necessariam, quàm Baptismus sit necessarius ad expungenda peccata illum præcedentia: unde secunda post naufragium Tabula dicta est. Quam doctrinam sequitur & tradit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 2. ubi, *Est autem*, inquit, *hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Atqui Baptismus nondum regeneratis est necessarius vel in re vel in

voto

[illegible] medii. Ergo etiam Pœnitentia [illegible] Baptismum [illegible] necessaria ad [illegible] medii vel in re vel in voto.

41 [illegible] *vel in re vel in voto*: Nam [illegible] [illegible] extra Sacramentum Pœnitentiæ per [illegible] [illegible] sed non sine voto Sacramenti, ut [illegible] ex eodem Concilio Tridentino Sess. 14. [illegible]

[illegible] Ex quibus [illegible] verbis [illegible] Sacramentum Pœnitentiæ [illegible] [illegible] hoc Sacramentum.

[illegible]

42 [illegible] *Objectiones.*

[illegible] ex Scriptura [illegible] [illegible] Sacramentum Pœnitentiæ [illegible] ad veniam peccatorum [illegible]

[illegible]

[illegible] Ergo non [illegible] Sacramenti Pœnitentiæ.

Ob. 2do. Christus sine Sacramento Pœnitentiæ Luc. 7. peccatricem, & Joan. 8. adulteram dimisit. Pariter S. Petrus Act. 8. Simonem Magum graviter post Baptismum criminis reum, non remittit ad aliquod Ecclesiæ Sacramentum. Ergo &c. 43

Resp. Sacramentum Pœnitentiæ ante Christi passionem nondum fuisse institutum; & licet jam institutum fuisset, Christus tamen potuit ex potestate excellentiæ [illegible] peccata dimittere; [illegible] necessario alligata signis [illegible] Simonem Magum non [illegible] [illegible] [illegible] *ad hac nequitia tua.*

Ob. 3tio. [illegible] *Qui [illegible]* Ergo [illegible] Pœnitentiæ [illegible] ad Salutem. 44

Resp. neg. conf. Quia hæc Christi verba [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Baptismum [illegible]

Ob. 4to. [illegible] 45 [illegible] Sacramenti [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] *Evangelium Dei, [illegible] Christi.*

S. Leo Epist. [illegible] ad Theodorum, *Multiplex misericordia Dei, inquit, ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae . . . sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus JEsus, hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem poenitentiae darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Eandem doctrinam quamplures alii SS. Patres [illegible] sequitur Haymo Episcopus [illegible] Saeculi [illegible] Scriptor, qui [illegible] perhibetur, Homil. in Dominica [illegible] post Pent. ubi conjurans [illegible] qui [illegible] [illegible] quae ne [illegible] [illegible] *esse*, inquit, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *peccata* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] constans [illegible] Poenitentiam [illegible] post Baptismum necessariam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] post [illegible] [illegible] dicta [illegible] Quam doctrinam [illegible] Concilium Tridentinum [illegible] *est* [illegible], inquit, [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

voto necessitate medii. Ergo etiam Pœnitentia pòst Baptismum lapsis necessaria est necessitate medii vel in re vel in voto.

41 Dicimus *vel in re vel in voto :* Nam peccata mortalia baptizatorum remitti etiam possunt extra Sacramentum Pœnitentiæ per contritionem charitate perfectam, sed non sine voto Sacramenti, ut constat ex eodem Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi ait *reconciliationem peccatoris ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Ex quibus ultimis verbis Concilii hujus eruitur, votum seu propositum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ semper, saltem implicitè, in actu contritionis vel charitatis perfectæ includi: actus quippe contritionis & charitatis perfectæ includit propositum servandi omnia præcepta, inter quæ est etiam præceptum suscipiendi hoc Sacramentum.

Quando autem, & quoties obliget præceptum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, commodiùs dicemus, ubi de Confessione nobis sermo erit.

42 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. S. Scriptura sinceræ conversioni seu contritioni cordis veniam peccatorum tribuit, Psal. 50. & Ezech. 18. &c. Item charitati, & operibus misericordiæ. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ non est necessarium ad veniam peccatorum consequendam.

Resp. Scripturam, quæ veniam peccatorum tribuit sinceræ contritioni ac pœnitentiæ, item charitati & operibus misericordiæ, non negare, imò potiùs confirmare necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, unum enim aliud non excludit: aliàs ne quidem Baptismum in nova Lege necessarium esse inferre quis posset, quod tamen non concedunt Novatores Lutherani & Calvinistæ. Meritò igitur commendatur contritionis & sinceræ conversionis virtus, cùm semper necessaria sit; at idcircò non excluditur efficacia & necessitas Sacramenti Pœnitentiæ.

Ob. 2do. Christus sine Sacramento Pœnitentiæ Luc. 7. peccatricem, & Joan. 8. adulteram dimisit. Pariter S. Petrus Act. 8. Simonem Magum gravissimi post Baptismum criminis reum, non remittit ad aliquod Ecclesiæ Sacramentum. Ergo &c. 43

Resp. Sacramentum Pœnitentiæ ante Christi passionem nondum fuisse institutum; & licèt jam institutum fuisset, Christum tamen potuisse ex potestate excellentiæ suæ sine illo peccata dimittere; virtus ipsius enim non est necessariò alligata signis sensibilibus. Sanctus verò Petrus Simonem Magum non solùm ad Pœnitentiam, ut virtus est, sed etiam ut Sacramentum, remisisse meritò conjici potest, cùm ipsi dixit, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

Ob. 3tio. Marci ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo Sacramentum Pœnitentiæ est inutile ad Salutem. 44

Resp. neg. conf. Quia hæc Christi verba intelligi debent cum hac conditione, si nempe gratiam per Baptismum acceptam peccando mortaliter non amiserit; ut constat ex aliis Scripturæ locis, ubi præter fidem & Baptismum ad salutem requiritur observatio mandatorum Dei, & pœnitentia post lapsum.

Ob. 4to. Lex gratiæ nihil detrahit de virtute Pœnitentiæ. Atqui in veteri Lege sola Pœnitentiæ virtus sufficiebat ad consequendam peccatorum veniam. Ergo etiam in Lege gratiæ: adeoque Sacramentum Pœnitentiæ non est necessarium. 45

Resp. Nihil detractum fuisse in Lege gratiæ de vi & efficacia virtutis Pœni-

tentiæ per Sacramentum Pœnitentiæ, aliàs & detractum fuisset de ea per Baptismum, quod tamen non admittunt Adversarii: Solummodò igitur præceptum novum additum est, nempè subjiciendi se clavibus Ecclesiæ. Propterea tamen pœnitentes in nova Lege non sunt deterioris conditionis, quàm pœnitentes in veteri Lege; imò longè faciliùs & securiùs veniam peccatorum consequuntur, quàm isti consequebantur, cùm in Sacramento Pœnitentiæ non requiratur contritio charitate perfecta, ut posteà dicemus, quæ tamen in veteri Lege ad consequendam peccatorum remissionem requirebatur, quæque hominibus carnalibus valdè difficilis est.

§. III.

46 *Quænam sit materia tùm remota, tùm proxima Sacramenti Pœnitentiæ?*

Duplicem in Sacramento Pœnitentiæ materiam distinguunt Theologi, remotam unam, alteram proximam. *Remotam* dicunt etiam materiam *circa quam*, seu objectum, circa quod occupatur Pœnitentiæ Sacramentum. *Proximam* verò vocant materiam *ex qua*, id est, partes, ex quibus constat Sacramentum istud. Sic contritio, confessio, & satisfactio sunt materia ex qua conficitur Sacramentum Pœnitentiæ. Inter illas partes autem aliæ dicuntur *essentiales*, sine quibus nempe nullum est Sacramentum. Aliæ verò *integrantes* dumtaxat, quæ solùm ad integritatem, non verò ad essentiam Sacramenti pertinent. Quantùm ad materiam *remotam* Sacramenti Pœnitentiæ, seu *circa quam* illud versatur,

47 Certum est 1mo. Peccatum originale non esse materiam *remotam* seu *circa quam* Sacramenti Pœnitentiæ; tùm quia Pœnitentia instituta est ad instar actûs judicialis, ut ait Concilium Tridentinum Seff. 14. c. 6. qui proindè erga illos exerceri duntaxat potest, qui sunt subditi Ecclesiæ. At tales non sunt infideles non baptizati; *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ait Apostolus 1. Corinth. 5. tùm quia solus Baptismus ex institutione Christi ordinatus est ad delendum peccatum Originale; tùm denique, quia, ut ait S. Thomas hîc a. 2. ad 3. propriè Pœnitentia non est nisi de iis, quæ voluntate nostra commisimus; peccatum verò Originale est peccatum naturæ, non uniuscujusque propriæ voluntatis.

Certum est 2do. Peccata actualia post Baptismum commissa esse materiam *circa quam* Sacramenti pœnitentiæ; quia Concilium Tridentinum Seff. 14. cap. 1. expressè ait, Christum instituisse Sacramentum Pœnitentiæ pro iis, qui post Baptismum lapsi sunt. 48

Certum est 3tio. Peccata mortalia post Baptismum commissa esse materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ: non quidem quasi sine illis illud confici nequeat, sed quia aliâ viâ dimitti non possunt nisi per hoc Sacramentum vel in re vel in voto susceptum. Undè Concilium Tridentinum sæpè laudata Seff. 14. cap. 5. & Can. 7. declarat omnia peccata mortalia necessariò esse confitenda. 49

Certum est 4to. Peccata venialia esse sufficientem materiam hujus Sacramenti, non verò necessariam, sed liberam: sufficientem quidē; tùm quia sine ulla peccatorum distinctione Christus dixit: *Quorum remiseritis peccata &c.* tùm quia venialia peccata sunt vera peccata; tùm denique quia Concilium Tridentinum mox laudatum morem confitendi sola peccata venialia, cùm quis nullius lethalis noxæ reus est, tanquam rectum & utilem approbat, & sic Lutheri contrariam damnat opinionem. Peccata verò venialia liberam duntaxat, & non necessariam esse materiam *circa quam* Sacramenti Pœnitentiæ, 50

tentiæ, docet ibidem idem Concilium: *Peccata venialia*, ait, *quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquàm rectè & utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

51 Certum est 5to. Peccata sive mortalia sive venialia jam ritè in confessione declarata, & per absolutionem remissa, adhuc esse materiam sufficientem *circa quam* Sacramenti Pœnitentiæ; tùm quia Cap. *Inter cunctas.* Extravag. *De privilegiis* dicitur: *Ut eorumdem peccatorum jam remissorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Tùm quia sic habet usus piorum & eruditorum Fidelium; tùm quia peccata jam remissa denuò remitti possunt nova remissione priorem confirmante per novæ gratiæ infusionem: eadem quippe culpa sæpiùs condonari potest.

Hæc omnibus certa sunt, atque à nemine facilè in dubium revocantur. Non ita res se habet de materia *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ; circa quam errant Novatores; Scholastici verò nostri, salva tamen semper fide, in varias abeunt sententias & opiniones.

52 Lutherus, prout refert Pallavicinus lib. 12. Hist. Concil. Trident. c. 10. duas tantùm Pœnitentiæ partes tanquàm materiam *ex qua* assignat, nempè terrores incussos conscientiis agnitô peccatô, & fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi remissa esse peccata. Hunc Lutheri errorem configit Concilium Tridentinum sæpè citat. Sess. 14. Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit, duas tantùm esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnitô peccatô, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.* Et verò quæ antecedunt Pœnitentiam tanquam dispositiones dici non possunt illius partes. Atqui terrores conscientiæ incussi &c. & fides seu fiducia obtinendæ remissionis peccatorum præparant tanquam dispositiones necessariæ ad Pœnitentiam. Ergo &c.

Calvinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 8. 53
duas quoque, sed alias à Luthero, assignat Pœnitentiæ partes, *mortificationem* scilicet vitiorum seu abnegationem totius veteris hominis, & *vivificationem*, hoc est, pium benè vivendi studium. Sed Calvinus effectum Pœnitentiæ incongruè confundit cum parte seu materia *ex qua* constat Pœnitentia.

Inter nostros Scholasticos aliqui pro 54
materia *proxima* seu *ex qua* Pœnitentiæ assignant manûs impositionem, quæ antiquis temporibus erat in usu, ac pœnitentibus imponebatur. Durandus in 4. dist. 16. quæst. 1. vult solam confessionem esse locô materiæ. Scotus in 4. dist 14. quæst. 4. totam Sacramenti Pœnitentiæ essentiam in una reponit Sacerdotis absolutione, quæ quatenùs est ritus exterior ac sensibilis, materiæ; quatenùs verò peccatorum veniam significat, formæ rationem induit; contritionem verò, confessionem ac satisfactionem non tanquam partes, sed tanquam conditiones ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu percipiendum requiri contendit. Undè intelligere est, meram hîc de nomine quæstionem esse, quæ subtiliùs quàm utiliter movetur. Communis Theologorum sententia pro materia *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ assignat tres actus Pœnitentis, scilicet *Contritionem, Confessionem*, & *Satisfactiônem.* Duas priores quidem pro materia essentiali, *Satisfactionem* verò pro materia integrante. Quid in hac Scholæ opinionum varietate sentiamus sequentes dabunt Conclusiones. Non enim hîc est, quòd multùm adversùs ineptas Lutheri & Calvini mox à nobis recensitas de Pœnitentiæ materia

 opinio-

opiniones decertemus, ut quæ vel ex iis paucis, quæ contra easdem disserui- mus, abundè refutatæ maneant; plura qui circa eas desiderat adeat Bellarminum lib. 1. de Pœnit. c. 19. consulimus.

55 CONCLUSIO I.

Manus impositio Sacerdotis non est materia proxima seu *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. 1mo. Ex silentio Scripturæ, quæ ubi refert datam Apostolis potestatem remittendi peccata, de usurpanda manuum impositione ne verbum quidem habet. Imò ipsum Concilium Tridentinum, à quo, post accuratum antiquæ Traditionis examen, enucleatiùs partes necessariæ hujus Sacramenti expositæ sunt, de necessitate manus imponendi pœnitentibus prorsùs silet.

Prob. 2do. Licet certum sit primis Ecclesiæ Sæculis frequenter manus imponi solitas fuisse pœnitentibus, ut probat Morinus lib. 8. de Pœnitent. cap. 8. meritò tamen inferri non potest manûs impositionem esse partem materialem & essentialem Sacramenti Pœnitentiæ; tùm quia sæpiùs in decursu ejusdem pœnitentiæ manus imponebantur pœnitentibus, sicuti multis testimoniis ostendit Morinus lib. de Pœnit. cap. 8. At verisimile non videtur toties repetitam cæremoniam ab absolutione tantô temporis intervallô sæpiùs distantem partem fuisse essentialem Sacramenti Pœnitentiæ; tùm quia non tantùm Episcopi & Presbyteri, sed etiam Clerus inferior, manus imponebant pœnitentibus, teste S. Cypriano Epist. 10. At quo jure inferiores Clerici Sacramentalem illam impositionem manuum usurpassent? tùm denique quia manus pœnitentibus imponebantur etiam post administratam Eucharistiam, ut certum est ex Conciliis Carthaginensi IV. cap. 78. & Arausicano cap. 3. At Sacramenti Pœnitentiæ pars haud dubiè non fuit hujusmodi manûs impositio Eucharistiæ perceptione posterior. Ergo &c.

CONCLUSIO II. 56

Tres actus pœnitentis, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio sunt materia proxima seu *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. 1mo. Ex Conciliis Florentino, & Tridentino. Prius in Decreto hæc eloquitur: *Quantùm Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes; quarum prima est cordis contritio secunda est oris confessio tertia est satisfactio pro peccatis.* Tridentinum verò Sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia hujus* (Pœnitentiæ) *Sacramenti,* inquit, *ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio.* Et Can. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur ... anathema sit. Hi actus verò*, ait Catechismus Romanus part. 2. de Pœnit. num. 12. *quasi materia à S. Synodo appellantur, non quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecùs adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione.*

Prob. 2do. Ex Rituali Romano, ubi hæc dicuntur: *Sacramenti Pœnitentiæ materia remota sunt peccata, proxima verò sunt actus pœnitentis: nempè contritio, confessio, & satisfactio.*

Prob. 3tio. Ratione. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, quo peccator per sententiam Sacerdotis Deo reconciliatur. Atqui ad illud judicium tria requiruntur, scilicet contritio seu dolor de peccatis, confessio seu declaratio peccatorum, qua Judex, cognitâ

meruit [illegible], gestio ferre sententiam, & satisfacere ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam. Hinc S. Chrysostomus Homil. de Pœnit. ait: *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde ejus contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, et sicut Deum offendimus corde, ore, & opere, sic reconciliamur Deo.*

CONCLUSIO III.

Contritio & Confessio sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, Satisfactio vero pars integralis.

Prob. 1ma pars. Quia partes illæ sunt essentiales, sine quibus stare non potest [illegible] Sacramentum. Atqui sine contritione & confessione stare non potest [illegible] Sacramentum: quia Judicium [illegible], quale est Sacramentum [illegible] per alia quæ concipi potest, [illegible] agnoscere, [illegible] prout [illegible] parere. Ergo &c. [illegible]

[illegible]

Prob. 2da pars. Quia [illegible] vocatur integralis, quæ [illegible] totum essentialiter perfectum. [illegible] est Satisfactio respectu Sacramenti Pœnitentiæ; namque sine illa [illegible] dare pœnitenti contritio & confessio, [illegible] loco [illegible], votum seu propositum satisfaciendi esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, sed illud tunc non constituit partem a contritione distinctam; includitur enim in proposito servandi omnia Legis præcepta, inter quæ etiam est satisfactio.

Solvuntur Objectiones. 18

Ob. 1mo. Contra tertiam Conclusion. Manus impositio est materia Pœnitentiæ a Christo instituta: quod enim semper & ubique ab omnibus in Ecclesia est observatum, illud censendum est a Christo traditum, juxta jam sæpius allegatum S. Augustini effatum. Atqui semper & ubique & ab omnibus manus impositio adhibita est in collatione Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. ad prob. dist. maj. Quod semper &c. est observatum tanquam ad substantiam Sacramenti pertinens, illud censendum est a Christo traditum, conc. [illegible] & [illegible] dist. min. neg. cons. Manus autem impositio, [illegible], licet in Ecclesia semper, & ubique, & ab omnibus adhibita fuerit, non tamen propterea fuit pars Sacramentalis [illegible]: quia antiquam Ecclesia hujusmodi ritus observavit, quod etiam [illegible].

Ob. 2do. Contra eamdem Conclus. Dispositio non est pars rei, ad quam disponit. Atqui tres pœnitentis actus [illegible] dispositiones ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo &c. 19

Resp.

[illegible]

CONCLUSIO I.

[illegible]

[illegible] sumpto Eucharistiæ [illegible]. Ergo &c.

CONCLUSIO II. 56

Tres actus pœnitentis, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio sunt materia [illegible] Sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. [illegible] Ex Conciliis Florentino, & Tridentino. Prius in Decreto hæc eloquitur: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes: quarum prima est cordis contritio* [illegible] *secunda est oris confessio . . . tertia est satisfactio pro peccatis.* Tridentinum verò sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio.* [illegible] *ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiruntur* [illegible] *quasi materiam Pœnitentiæ, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur* [illegible]. [illegible] Catechismus Romanus part. 2. de Pœnit. num. 12. [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

cognitâ causâ, poſſit ferre ſententiam, & ſatisfactio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam. Hinc S. Chryſoſtomus Homil. de Pœnit. ait: *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde ejus contritio, in ore confeſſio, in opere toto humilitas, ut quibus Deum offendimus corde, ore, & opere, iisdem reconciliemur Deo.*

57 CONCLUSIO. III.

Contritio & Confeſſio ſunt partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ, Satisfactio verò pars integralis.

Prob. 1ma pars. Quia partes illæ ſunt eſſentiales, ſine quibus ſtare non poteſt perfectum Sacramentum. Atqui ſine contritione & confeſſione ſtare non poteſt Pœnitentiæ Sacramentum: quia judicium reconciliativum, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ nec eſſe nec concipi poteſt, quin reus culpam ſuam agnoſcat, fateatur, ac deteſtetur; prout clariùs in decurſu hujus Tractatus patebit. Ergo &c.

Ex quo infertur 1mo. Sacramentum Pœnitentiæ non poſſe eſſe ſimul validum, & informe, ſeu effectum ſuum non producere; quia Sacramentum hoc tanquam partem eſſentialem includit diſpoſitionem ex parte ſuſcipientis requiſitam ad ejus effectum, contritionem videlicet, ſeu deteſtationem peccatorum, qua proin deficiente, ipſum Sacramentum nullum eſt.

2do. Pœnitentiæ Sacramentum datum ficto, ſeu habenti dominantem affectum ad peccatum mortale, poſteà non reviviſcere, ubi ejusmodi fictio per contritionem ſublata fuerit; quia Sacramentum ficto datum ob debitæ materiæ defectum omninò invalidum fuit ac irritum, etiam quoad ſubſtantiam, ac proinde reviviſcere non poteſt Baptismi ad inſtar, quod valet ſecundùm ſubſtantiam, etiamſi collatum fuerit habenti affectum ad peccatum mortale.

Prob. 2da pars. Quia ea pars eſt duntaxat integralis, quæ ſupponit compoſitum eſſentialiter perfectum. Atqui talis eſt Satisfactio reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ; namque ſine illa valet abſolutio data pœnitenti contrito & confeſſo, ut inferiùs ſuô locô oſtendemus; quamvis ultrò fateamur, votum ſeu propoſitum ſatisfaciendi eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed illud tunc non conſtituit partem à contritione diſtinctam; includitur enim in propoſito ſervandi omnia Legis præcepta, inter quæ etiam eſt ſatisfactio.

Solvuntur Objectiones. 58

Ob. 1mo. Contra 1mam Concluſion. Manûs impoſitio eſt materia Pœnitentiæ à Chriſto inſtituta: quod enim ſemper & ubique ab omnibus in Eccleſia eſt obſervatum, illud cenſendum eſt à Chriſto traditum, juxta jam ſæpiùs allegatum S. Auguſtini effatum. Atqui ſemper & ubique & ab omnibus manûs impoſitio adhibita eſt in collatione Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo &c.

Reſp. Neg. ant. ad prob. diſt. maj. Quod ſemper &c. eſt obſervatum tanquam ad ſubſtantiam Sacramenti Pœnitentiæ pertinens illud cenſendum eſt à Chriſto traditum, conc. Tanquam cæremonia accidentalis &c. neg. maj. & ſimiliter diſt. min. neg. conſ. Namque etiam exorcismi, immerſio, &c. in Baptismo ſemper, & ubique, & ab omnibus adhibita ſunt, nec tamen propterea dici poſſunt inſtitutionis divinæ; quia nunquam Eccleſia hujusmodi ritus obſervavit, quaſi eſſent divinitùs inſtituti.

Ob. 2do. Contra 2dam Concluſ. Diſpoſitio non eſt pars rei, ad quam diſponit. Atqui actus pœnitentis ſunt diſpoſitiones ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo &c. 59

Reſp.

Conclusio I.

Ergo &c.

Conclusio II. 56

cognitâ causâ, poſſit ferre ſententiam, & ſatisfactio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam. Hinc S. Chryſoſtomus Homil. de Pœnit. ait : *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde ejus contritio, in ore confeſſio, in opere toto humilitas, ut quibus Deum offendimus corde, ore, & opere, iisdem reconciliemur Deo.*

57 CONCLUSIO. III.

Contritio & Confeſſio ſunt partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ, Satisfactio verò pars integralis.

Prob. 1ma pars. Quia partes illæ ſunt eſſentiales, ſine quibus ſtare non poteſt perfectum Sacramentum. Atqui ſine contritione & confeſſione ſtare non poteſt Pœnitentiæ Sacramentum : quia judicium reconciliativum, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ nec eſſe nec concipi poteſt, quin reus culpam ſuam agnoſcat, fateatur, ac deteſtetur; prout clariùs in decurſu hujus Tractatus patebit. Ergo &c.

Ex quo infertur 1mo. Sacramentum Pœnitentiæ non poſſe eſſe ſimul validum, & informe, ſeu effectum ſuum non producere; quia Sacramentum hoc tanquam partem eſſentialem includit diſpoſitionem ex parte ſuſcipientis requiſitam ad ejus effectum, contritionem videlicet, ſeu deteſtationem peccatorum, qua proin deficiente, ipſum Sacramentum nullum eſt.

2do. Pœnitentiæ Sacramentum datum ficto, ſeu habenti dominantem affectum ad peccatum mortale, poſteà non reviviſcere, ubi ejusmodi fictio per contritionem ſublata fuerit; quia Sacramentum ficto datum ob debitæ materiæ defectum omninò invalidum fuit ac irritum, etiam quoad ſubſtantiam, ac proinde reviviſcere non poteſt Baptiſmi ad inſtar, quod valet ſecundùm ſubſtantiam, etiamſi collatum fuerit habenti affectum ad peccatum mortale.

Prob. 2da pars. Quia ea pars eſt duntaxat integralis, quæ ſupponit compoſitum eſſentialiter perfectum. Atqui talis eſt Satisfactio reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ; namque ſine illa valet abſolutio data pœnitenti contrito & confeſſo, ut inferiùs ſuô locô oſtendemus; quamvis ultrò fateamur, votum ſeu propoſitum ſatisfaciendi eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed illud tunc non conſtituit partem à contritione diſtinctam; includitur enim in propoſito ſervandi omnia Legis præcepta, inter quæ etiam eſt ſatisfactio.

Solvuntur Objectiones. 58

Ob. 1mo. Contra 1mam Concluſion. Manûs impoſitio eſt materia Pœnitentiæ à Chriſto inſtituta : quod enim ſemper & ubique ab omnibus in Eccleſia eſt obſervatum, illud cenſendum eſt à Chriſto traditum, juxta jam ſæpiùs allegatum S. Auguſtini effatum. Atqui ſemper & ubique & ab omnibus manûs impoſitio adhibita eſt in collatione Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo &c.

Reſp. Neg. ant. ad prob. diſt. maj. Quod ſemper &c. eſt obſervatum tanquam ad ſubſtantiam Sacramenti Pœnitentiæ pertinens illud cenſendum eſt à Chriſto traditum, conc. Tanquam cæremonia accidentalis &c. neg. maj. & ſimiliter diſt. min. neg. conſ. Namque etiam exorciſmi, immerſio, &c. in Baptiſmo ſemper, & ubique, & ab omnibus adhibita ſunt, nec tamen intereà dici poſſunt inſtitutionis divinæ; quia nunquam Eccleſia hujusmodi ritus obſervavit, quaſi eſſent divinitùs inſtituti.

Ob. 2do. Contra 2dam Concluſ. Diſpoſitio non eſt pars rei, ad quam diſponit. Atqui actus pœnitentis ſunt diſpoſitiones ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo &c. 59

Resp. Dist. min. Sunt dispositiones ad Sacramentum Pœnitentiæ, quatenùs sumitur inadæquatè, nempè pro absolutione, ad quam cum fructu percipiendam seu ad cujus effectum percipiendum ducunt & præparant, conc. Ad Sacramentum Pœnitentiæ, quatenùs sumitur completè & adæquatè pro eo omni, quod ad ejus integritatem necessarium est, neg. min. Nam tunc actus pœnitentis non habent rationem dispositionis, sed partis componentis.

60 Ob. 3tio. Si actus pœnitentis sunt partes Sacramenti; tunc sunt signa gratiæ, eamque producunt, quia Sacramenta novæ Legis efficiunt quod significant. Ergo ipse pœnitens est unà cum Sacerdote Minister Sacramenti Pœnitentiæ, quod tamen est absurdum. Ergo &c.

Resp. Actus pœnitentis esse vera signa & quidem efficacia gratiæ sanctificantis ac remissionis peccatorum, non quidem quatenùs præcisè procedunt à pœnitente, sed quatenùs conjuncti sunt cum forma absolutionis; sub illo enim respectu instituti sunt à Christo ad significandam & producendam gratiam sanctificantem. Neque tamen inde sequitur pœnitentes esse Ministros Sacramenti; nam satis non est ministrare materiam Sacramenti, ut eam ministrans dicatur Sacramenti Minister; sed insuper requiritur, ut qui eam ministrat, eam etiam cum forma conjungat, atque ad esse Sacramentale evehat, quod solus Sacerdos præstat. Sic is non dicitur causa statuæ, qui lignum, ex quo fit statua, subministrat, sed is solus, qui debitam formam in materiam inducit.

61 Inst. 1mo. Sacramentum constat ex materia sicut ex forma. Ergo tam potest ejus Minister dici, qui materiam subministrat, quàm qui formam inducit.

Resp. neg. conf. Namque præcipua pars compositi est forma: qui ergo formam hanc inducit ac cum materia jungit in Sacramento, censetur esse illius Minister; at talis est solus Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ; secùs enim etiam Minister Eucharistiæ dici posset is, qui panem subministrat.

Inst. 2do. Materia proxima alicujus Sacramenti debet esse proprius actus Ministri, ut v. g. in Baptismate ablutio, &c. Atqui contritio, confessio, & satisfactio non sunt à Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, sed à subjecto seu pœnitente, Ergo &c. 62

Resp. Dist. maj. Quando Minister actione sua materiam remotam determinat, & applicat ad esse Sacramentale, sicut fit in Baptismo, &c. conc. Secùs, neg. maj. Porro in Sacramento Pœnitentiæ nulla videtur esse remota materia, quam Sacerdos sua actione determinet ad esse Sacramentale.

Ob. 4to. Materia, *ex qua* Sacramenta constant, debet esse sensibilis. Atqui contritio non est sensibilis, cùm sit actus internus pœnitentis. Ergo &c. 63

Resp. Dist. maj. Debet esse sensibilis vel per se vel per aliud, conc. Per se tantùm, neg. maj. Quamvis contritio non sit per se sensibilis, est tamen sensibilis per aliud, nempè aut per oris confessionem, aut per petitionem Sacramenti, aut per aliquod aliud signum exterius.

Ob. 5to. Contra Concl. 3tiam. Valet Pœnitentiæ Sacramentum sine confessione; validè quippe absolutio confertur homini, qui advocavit quidem Sacerdotem, sed usum rationis amisit, antequam ille Sacerdos accederet; imò impendi debet viro pio, qui præ subito, quo correptus est, morbo obmutescens, nec per se, nec per alium petit Pœnitentiæ Sacramentum; ut infrà dicetur. Ergo confessio non est essentialis pars Sacramenti Pœnitentiæ. 64

Resp.

Resp. Dist. ant. Sine confessione oris, seu explicita &distincta singulorum peccatorum, conc. Sine confessione implicita & confusa omnium peccatorum neg. ant. Eo ipso enim, quo quis Confessarium petit, se peccatorem agnoscit & confitetur; aut si subitò morbô correptus & obmutescens Confessarium petere non potest, probata, quam duxit, vita est implicita postulatio Sacramenti, & interpretativa confessio. Dist. similiter conf. Ergo confessio oris distincta & explicita non est essentialis &c. conc. implicita & confusa, neg. conf. Itaque explicita confessio peccatorum, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, est quidem præcepti divini, & ideò observanda, quando eam pœnitens edere potest; in iis verò circumstantiis, in quibus talis confessio est impossibilis, satis est ad veritatem Sacramenti, ut quis per nutus & signa, ac generatim, sua peccata confiteatur.

65 Ob. 6to. Si satisfactio sit tantùm pars integrans Sacramenti Pœnitentiæ, tunc nihil producit. Ergo planè inutilis est.

Resp. transf. seq. ant. & neg. conf. Satisfactio enim utilis omninò est, imò necessaria ad remissionem pœnæ temporalis, quæ luenda superest post condonatam culpam & pœnam æternam. Sed hac de re plura, ubi de ipsa Satisfactione ex instituto agemus.

66 Ob. 7mo. Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 3. dicit Satisfactionem æquè ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ pertinere, ac Contritionem & Confessionem. Atqui Contritio & Confessio sunt Sacramento Pœnitentiæ essentiales. Ergo etiam Satisfactio.

Resp. neg. maj. Nam Concilium generali *integritatis* nomine uti de industria voluit ad ea omnia significanda, quæ Sacramento sunt necessaria sive ad ejus essentiam, sive tantùm ad ejus integritatem; ne, pro more suo, quæstionem inter Theologos Scholasticos controversam dirimere velle videretur, relicta unicuique libertate per illam *integritatem* intelligendi vel essentiam seu partes essentiales, vel simplicem integritatem rei ad proprium Philosophorum sensum.

Ob. 8vo. In veteri Ecclesia semper 67
satisfactio à Sacerdote injuncta præmittebatur absolutioni. Ergo censebatur esse pars essentialis.

Resp. neg. conf. Licèt olim lege ordinaria data non fuerit absolutio nisi post expletos Pœnitentiæ injunctæ labores, minimè tamen indè probatur, Satisfactionem partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ esse; siquidem ex dicendis constabit, primis etiam Sæculis Ecclesiam ratam habuisse absolutionem, quæ certis in casibus dabatur ante Satisfactionem. Sed hæc de actibus pœnitentis in genere dicta sufficiant; modò de iis speciatim nobis tractandum est, quod singulis Capitibus perficimus.

CAPUT II. 68

De prima Sacramenti Pœnitentiæ parte, seu de Contritione.

Singulas jam Sacramenti Pœnitentiæ partes accuratiùs expensuri à Contritione incipimus, utpote quæ est prima & maximè necessaria hujusce Sacramenti pars. Prima quidem est juxta Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. quia cæteræ ab illa tanquam à causa sua pendent; conceptus quippè de peccatis dolor ad id peccatorem adducit, ut ipse se accuset, atque nocentem esse fateatur. Hinc quoque ardens illud desiderium Deo satisfaciendi, & forti quadam severitate puniendi delicta illa, quibus, dum aberat contritio, parcebatur.

Contritio autem dupliciter spectari 69
potest, generatim scilicet, & speciatim: est enim genus quoddam, cujus species sunt

sunt contritio *perfecta*, & *imperfecta*, quæ alio nomine *attritio* nuncupatur. De contritione igitur generatim sumpta hîc quæremus 1mo. Quid sit? 2do. Quænam sint ejus affectiones & proprietates. 3tio. An & quomodò sit necessaria? 4to. Quænam sint illius species? Quibus assignatis 5to. examinabimus, an contritio perfecta non tantum in casu necessitatis, sed ordinariè hominem Deo reconciliet? 6to. An Contritio perfecta sit dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu percipiendum necessariò prærequisita? 7mo. An attritio concepta ex metu pœnarum sit bona, an verò mala? 8vo. denique, an & qualis requiratur Dei amor in attritione, ut sit dispositio sufficiens ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ obtinendum? Quæ singula singulis paragraphis exponemus.

§. I.

70 *Quid sit contritio generatim sumpta?*

Contritionis nomen est merè Ecclesiasticum, quippè quod profanis Scriptoribus Latinis planè est inauditum. Oritur verò à verbo *contero*, quod duri alicujus corporis comminutionem in varias partes significat. Itaque per metaphoram peccatoris cor, cùm divinæ gratiæ motibus obsistit, durum appellatur in Scripturis sacris: *Induratum est cor Pharaonis*, Exod. 7. v. 13. Prout verò dolens eosdem motus admittit, ac iis obtemperat, contritum nuncupatur: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, Psal. 50. Hæc eadem contritio nonnunquam etiam *cordis compunctio* nominatur, *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, Psal. 4.

71 *Contritio* autem sensu Ecclesiastico definitur à Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Huic definitioni, quæ convenit contritioni generatim & universim sumptæ, prout omni tempore necessaria fuit ad obtinendam peccatorum veniam, si hæc addantur: *& votô præstandi omnia, quæ requiruntur ad ritè percipiendum Sacramentum Pœnitentiæ*, tùm habebitur definitio contritionis, prout hæc Legis Evangelicæ propria est.

Dicitur 1mo. *Animi dolor*, id est, 72 tristitia quædam animi orta ex offensa Dei: Hinc illi Sanctorum gemitus: *Laboravi*, ait David Psalm. 6. *in gemitu meo. Recogitabo tibi annos meos*, inquit Ezechias Isai. 38. *in amaritudine animæ meæ.* Dicitur autem *animi dolor*, qui in voluntate, non in sensu, positus est; & quamquàm sensibilis dolor aliquando ex animi contritione excitetur, atque laudabilis ille sit, non est tamen necessarius, cùm in potestate hominis non sit, sensibilem hunc dolorem in se ipso excitare. Porro necessarium ac essentialem contritioni esse hunc animi dolorem uno sensu declarant SS. Patres. *In actione pœnitentiæ*, ait S. Augustinus Enchirid. cap. 65. *non tam considerandа est mensura temporis quàm doloris.* S. Gregorius Magnus Homil. 34. in Evang. *Pœnitentiam agere*, inquit, *est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.*

Dicitur 2do. *Detestatio de peccato* 73 *commisso.* Per quam detestationem intelligitur aliquid à dolore distinctum; in Beatis enim est detestatio peccatorum, non tamen dolor. Necessaria quoque est ac essentialis contritioni hæc peccati detestatio, seu odium. Hæc enim contra Lutherum, qui scripserat odium peccati & detestationem vitæ præteritæ inutilem esse, ac optimam pœnitentiam in nova vita esse repositam, habet Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 4. *Declarat sancta Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum*

positum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere juxta illud Ezechielis cap. 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum &c. Et certè,* pergit Synodus, *qui illos Sanctorum clamores consideraverit, Laboravi in gemitu meo &c. facilè intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Hinc etiam ait S. Augustinus Serm. 7. de temp. *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.*

74 Dolor verò animi ac detestatio peccati in contritione sufficiente ad Sacramentum Pœnitentiæ debet esse formalis & explicitus, quo nimirùm voluntas verè & explicitè doleat, ac detestetur peccatum ut Dei offensam; quia verba Concilii Tridentini hac de re nimisquam clara sunt. Hinc non sufficit virtualis vel implicitus dolor in charitate perfecta; etsi enim ea se solâ sufficiat ad remissionem peccatorum obtinendam, non tamen sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ; attamen in praxi vix moraliter fieri potest, quin confessurus, adeoque de peccatis suis actu cogitans, si eliciat actum amoris Dei super omnia, non etiam formaliter doleat de peccatis suis. Multò minùs sufficit dolor implicitus in sola voluntate in posterum non peccandi; quia propositum non peccandi in posterum stare potest cum complacentia de peccato præterito. Non denique sufficit dolor implicitus in desiderio doloris, si nimirùm quis optat dolere, aut dolet se non dolere, si re vera absit dolor de peccatis. Monent tamen pro praxi Doctores, quòd timoratæ conscientiæ, cùm optant dolere, plerumque habeant verum & formalem dolorem, etsi ipsimet illum non percipiant. Graviter ergo peccant ii, qui sola etiam venialia sine formali dolore confitentur; quia tunc, defectu materiæ essentialis, Sacramentum redditur nullum; est autem grave Sacrilegium reddere voluntariè Sacramentum nullum. Non est tamen mortale, non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in confessione dicuntur, modò habeatur de aliquo; quia id ad valorem Sacramenti necesse non est, cùm unum veniale possit remitti sine alio; neque tunc gravis irreverentia infertur Sacramento, cùm aliundè ponatur materia valida; quamvis fatendum sit, talem committere aliquam irreverentiam ac leve mendacium, cùm confiteatur aliquod veniale, de quo non dolet; nam confitens peccatum hoc ipso exercitè dicit, se dolere de eo, & velle ab eo absolvi.

Dicitur 3tio. *Cum proposito non peccandi de cætero.* Quod pariter contritioni est essentiale: *Lavamini*, ait Isaias c. 1. *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perversè, discite benefacere.* Et S. Augustinus Serm. 7. de temp. *Multi*, inquit, *assiduè se dicunt peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare; professio est, non emendatio; accusatur anima, non sanatur; pronuntiatur offensa, non tollitur.* 75

Disputant inter se Theologi, an istud non peccandi propositum debeat esse formale & explicitum, an verò sufficiat virtuale & implicitum in ipsa vera peccati detestatione semper inclusum. Securior imò verior videtur nobis eorum sententia, qui formale & expressum non peccandi propositum desiderant; tùm quia de illo expressam mentionem facit Scriptura; tùm quia Concilium Tridentinum propositum illud apertè distinguit ab odio peccati; at necesse non fuisset illud distinguere, nisi propositum formale & explicitum postulasset; in odio quippe peccati implicitè semper includitur propositum non peccandi in posterum. Cæterùm si quis tamen, aliundè satis & verè 76

contritus, ex oblivione omitteret propositum formale & expressum non peccandi in posterum, eum ad repetendam taliter factam confessionem adigendum non esse putamus; quia sententia contraria requirens tantùm virtuale propositum communis ac satis tuta videtur.

77 Dicitur 4to. *Cum voto præstandi ea omnia &c.* id est, confitendi peccata, & pro iis divinæ justitiæ satisfaciendi.

§. II.

78 *Quæ sint proprietates Contritionis generatim sumptæ?*

Veram contritionem à falsa secernere Christiani hominis maximè interest. Septem proin communiter assignantur veræ Contritionis proprietates; scilicet ut sit libera, supernaturalis, vera, universalis, efficax, magna, & vehemens.

1mo. Debet esse *libera.* Contritionem liberam non esse sed coactam & per vim extortam censuit Lutherus Serm. 2. de Pœnit. quam totam in terroribus conscientiæ & Legis comminationibus, quibus anima necessariò commovetur, reposuit: Unde nec pœnarum metum bonum esse, nec contritionem præparare ad gratiam, sed hominem hypocritam magisque peccatorem reddere ait. Hunc errorem proscripsit Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 5.

Ratio autem hujusce primæ conditionis est; quia ille actus liber esse debet bonus & honestus, qui à Deo præcipitur, & disponit ad veniam peccatorum obtinendam. Atqui talis est contritio. *Scindite corda vestra*, Joel 2. *Pœnitemini, & convertimini,* ait S. Petrus ad Judæos Act. 3. *ut deleantur peccata vestra.* Terrores verò conscientiæ incussi, de quibus Lutherus, hominem quidem, prout alibi jam annotavimus, ad pœnitentiam excitant, & utcumque ducunt ac præparant, sed eam non constituunt.

2do. Debet esse *supernaturalis* tùm 79
ex parte principii, nempè gratiæ, tùm ex parte motivi & finis. Ex parte principii quidem, quod insinuant hæc verba Jerem. 31. *Converte me Domine, & convertar; postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Concilium quoque Tridentinum Sess. 6. Can. 3. *Si quis*, ait, *dixerit, sine Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Vide dicta in Tract. de Gratia Cap. 5. ubi de necessitate Gratiæ &c. Ex parte motivi verò contritio debet esse supernaturalis; actio siquidem moralis ex motivo præsertim suam speciem desumit: cùm igitur motivum contritionis sit supernaturale, ut quod ex amore Dei saltem initiali & inchoato, ex spe veniæ consequendæ, ex timore pœnæ æternæ, & amittendæ felicitatis, ex turpitudine peccati, quatenus est Dei offensa, & aliis hujusmodi ad ordinem supernaturalem pertinentibus nascatur, necesse est, ut & ipsa supernaturalis sit. Dicimus motivum contritionis esse supernaturale; nulla quippè est contritio, aut saltem ad salutem planè insufficiens, quæ motivô purè naturali nititur: talis fuit contritio Antiochi peccatum deflentis 2. Machab. c. 9. non quòd illud esset offensa Dei, sed propter gravissimum, quo cruciabatur, morbum: talis etiam est contritio eorum omnium, qui vel metu mali, vel spe boni alicujus temporalis, & sine relatione ad Deum, peccata detestantur.

Porro motivum contritionis ac pœnitentiæ sedulò distingui debet ab occasione, qua quis ad pœnitentiam excitatur. V. g. Ninivitæ occasione quidem subversionis urbis, quam imminentem Jonas annuntiabat, in sacco & cinere pœnitentiam egerunt, quæ cùm ipsius Dei ore fuerit commendata, temporale malum

malum illud declinandum pro motivo non habuit, aliàs planè insufficiens fuisset illa pœnitentia: sed illius occasione Deo intùs movente supernaturali motivô concepta fuit. Qua etiam ratione multi ex morbo, vel alia quacumque afflictione, occasionem habent redeundi ad Deum per veram & sinceram de peccatis suis contritionem.

80 3tio. Debet esse *vera & sincera*, non falsa, non fucata, non in sola mentis vel imaginationis superficie, non in verborum inani strepitu vel fictis lacrymis, sed in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena. Ingemiscere quidem, lacrymari, pectus contundere doloris signa sunt non contemnenda; quia tamen *mens humana sibi ipsi mentitur, & de bono opere fingit amare, quod non amat, & de malo non amare, quod amat*, ut ait S. Gregorius Magnus c. 9. primæ partis Regulæ seu Curæ Pastoralis; videndum est, qualis sit ejus, cui pœnitentiæ medela adhibetur, animi affectio. Qui igitur cum ficta contritione, quamquàm eam veram existimaret, ad Sacramentum Pœnitentiæ accederet, ille non modò fructum non perciperet, sed ne quidem ipsum Sacramentum, quia deesset pars essentialis Sacramenti, nempè vera & sincera contritio.

81 4to. *Universalis* esse debet respectu peccatorum mortalium, ita ut dolor se extendat ad omnia mortalia admissa, & adsit propositum omnia omninò mortalia inposterùm vitandi. Ratio clara est; quia nullum peccatum potest remitti absque dolore & detestatione cum proposito emendandi, neque unum peccatum potest remitti sine alio, cùm per quodlibet avertamur à Deo, & nullum remittatur sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ est incompossibilis cum omni mortali. Ergo requiritur, ut dolor se extendat ad omnia mortalia plangenda, & propositum sit de omnibus mortalibus vitandis. Hinc Concilium Lateranense II. C. 22. ait: *Falsam pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.* Equidem non requiritur explicita doloris extensio ad omnia & singula peccata mortalia distinctè recogitata, sed ex communi Doctorum consensu sufficit extensio ejusdem actus doloris implicita ad omnia peccata mortalia generaliter & in confuso apprehensa sub motivo generali & omnibus peccatis communi; ut quod quis per peccata sua infernum meruerit, beatitudine æterna indignum se reddiderit, aut Deum offenderit.

5to. Debet esse *efficax & absoluta*, 82
ita ut excludat omnem affectum ad quodvis peccatum mortale, ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. & contineat propositum firmum servandi omnia mandata, & adhibendi omnia media ad fugam peccati, & mandatorum observationem necessaria, adeò ut quis nullius mali metu, nullius boni amore, velit aliquam legem graviter obligantem transgredi. Quid hìc specialiter observandum sit Confessario respectu pœnitentium recidivorum, seu continuò redeuntium cum iisdem gravibus peccatis dicemus, ubi de absolutione nobis erit sermo.

6to. Debet esse *magna*, & quidem 83
adeò, ut sit *appretiativè* seu, ut alii volunt, *extensivè summa*, ita ut homo oderit ac detestetur peccatum suprà omnia alia mala, sitque paratus omni bonô carere, & quodvis malum pati potiùs, quàm peccare mortaliter: nam contritio necessaria ad justificationem est conversio ad Deum ex toto corde, totalitate appretiationis, ut ajunt, juxta illud Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et Deuteron. 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione*

 animæ.

animæ. Enimverò ſicut Deus eſt ſummum bonum, ideoque ſuper omnia diligendus, ita peccatum, quod eſt Dei offenſa, & ejus amicitiâ ac poſſeſſione hominem privat, eſt ſummum malum, ideoque ſummè ac ſuper omnia mala deteſtandum ac vitandum.

84 7mo. Denique debet eſſe *vehemens*, id eſt, quantùm humana permittit fragilitas, intenſa; quia cùm Deus ſit ſummè diligibilis, & peccatum ſummè odibile, nullus timeri debet exceſſus aut in amore Dei, aut in odio peccati. *Quàm magna deliquimus*, ait S. Cyprianus Tract. de lapſis, *tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit; pœnitentia crimine minor non ſit.* Quamvis igitur optima & optanda ſit intenſa quoad gradus contritionis magnitudo, ea tamen non eſt neceſſaria, tùm quia nullus aſſignari poteſt certus & determinatus intenſionis gradus neceſſarius ad eſſentiam contritionis vel amoris Dei conſtituendam; tùm quia intenſio gradûs non eſt in poteſtate hominis; tùm denique quia intenſio actûs voluntatis ſequitur vehementiam objecti moventis. Atqui objectum ſenſibile naturaliter vehementiùs movet & afficit voluntatem, quàm objectum intelligibile aut ſpirituale. Unde ſicut amor bonorum ſenſibilium poteſt eſſe intenſior quàm ſpiritualium, ita & dolor, qui ex malis ſenſibilius percipitur, intenſior eſſe poteſt, quàm ille, qui concipitur propter mala ſpiritualia, cujuſmodi ſunt peccata, idque citra culpam hominis, propterea, quòd homo, in corpore corruptibili conſtitutus, vehementiùs moveatur tàm bonis quàm malis ſenſibilibus, etiamſi ea abſolutè non magis diligat aut deteſtetur modô appretiativô; quod exemplô Sanctorum Virorum comprobatur. Jacob Geneſ. 37. David 2. Reg. 19. longè vehementioris doloris ſigna dedêre pro morte filiorum ſuorum, quàm pro ſuis peccatis. Minùs verò requiritur certum ac determinatum tempus ad eliciendam veram contritionem. *In pœnitentia*, ait S. Auguſtinus Enchirid. cap. 5. *non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris.* Idque patet exemplô Davidis, qui mox ac peccatorum ſuorum gravitatem intellexit, ea deteſtans dixit, *Peccavi Domino.*

Cæterùm ſedulò explorare debet Con- 85
feſſarius, an vera ſit pœnitentis contritio, priusquam abſolutionis beneficium ipſi impendat; iſta quippe Sacramenti pars longè frequentiùs, quàm cæteræ, deeſſe ſolet, adeò ut ſi ſemel aut bis Sacramentum irritum fuerit defectu vel poteſtatis in Miniſtro, vel integræ confeſſionis in pœnitente, decies invalidè conferatur defectu veræ & ſinceræ contritionis. Expendat igitur diligenter, quale ſit pœnitentis motivum, an voluntatem peccandi excludat, & cum ſpe divinæ miſericordiæ ſit conjuncta; utrum dolor ejus ſupernaturalis ſit; utrum affectus ille doloris ſit ſummus ex intimo corde procedens, & ita ex toto corde, ut omne aliud quantumcumque malum minùs timeat, quàm peccatum: quorum omnium certius habere non poteſt argumentum, quàm ex mutatione vitæ, fugâ peccati, & ipſius occaſionum, ex praxi ſeu exercitio bonorum operum.

§. III.

An & quomodò Contritio ſit neceſ- 86
ſaria, & quando præcipuè obliget?

Quæſtio hîc procedit de Contritione generatim ſumpta, & prout abſtrahit à perfecta vel imperfecta, atque ſufficiens eſt ad reconciliandum peccatorem cum Deo. Quo prænotato

1mo. Contritio peccatori ad obtinendam peccatorum mortalium remiſſionem eſt

est planè necessaria, & quidem absolutè seu necessitate medii. Id clarè expressum habemus in Scripturis. Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Undè Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 4. ait: *Quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motum fuisse necessarium.* Et S. Augustinus lib. de duabus animabus cap. 14. ait: *Posse quidem aliquem dicere, se non peccare, at nullam esse barbariem, quæ dicere audeat, non esse pœnitendum, si peccaverit.* Ex quo patet, Contritionem etiam de jure divino præceptam esse; nam omnia media ad salutem necessaria etiam ratione sui à Deo præcipiuntur. Atqui Contritio est medium à Deo constitutum & necessarium ad reconciliationem peccatoris cum eo, ut ex dictis patet. Deinde ratione sui Contritio præcepta est lege justitiæ cujusdam ad Deum, ex qua tenemur, quantùm in nobis est, resarcire injuriam Deo illatam modô ex natura rei conveniente, & à Deo instituto; talis autem est Contritio. Hinc peccator, qui elicuit actum charitatis perfectæ, tenetur adhuc, non quidem ex necessitate medii, sed præcepti duntaxat, Contritionem elicere; atque omissio Contritionis præceptæ est speciale peccatum contra virtutem Pœnitentiæ.

87 2do. Contritio vel Pœnitentia aliqua seu displicentia ac retractatio vel formalis, vel saltem virtualis, necessaria est justo ad remissionem venialium peccatorum.

Nam 1mo. Concilium Tridentinum suprà laudatum indistinctè asserit *ad impetrandam veniam peccatorum necessarium esse motum Contritionis.* Atqui peccata venialia vera sunt peccata. 2do. Id etiam apertè asserit S. Augustinus Ep. 48. ubi ait: *Nec quemquam putes à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* 3tio. Sapientiæ & Justitiæ divinæ planè convenit, ut omnis offensa Dei propria voluntate admissa sine retractatione ac displicentia saltem virtuali non remittatur. Ergo rectè creditur Deus, qui connaturalem rerum exigentiam ac convenientiam semper servat, statuisse, ut peccata etiam venialia, non condonarentur sine aliqua eorum pœnitentia saltem virtuali, quæ consistit in actu supernaturali virtutis alicujus, vi cujus displiceret illud peccatum, si memoriæ occurreret. Hæc de necessitate Contritionis.

Quantùm verò ad tempus obligationis hujus præcepti, non consentiunt Doctores. S. Bonaventura, Alensis, Silvester, & alii ex veteribus Scholasticis, volunt præceptum Contritionis obligare statim ac peccatum mortale commissum fuit, aut quoties quis recordatur peccati mortalis commissi: Negat S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quem communiter sequuntur Theologi, cum quibus proinde sit

CONCLUSIO. 88

Probabilius est, Contritionis præceptum non statim obligare post peccatum commissum; nec quoties peccatum memoriæ occurrit.

Prob. 1ma pars. Tùm quia hic esse videtur omnium Confessariorum & Pœnitentium sensus; illi siquidem hanc circumstantiam in confessione nunquam examinare; isti verò nunquam declarare solent: Sequitur ergo, vel innumeros doctissimos simul ac piissimos Confessarios & Pœnitentes æternùm damnandos fore; illi quidem quòd hanc circumstantiam in confessione examinare omiserint; isti verò quòd eam declarare neglexerint; vel rigidam illam Veterum opinionem omni probabilitate destitutam esse. Atqui prius asserere omninò temerarium videtur. Ergo posterius tenendum est. Tùm quia, in hac veterum Scholasticorum

rum opinione, ſi novum committitur peccatum, tot erunt numerô multiplicanda peccata, quot temporis momenta effluxerint à peccato commiſſo, & omiſſa contritione. Tùm quia præceptum contritionis eſt affirmativum, quod non obligat niſi tempore neceſſitatis. Tùm quia ſicut alia media ad ſalutem neceſſaria, nempè fidem, Baptismum, Confeſſionem, ſtatim uſurpare non tenemur, ita nec pœnitentiam.

89 Prob. 2da pars. Tùm quia obligatio reliquorum præceptorum ex neceſſitate rei ſumitur, non ex memoria aut intelligentia noſtra. Tùm quia nullum extat tale Dei mandatum, ut peccata deteſtemur, quoties memoriæ occurrunt. Tùm quia non peccat mortaliter, qui non diligit Deum, quantumcumque divina bonitas proponatur omni dilectione digniſſima, niſi neceſſitatis articulus intercedat. Idem de præcepto Fidei & Spei videre licet. Ergo à pari.

Dices 1mo. Voluntariè permanere in ſtatu peccati mortalis & inimicitiæ cum Deo intrinſecè malum eſt; omni enim momentô tenemur ceſſare à peccato mortali. Atqui cogitans de peccato mortali à ſe commiſſo, & non ſtatim contritionem eliciens, voluntariè vult permanere in ſtatu inimicitiæ cum Deo. Ergo peccator poſt peccatum commiſſum aut de peccato commiſſo cogitans ſtatim contritionem elicere tenetur.

Reſp. Diſt. maj. Voluntariè permanere &c. poſitivè, volendo ſcilicet peccatum & inimicitiam cum Deo, conc. Sic enim adhuc actu peccatur, ſicque veriſſimum eſt, nos omni momentô teneri ceſſare à peccato, actuali nimirùm voluntate vel complacentia peccati. Voluntariè permanere &c. negativè tantùm, ac ſuſpendendo omnem voluntatis actum, ſcilicet nec volendo nec nolendo peccatum commiſſum, neg. maj.

Inſt. Quando quis voluntariè non vult 90
pœnitere de peccato commiſſo, hoc ipſo poſitivè, ſaltem implicitè, vult peccatum ipſum. Ergo &c. Prob. ant. Omnis, qui voluntariè non tollit cauſam alicujus effectus, implicitè, aut ſaltem indirectè vult effectum illum: & voluntariè nolens ponere cauſam deſtructivam alicujus mali, indirectè ſaltem vult ipſum malum. Ergo qui per contritionem non tollit peccatum à ſe commiſſum, vult ipſum peccatum.

Reſp. Neg. ant. ad ejus prob. Diſt. ant. Qui non tollit cauſam, quam tamen tollere tenetur, conc. Secùs, neg. ant. & conſ. Quando enim effectus aliquis non per ſe, ſed per accidens, ſequitur ex aliqua cauſa, is nobis non cenſetur voluntarius indirectè in illa cauſa poſita vel ablata, niſi quando tenemur illam cauſam amovere, juxta communem Theologorum doctrinam in Tract. de Act. Hum. à nobis traditam. Cùm ergo nullum extet præceptum ſtatim applicandi cauſam deſtructivam peccati, ſcilicet contritionem, poſtquam commiſſum eſt, ac de eo cogitamus, ideò permanſio in inimicitia Dei nobis nec vel indirectè voluntaria eſt, ſed tantùm permittitur: permiſſio autem mali, quod hîc & nunc impedire non tenemur, ſecundùm omnes non eſt peccatum.

Dices 2do. Ex præcepto Charitatis 91
erga ſe ipſum tenetur quis ſtatim adhibere Medicinam in morbis periculoſis corporis ad evitandum vitæ corporeæ diſcrimen. Ergo multò magis tenetur quis ſtatim adhibere medicinam in lethali morbo ſpirituali peccati ad evitandum diſcrimen æternæ damnationis.

Reſp. Neg. conſ. & parit. Ratio diſparitatis manifeſta eſt, quia vita corporea ſemel amiſſa recuperari ampliùs non poteſt; & ideò urgente periculoſo morbo quilibet ſtatim tenetur adhibere remedia,

remedia, ne patiatur irreparabile damnum. At verò vita spiritualis semper, dum vivimus, recuperari potest.

92 Dices 3tio. Injuriam passo statim post illatam injuriam satisfaciendum est; sic qui primùm læsit in bonis fortunæ vel famæ tenetur statim satisfacere, alioquin peccat, quamdiu in mora est. Atqui per peccatum Deo fit injuria. Ergo ea statim post admissum peccatum per contritionem resarcienda est.

Resp. Dist. maj. Injuriam passo statim satisfaciendum est, quando injuria est damnosa, ideoque dilatio satisfactionis novum damnum infert, prout ferè semper evenit in injusta læsione proximi, conc. Quando injuria non est damnosa, nec consequenter ex dilatione satisfactionis injuriato damnum aliquod infertur, prout res se habet in negativè voluntaria perseverantia in peccato per breve tempus, neg. maj. &c.

93 Porro quamvis tueamur, cum communi Theologorum, Contritionis præceptum non statim obligare post peccatum commissum; nec quoties peccatum memoriæ occurrit, certum tamen esse volumus 1mo. Optimam esse eorum praxim, qui peccatum statim, ac commissum fuit, detestantur juxta illud Eccli. 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum.* Rationem reddit S. Gregorius Magnus Homil. 11. in Ezech. *Quia peccatum, quod non fuit pœnitentiâ deletum, suo pondere trahit ad aliud.*

2do. Certum est, præceptum Contritionis obligare in quolibet articulo necessitatis, quemadmodùm reliqua omnia præcepta affirmativa: hinc 1mo. obligat in articulo mortis. 2do. Cùm quis tenetur administrare vel suscipere Sacramentum aliquod, vel quemcumque alium actum exercere, qui in homine præviam gratiam requirit. 3tio. Cùm ex defectu Contritionis aut pœnitentiæ morale periculum est futuræ indurationis & impœnitentiæ.

3tio. Pariter certum est, peccatorem non debere nimis diu & longo valdè tempore differre pœnitentiam seu contritionem, adeò ut voluntariè & ex proposito eam nimis differendo novum peccatum mortale impœnitentiæ committat. *An ignoras*, inquit Apostolus Rom. 2. *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & justi judicii Dei.* Ratio ex parte Dei est; quia tamdiu deliberatè differre compensationem injuriæ Deo per peccatum illatæ, moraliter censetur importare novam injuriam. Ratio autem ex parte hominis est; quia is tamdiu in statu peccati mortalis persistendo gravissimam spiritualium bonorum jacturam, manifestum graviùs adhuc labendi periculum, & tandem in malo indurationem incurrit; prout Apostolus laudatô locô insinuat, atque ex S. Gregorio suprà citato constat; necnon Concilium Milevitanum innuit, dum Can. 3. docet, *Hominem sine gratia sanctificante diu servari non posse sine lapsu peccati mortalis.*

Quanta verò debeat esse dilatio & procrastinatio pœnitentiæ, ut ejus negligentia grave peccatum esse censeatur, vix certò definiri potest. Præceptum enim Pœnitentiæ affirmativum est, nec obligat semper ac pro semper, sed pro loco & tempore. Igitur prudenti judicio Confessarii, spectatis circumstantiis personæ, tentationum, occasionum, &c. relinquendum est. Hoc unum omnibus probatur, eam ultra annum differri non posse sine novo impœnitentiæ peccato.

4to. Probabilius est præceptum contritionis non obligare singulis diebus festis, ut vult Scotus in 3. dist. 17. Ratio est; quia obligatio asserenda non est, nisi

nisi ratio vel lex cogat. Atqui neutra cogit ut singulis diebus festis contritio eliciatur. Ergo &c. Nam tertium Decalogi præceptum, *Memento, ut Diem Sabbati sanctifices*, prout in nova Lege determinatum est ab Ecclesia, non requirit aliam sanctificationem quàm audiendi Sacrum & abstinendi ab operibus servilibus; utrumque autem præstari potest ab eo, qui est in peccato mortali ita, ut quoad substantiam præcepto satisfiat. Et licèt fortè finis præcepti sit, ut sic homo placeat Deo, finis tamen præcepti non cadit sub præceptum; ut dictum est in Tract. de Legibus. Certè hæc Scoti sententia videtur etiam periculosa, tendens ad peccatores à Missæ Sacrificio & sanctificatione dierum Festorum, ne scilicet novô fortè se obstringant peccatô, retrahendos.

§. IV.

94 ### *Quotuplex sit Contritio in genere sumpta?*

Ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. Contritio dividitur in *perfectam* & *imperfectam* quæ *Attritio* dicitur, adeoque hæ binæ sunt Contritionis generatim sumptæ species, prout initio hujus Capitis jam annotavimus.

Contritio perfecta est animi dolor ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero, ex motivo perfectæ charitatis concepta; nempè quia peccatum est offensa Dei super omnia dilecti propter se, hoc est, propter suam infinitam amabilitatem & bonitatem absolutam. Hæc contritio à Concilio Tridentino, prout jam in Tract. de Virtut. Theol. part. 3. cap. 1. annotavimus, vocatur *charitate perfecta*, id est, quæ charitate perficitur, aut ex motivo perfectæ charitatis elicita est. Hinc perfecta contritio continet formaliter actum perfectæ charitatis: charitas autem perfecta, prout cit. cap. 1. part. 3. Tract. de Virt. Theol. memoravimus illa est, qua Deus super omnia, & quidem intensè, hoc est, cum magno fervore, diligitur. Porro contritio perfecta à Doctoribus communiter dicitur simpliciter contritio, quia omninò & perfectè convertit & immutat peccatorem, ductâ à corporibus duris analogiâ, quæ, cùm perfectè conteruntur, in minutissimas partes dividuntur, sicque omninò immutantur, aliamque induunt speciem.

Contritio imperfecta alio nomine *Attritio* dicta est dolor animi ac detestatio 95
peccati cum proposito non peccandi imposterùm ex alio supernaturali honesto motivo quàm charitatis perfectæ; putà *ex metu gehennæ & pœnarum, vel ex turpitudinis peccati consideratione*, ut ait Concilium Tridentinum loc. cit. Vocatur *Attritio* (quæ vox primùm Sæculô 13tiô usurpari cœpit à Theologis) quia peccatorem non perfectè conterit & immutat seu convertit sine Sacramento Pœnitentiæ, ductâ similiter analogiâ à corporibus duris, quæ dum atteruntur tantùm, in majores partes dividuntur, & sic imperfectè tantùm immutantur.

Contritio & Attritio seu Contritio 96
perfecta & imperfecta essentialiter & specie differunt: nam actus habentes motiva specie diversa essentialiter & specificè differunt, cùm actus speciem suam desumant ab objecto formali seu motivo: At motiva Contritionis & Attritionis sunt diversa, ut patet.

Motiva Attritionis juxta Concilium Tridentinum suprà laudatum communiter ad tria reducuntur, 1mo. Ad *turpitudinem peccati* non quidem naturalem, sed quatenùs animam coram Deo deturpat, maculat, ornatu gratiæ ac meritis privat, Deo exosam ac inimicam reddit. 2do. Ad *metum gehennæ*; seu etiam Purgatorii. 3tio. Ad *metum pœnarum*, non

non prout naturaliter eveniunt, ac vel naturali connexione vel humana ordinatione ad peccatum conſequuntur, ut ſupplicia, infamia, &c. ſed quatenùs ad Deum referuntur, nimirum quando tanquam à Deo peccatis offenſo, juſtoque ſcelerum vindice immiſſa vel permiſſa conſiderantur.

§. V.

97 *An Contritio perfecta non tantùm in caſu neceſſitatis, ſed ordinariè, etiam extra Sacramentum hominem Deo reconciliet?*

Apud omnes recepta eſt ſententia, per Contritionem imperfectam ſeu Attritionem homini peccatori ſine Sacramento Pœnitentiæ actu ſuſcepto juſtitiam non conferri: Contritionem verò perfectam remiſſionem peccatorum operari, & hominem Deo reconciliare etiam ante Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſceptum, licèt non ſine voto ejuſdem, apertè innuunt S. Scriptura & Patres locis à nobis in Tract. de Baptiſmo cap. 3. §. 4. adductis; quibus aſſeruimus Catechumenos à peccatis purgari per votum Baptiſmi cum vera & perfecta contritione vel charitate conjunctum. Id etiam expreſſis verbis tradit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 4. cujus verba mox dabimus.

Bajus Doctor Lovanienſis, Janſenius Yprenſis, & Eſtius in 4. Diſt. 17. §. 2. negant Contritionem perfectam juſtificare extra uſum Sacramenti Pœnitentiæ, niſi in certis caſibus, putà Martyrii, vel mortis, ſi deſit copia Confeſſarii.

98 Aliqui verò ex Recentioribus duplicem diſtinguunt Charitatem, qua Deus ſuper omnia diligitur, unam ſcilicet intenſam, quam ſolam vocant perfectam, & alteram remiſſam, quam imperfectam, & inchoatam duntaxat, appellant. Hinc etiam contritionem, quæ concipitur ex amore Dei ſuper omnia propter ſe dilecti duplicem diſtinguunt, unam perfectam, quæ concipitur ex amore Dei ſuper omnia propter ſe intensè dilecti; & alteram imperfectam, quæ concipitur propter Deum ſuper omnia propter ſe remiſsè dilectum: perfectam dicunt ſemper juſtificare etiam extra Sacramentum, imperfectam verò ſolùm in Sacramento, excepto caſu neceſſitatis. Verùm alii hanc charitatis diviſionem, de qua in Tract. de Virt. Theolog. part. 3. cap. 1. jam aliqua tetigimus, rejiciunt, atque quemlibet amorem Dei ſuper omnia propter ſe, ſive remiſſus ſit ſive intenſus, perfectum eſſe aſſerunt. At quia aliundè certum eſt, quòd Charitas qua Deus intensè diligitur longè perfectior ſit eâ, qua remiſsè duntaxat diligitur, certum quoque videtur hanc charitatem, qua ſcilicet Deus remiſsè tantùm diligitur, ubi tamen ea, qua intensè diligitur, haberi poteſt, reſpectu illius imperfectam dici debere, ac proindè contritionem, quæ concipitur propter Deum remiſsè duntaxat dilectum, etiam imperfectam dici debere reſpectu illius contritionis, quæ concipitur propter Deum intensè dilectum; neque ſufficere ad juſtificationem extra Sacramentum; cùm ad hoc ſemper requiratur, ut ab intenſa charitate procedat, quamvis illius gradus, quamdiu hìc in terris vivimus, in noſtra poteſtate haud ſint, prout cit. Tract. de Virt. Theolog. part. 3. cap. 1. & cap. 4. §. 3. Concluſ. 2. in not. animadvertimus.

Quòd ſi per remiſſam illam charitatem ea intelligatur, quæ intenſa quidem eſt, ſed in gradu remiſſo, nec in ſuperiori & intenſiori haberi poteſt; ultrò cum illis Theologis dicendum videtur, hujusmodi charitatem, quantùm nempe humana permittit fragilitas, perfectam eſſe; neque enim ultra vires noſtras intenſum Dei amorem habere tenemur, quam-

quamvis sine intensione seu fervore possibili esse nec possit nec debeat. Sed hîc lis de nomine esse videtur.

99 CONCLUSIO.

Contritio perfecta, quæ ex motivo perfectæ charitatis concipitur, non tantùm in casu necessitatis, sed semper hominem Deo reconciliat, priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, nulla facta distinctione casûs necessitatis & ordinarii, vim tribuit sanctificandi hominem & purgandi peccata. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit*, Ezech. 33. *Charitas operit multitudinem peccatorum &c.* 1. Pet. 4. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus*, 1. Joan. 3.

100 Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. ubi S. Synodus docet, *Etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Ergo ex his Concilii verbis omnis Contritio charitate perfecta reconciliat hominem Deo etiam extra Sacramentum; propositio enim hæc Concilii est indefinita, ideoque universalis. Nec refert, quòd Concilium voce *aliquando* utatur, quasi tantùm aliquando & in certis casibus Contritio hominem justificaret; non ita est; namque Concilium hanc vocem *aliquando* non conjungit cum his verbis, *hominemque Deo reconciliare*, sed cum his aliis, *Charitate perfectam esse*, ita ut sensus sit, Contritionem, quam aliquando charitate perfectam esse contingit, hominem reconciliare, priusquàm Sacramentum actu recipiatur. Refert Pallavicinus Hist. Concil. Trident. lib. 12. cap. 10. adeò persuasum fuisse Tridentinis Patribus virtutem illam semper inesse Contritioni perfectæ, ut jam paratus fuerit Canon, quo definiretur, hancce veritatem fide divina esse credendam, nisi Archi-Episcopus Calaritanus exposuisset, hujusmodi quæstionem pertinere ad Scholæ controversias.

Prob. 3tio. Auctoritate SS. Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui hanc Baji propositionem numerô 71mam damnârunt: *Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* 101

Prob. 4to. Ex SS. Patribus. S. Augustinus Tract. 1. in Epist. Joannis cap. 1. *Sola ergo charitas*, ait, *extinguit delicta.* S. Chrysostomus Homil. 7. in 2. Ep. ad Timoth. *Ubi charitas est*, inquit, *omnia sublata sunt mala.* S. Leo Ep. 82. ad Theodor. *Apud Deum*, ait, *nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: cùm conversus ingemueris, salvus eris.* 102

Prob. 5to. Ratione. 1mo. In Lege veteri perfecta contritio peccata delebat; per eam David & Manasses veniam consecuti sunt. Atqui Lex Evangelii nihil detraxit efficaciæ perfectæ contritionis, sed solummodò novum addidit mandatum de percipiendis Sacramentis, quibus certè infirmitati nostræ occurrere voluit Christus, ut, qui perfectam non habent contritionem, saltem per imperfectam simul cum Sacramento veniam peccatorum impetrare possint. 2do. Contritio perfecta, fatentibus ipsismet Adversariis, sufficit in articulo mortis ad remittenda peccata. Ergo semper sufficit; quia hanc veritatem non habet præcisè propter articulum mortis, sed ex sua propria perfectione. 103

Solvun-

104 ## *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Mulier peccatrix, de qua Luc. 7. priùs *multùm dilexit*, quàm veniam peccatorum à Christo consecuta fuerit. *Remittuntur ei peccata multa*, inquit Christus, *quia dilexit multùm.* Non ait, *quia diligit*, sed *quia dilexit.* Ergo priùs dilexit, quàm veniam peccatorum obtinuerit. Ergo charitas perfecta esse potest sine remissione peccatorum.

Resp. Dist. ant. Priùs dilexit &c. prioritate naturæ, conc. Prioritate temporis, neg. ant. Nam ultima dispositio & forma sunt simul tempore. Deindè, cùm Christus dixit: *Remittuntur ei peccata multa*, non veniam primò concessit, sed jam collatam confirmavit.

105 Inst. S. Augustinus Serm. 99. de verb. Evang. aliàs Hom. 23. inter 50. de illa peccatrice Luc. 7. sic loquitur: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda, accessit ægra, ut rediret sana.* Atqui his verbis S. Doctor videtur supponere non fuisse mundatam, antequam audierit hanc Christi sententiam: *Remittuntur ei peccata multa.* Ergo &c.

Resp. Eo loci S. Augustinum loqui de mulieris accessu adæquatè sumpto, prout nempe accessus ille complectitur propositum veniendi ad Christum, & ejusdem mulieris progressum, donec Christi præsentiâ frueretur, & in ejus amore exardesceret. Vel certè dici potest, eam accessisse immundam, quia paulò ante talis erat, & palam habebatur adhuc peccatrix, licèt interiùs jam mundata fuisset.

106 Ob. 2do. Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 7. statuit neminem peccati mortalis conscium, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad S. Eucharistiam accedere debere. Ergo Concilium censet hominem non semper justificari per Contritionem perfectam.

Resp. neg. cons. Nam Concilium id statuit ad majorem cautelam accedentis ad sacram mensam, & ad majorem reverentiam Sacramenti. Valdè enim difficilis & ardua, ac proinde satis infrequens est perfecta contritio; quo fit, ut multi, qui eam habere sibi videbantur, eam tamen non haberent, & consequenter ad Eucharistiam indignè accederent.

Ob. 3tio. S. Leo Epist. 82. ad Theod. 107 *Divinæ*, inquit, *bonitatis præsidiô ordinatum est, ut indulgentia Dei nisi supplicatione*, id est, absolutione, *Sacerdotum nequeat obtineri.* Ergo contritio perfecta sine Sacramento Pœnitentiæ non justificat.

Resp. Dist. cons. Sine Sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto suscepto, conc. In re suscepto, neg. cons. Reconciliatio peccatoris, ut observat Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 4. contritioni non adscribitur, nisi quatenùs includit votum Sacramenti Pœnitentiæ.

Ob. 4to. Si Contritio perfecta ordi- 108 nariè hominem Deo reconciliaret, priusquàm actu Sacramentum suscipiatur; non satis appositè videretur esse dictum à Patribus, quòd *sententia Petri præcedat sententiam Cœli*, seu quòd priùs Sacerdos in terra solvat, & posteà Deus hanc solutionem rati habeat; cùm perfectam contritionem habens, antequam ad Sacerdotem accedat, jam solutus sit in Cœlo. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. Nam cùm perfecta Contritio ad gratiam in Sacramento recipiendam non sit absolutè necessaria, ut posteà dicetur, atque in paucis reperiatur pœnitentibus, ordinariè Petri seu Sacerdotis sententia præcedit sententiam Cœli. Imò quia contritionem perfectam habens non solvitur nisi cum conditione petendi absolutionem à Sacerdote, primùm per sententiam Sacerdotis perfectè & absolutè solvitur, quæ absolutio deindè

 à Deo

à Deo ratihabetur; & sic semper sententia Petri præcedit sententiam Cœli: ex quibus etiam facilè eruitur, quomodò realis Sacramenti perceptio non modò non sit inutilis, sed omninò necessaria.

109 Ob. 5to. Actus Fidei ita requiritur ad justificationem adulti, ut nunquam ejus votum sufficere possit. Ergo etiam votum Sacramenti Pœnitentiæ in Contritione inclusum non potest justificare sine actuali perceptione Sacramenti.

Resp. neg. conf. & parit. Disparitas est, quia tùm ex Scriptura tùm ex Traditione Patrum constat, hominem per actum Contritionis perfectæ, & cum solo voto Sacramenti Pœnitentiæ justificari; at de fide non idem constat. Et aliundè quia fides est prima radix justificationis, nec datur alius actus supernaturalis prior, qui ejus votum contineat, & propter suam excellentiam possit ejus vices supplere, omninò sequitur ipsummet actum fidei ad justificationem adultorum requiri.

§. VI.

110 *An Contritio perfecta sit dispositio necessariò prærequisita ad percipiendum cum fructu Sacramentum Pœnitentiæ?*

Affirmativam tenuêre plures Theologi tùm ante Concilium Tridentinum, ut Hugo Victorinus, & alii; tùm post idem Concilium, ut Medina, Gabriel, Marianus Victorinus. Equidem in Concilio Tridentino non defuêre, qui, ut scribit Pallavicinus lib. 12. Hist. Concil. Trident. cap. 10. contenderent, ejusmodi sententiam censuræ esse subjiciendam; sed à censura abstinuêre Patres, quia potiùs ad quæstionem Scholæ eam pertinere ipsis visa est.

Sententia negans certa videtur, atque jam communiter inter Scholæ Theologos recepta est. Undè sit

CONCLUSIO. 111

Contritio perfecta non est dispositio necessariò prærequisita ad Sacramentum Pœnitentiæ debitè percipiendum.

Prob. 1mo. Ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. ubi ait: *Contingere aliquando, contritionem esse charitate perfectam, & hominem Deo reconciliare, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur.* Si autem aliquando contingit contritionem esse perfectam, & reconciliare ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, tunc etiam sæpiùs, juxta idem Concilium, contingit illam esse imperfectam seu minùs perfectam, & reconciliare hominem Deo cum Sacramento tantùm: Contritio igitur perfecta non est ordinaria & necessaria dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Prob. 2do. Gravissimô istô momentô, 112 quod in Scriptura sacra & Traditione fundatum est. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per se ad suscitandos homines à morte peccati; & ideò dicitur Sacramentum mortuorum, sicut & Baptismus. Ergo ex institutione sua vim habet conferendi primam gratiam, & expellendi peccatum mortale; alioquin non esset remedium fini proportionatum. Ergo necesse non est, ut supponat jam dimissum peccatum per Contritionem perfectam, aliàs nusquam efficeret id, ad quod efficiendum est à Christo institutum.

Objectionibus, quæ hîc fieri possunt, commodiùs infrà §. 8vô. respondebimus, ubi scilicet expendemus, an & qualis amor Dei requiratur, ut Attritio sit dispositio sufficiens ad Sacramentum debitè percipiendum.

§. VII.

§. VII.

113 *An Attritio ex metu gehennæ concepta ſit bona?*

Superiùs ex Concilio Tridentino Seſſ. 14. c. 4. retulimus, Contritionem imperfectam ſeu Attritionem eſſe eam, quæ ex metu pœnarum gehennæ, aut ex conſideratione turpitudinis peccati &c. vel alio motivo ſupernaturali diſtincto à motivo charitatis perfectæ concipitur.

De ea Attritione hîc præcipuè nobis ſermo eſt, quæ ex metu ſeu timore pœnarum gehennæ concipitur, atque definiendum an ea bona ſit necne.

Jam ſuprà Tom. 3. Theolog. noſtræ Tract. 3. de Virtut. moral. part. 2. de Virt. Spei cap. 5. de effectibus Spei &c. annotavimus triplicem vulgò diſtingui metum ſeu timorem, *Filialem* ſcilicet, quo timetur offenſa Dei; *Initialem*, quo timetur ſimul pœna & culpa, ſic dictum, quia eſt inchoatio timoris filialis; & *Servilem*, quo timetur pœna ob peccata infligenda: Duo in hoc ſervili timore conſideranda eſſe ibidem diximus, unum quod eſt ipſi intrinſecum & eſſentiale, nempe fugam pœnæ: Alterum, quod eſt ipſi extrinſecum & accidentale, nimirùm ipſam ſervilitatem ſeu repugnantiam, cum qua peccator gehennæ metu abſtinet ab iis, quæ malè concupiſcit; vel ut cum vulgo Theologorum loquamur, Timor ſervilis alius eſt *ſimpliciter ſervilis*, quo timetur pœna propter ſe; alius verò *ſerviliter ſervilis;* quo quis ita pœnam timet, ut actu paratus eſſet peccare, ſi abeſſet pœna.

114 Has omnes timoris ſeu metûs ſpecies ſatis fusè loc. cit. proſecuti ſumus, atque oſtendimus timorem filialem, qui & *caſtus* dicitur, optimum eſſe; initialem verò bonum; ſervilitatem verò ipſam ſeu timorem ſerviliter ſervilem malam eſſe. Quæ quidem omnia facilè ab omnibus admittuntur. Tota igitur controverſia eſt circa timorem ſervilem, quatenùs præcisè eſt fuga pœnæ, ſeu quatenùs eſt ſimpliciter ſervilis. Acatholici & Janſeniſtæ eum vituperant tanquam malum putantes illum voluntatem peccandi non excludere, ſcilicet non diſtinguunt inter ſervilitatem timori adjunctam ſeu timorem ſerviliter ſervilem, & ipſum gehennæ timorem eſſentialiter ſpectatum, ſeu ſimpliciter ſervilem. At nos ibidem abundè probavimus, inter hos binos timores apertum intercedere diſcrimen, atque illum quidem eſſe malum, hunc verò bonum. Ex quo ſequitur apertè Attritionem ſeu dolorem præcisè ſeu ex motivo timoris gehennæ conceptum etiam bonum eſſe. Undè ſit

CONCLUSIO. 115

Attritio concepta ex motivo timoris gehennæ bona eſt & laudabilis, atque Dei donum.

Prob. 1mo. Ex Scriptura cit. cap. 5. part. 2. Tract. de Virtut. Theol. laudatâ. Ubi vide.

Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino ibid. laudato. Item Seſſ. 14. c. 4. ubi ait, Attritionem ex metu gehennæ conceptam, *ſi voluntatem peccandi excludat, non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, &c.* Et Can. 5. anathema ferit eum, qui dixerit, talem *Attritionem non eſſe verum & utilem dolorem.* Perſtringit hîc Concilium Lutherum, qui aſſerere auſus eſt, hunc timorem non modò nec verum nec utilem eſſe, ſed etiam reddere hominem magis hypocritam. Eos verò Theologos, quos Janſeniſtas dicunt repreſſit Alexander VIII. dum annô 1690. hanc eorum proſcripſit propoſitionem: *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur,* 116

cipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

117 Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, quos cit. cap. 5. in Concluf. laudavimus. Quibus hîc S. Chrysostomum addimus. *Quid gehennâ gravius*, inquit Hom. 15. ad pop. Antioch. *sed hujus metu nihil utilius: gehennæ namque timor, nobis regni coronam affert.... nisi bonus esset timor, non multos Christus impendisset sermones, & longos de illa pœna & supplicio loquens.*

118 Prob. Ratione sæpè cit. c. 5. in Concluf. adducta, cui hæc subjici adhuc potest. Timor gehennæ tùm ex fine suo, tùm ex medio, quo ad finem suum tendit, bonus est. Ergo omni ex parte bonus est ac honestus. Prob. ant. 1mo. Quoad finem: Finis proximus timoris istius est fuga pœnæ maximæ formidandæ, scilicet privationis possessionis Dei. Atqui talis fuga est bona & honesta; nam timor mali alicujus sumit rationem suam, & consequenter honestatem, ex bono illo, cui tale malum opponitur, at bonum illud, cui gehennæ malum opponitur, nempe possessio Dei, per se maximè honestum est ac amabile. Ergo &c.

Prob. idem ant. 2do. Quoad medium, quo timor ille ad finem suum tendit: Medium, quo utitur timor ad pœnam fugiendam, est emendatio vitæ, detestatio peccati, firmum propositum illud de cætero non committendi. Atqui hæc bona sunt. Ergo & talis timor, consequenter Attritio ex tali timore concepta bona est & honesta.

119 Confirmatur. Timor gehennæ cupiditatem reprimit, charitati locum & viam parat; *Locum præparat charitati*, ait S. Augustinus Tract. 9. in 1. Epist. Joan. *per timorem homo à malo abstinet, fit in ipso consuetudo justitiæ, & amare incipit, quod ei durum erat &c.* Ergo timor gehennæ, ac proindè Attritio seu dolor ex ipso conceptus bonus est ac laudabilis.

Solvuntur Objectiones. 120

Ob. 1mo. Timor gehennæ opponitur charitati, per quam ipse expellitur, juxta illud 1. Joan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ergo talis timor rectus, laudabilis, & donum Dei non est.

Resp. huic Objectioni jam sæpè cit. cap. 5. part. 2. Tract. de Virt. Theolog. satisfecimus. Distingui hîc potest ant. Opponitur charitati negativè seu exclusivè sicut magis perfectum excludit minùs perfectum, v. g. visio beatifica fidem & spem, conc. Opponitur charitati contrariè & tanquam malum contrarium, subdist. Timor mundanus & serviliter servilis conc. Timor simpliciter servilis, quo timetur gehenna propter se, & offensa divina propter gehennam, neg. ant. & conf. vid. dicta loc. cit.

Ob. 2do. Timor, qui non excludit peccandi voluntatem, sed eam potiùs supponit, bonus non est, nec supernaturalis. Atqui talis est gehennæ timor. Ergo. Prob. min. ex S. Augustino, qui Epist. 145. aliàs 144. ait: *Inaniter ille putat se esse victorem peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis.* Et posteà: *Inimicus justitiæ est, qui timore pœnæ non peccat; nam qui gehennas metuit, peccare non metuit, sed ardere.* 121

Resp. neg. min. Nam quisquis vult finem, necessariò etiam vult media ad finem necessaria. Ergo quisquis vult vitare gehennam, necessariò etiam vult media ad vitandam gehennam necessaria. Atqui depositio omnis affectûs ad peccatum mortale est medium necessarium ad vitandam gehennam. Ergo quisquis vult vitare gehennam, necessariò vult

depo-

deponere omnem affectum ad peccatum mortale. Jam verò qui dolet de peccatis ob metum gehennæ, vult vitare gehennam. Ergo vult deponere omnem ad peccatum mortale affectum; aliàs eam vellet vitare, & non vellet; vellet, ut supponitur; & non vellet, quia nollet vitare, quod est inductivum gehennæ, scilicet peccatum mortale.

Ad S. Augustinum dicimus, eum loc. cit. & aliis non paucis loqui non de timore *simpliciter servili*, utpotè quem locis à nobis sæpè cit. cap. 5. part. 2. Tract. de Virtut. Theolog. relatis laudat ac commendat; sed de timore, quem ipsemet Serm. 161. aliàs 18. de verb. Apost. *serviliter servilem* nuncupat, quo quis nimirùm ita peccatum fugit propter pœnam, ut actu dispositus sit lubenti animô peccatum committere, si nulla esset pœna; id patet ex eo, quòd S. Doctor ibidem istum peccandi timorem comparet cum timore uxoris, quæ licèt in animo se adulteriô oblectet, non tamen audet illud committere propter metum mariti. Hujusmodi verò timorem nos ultrò cum S. Augustino rejicimus.

122 Inst. 1mo. Timor gehennæ non est causa displicentiæ peccati secundùm se, sed tantùm quatenùs est inductivum gehennæ. Ergo non tollit affectum secundùm se: unum enim contrarium non expellitur nisi per suum contrarium.

Resp. Dist. conf. Ergo non tollit directè & immediatè affectum ad peccatum secundùm se, conc. Nec enim plus probat ratio allata. Non tollit indirectè & mediatè, neg. conf. Cùm enim affectus ad peccatum secundùm se inducat in gehennam; efficax autem gehennæ timor excludat omne illud, quod inducit in gehennam, consequenter indirectè saltem & mediatè excludit etiam affectum ad peccatum.

123 Inst. 2do. Qui dolet de peccato ex solo gehennæ metu, habet virtualiter hunc actum: *vellem peccare, si non timerem gehennam.* Ergo re vera remanet in eo affectus ad peccatum.

Resp. Dist. ant. Si vox *solo* sumatur cum positiva exclusione aliorum motivorum ad non peccandum, transf. Si sumatur præcisivè, ita ut tantùm præscindatur ab aliis motivis, qualiter hîc sumitur, quod bene observandum est, neg. ant. Vi quidem istius actus non esset detestaturus peccatum, si abesset iste metus, quia nempè tunc non existeret iste actus; posset tamen illud adhuc detestari ob alia motiva, quæ possent se offerre.

Inst 3tio. Qui odit peccatum præcisè propter gehennam, non amat justitiam, seu virtutem peccato oppositam. Ergo is non verè odit, sed amat peccatum. Ergo &c. 124

Resp. Dist. ant. Non amat justitiam propter se, seu propter suam pulchritudinem, conc. Non amat justitiam propter aliud & tanquam medium vitandæ gehennæ, neg. ant. & conf. Non tenemur quolibet actu amare virtutem propter se, seu propter propriam honestatem, sed possumus aliquo actu illam amare, & velle propter aliud motivum ipsi extrinsecum, rationi tamen consentaneum & honestum. Neque enim semper & quolibet actu tenemur agere modô perfectissimô.

Inst. 4to. Attritio ex solo metu gehennæ nullo modo continet amorem justitiæ. Ergo &c. 125

Resp. neg. ant. Nam talis Attritio est dolor de peccatis admissis cum proposito seu voluntate non peccandi, ideoque servandi omnia præcepta, & exercendi suo tempore omnem virtutem præceptam ad vitandam gehennam; quæ voluntas est verè amor justitiæ & omnis virtutis; non quidem propter ipsius pulchritudinem, à qua præscindit, nec tamen eam excludit, sed ad vitandam gehennam.

126 Ob. 3tio. Dolor ex metu gehennæ non eſt voluntarius. Ergo non eſt bonus. Ant. prob. Quod fit ex metu eſt involuntarium ſaltem ſecundùm quid. Ergo dolor ex metu gehennæ elicitus eſt involuntarius.

Reſp. neg. ant. ad ejus prob. Diſt. ant. Si metus ille actionem externam præcisè coerceat, conc. Sic fur, cum ex ſolo mortis metu à furto externo abſtinet, ab illo involuntariè ſaltem ſecundùm quid abſtinet. Si metu ille internum etiam coerceat affectum, ut efficax gehennæ timor, neg. ant. & conſ. Qui efficaciter gehennam timet, is nullum ſervat ad peccatum affectum, quia depoſitio omnis affectûs ad peccatum mortale, ad vitandam gehennam eſt neceſſaria; cùm ſervare affectum ad peccatum hoc ipſo eſſet actu peccare. Aliud eſt de metu ſupplicii humani, ad quod vitandum omiſſio prohibiti actûs externi ſufficit.

127 Ob. 4to. Qui ex ſolo metu gehennæ dolet de peccatis, plùs deteſtatur pœnam, quam culpam. Atqui hoc eſt inordinatum. Ergo Attritio ex ſolo metu gehennæ concepta non eſt bona & inhoneſta.

Reſp. Diſt. maj. Plùs deteſtatur pœnam quàm culpam, id eſt, vi ſui actûs pœnam primò & propter ſe, culpam verò propter pœnam deteſtatur. conc. Id eſt, pluris facit, & magis vult poſitivè vitationem pœnæ quàm culpæ, neg. maj. Nam non plus deteſtatur ex affectu appretiativo pœnam quàm culpam; non enim unam cum alia comparat, nec alteri præfert, ſed præcisè deteſtatur gehennam propter ſe, & culpam propter gehennam, neutram alteri anteponendo, ſed præſcindendo ab appretiatione, in quo nihil eſt inordinatum.

128 Inſt. 1mo. Qui odit peccatum propter gehennam, magis odit gehennam quàm peccatum juxta commune illud axioma: *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale.* Ergo &c.

Reſp. neg. ant. & dicimus ex eo effato ſequi tantùm, quòd pœnitens deteſtans culpam propter gehennam priùs natura & ratione deteſtetur gehennam, quàm culpam, & independenter à culpa, non viciſſim; non verò ſequi, eum magis appretiativè deteſtari gehennam, quàm culpam; non enim unum comparat cum alio, ut jam primùm diximus, ſed ſolùm unum deteſtatur propter aliud. Undè effatum illud falſum eſt ſaltem, ſi univerſaliter, & in ſenſu adverſariorum ſumatur: nam quando majus malum odiô habetur propter minus, non idem minus malum pluris fit, quàm majus; ſic quando majus bonum propter minus appetitur, non idcircò minus bonum pluris fit, quàm majus, ut patet in Incarnatione Verbi decreta propter ſalutem hominum.

Inſt. 2do. Qui deteſtatur peccatum 129 propter gehennam, non deteſtatur illud ſupra omne malum, quia non deteſtatur illud ſupra gehennam. Atqui peccatum deteſtandum eſt ſupra omne malum. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Non deteſtatur illud ſupra gehennam explicitè & formaliter, conc. Implicitè & virtualiter, neg. ant. Cùm enim actus, quo mallet peccare, quàm pati gehennam, ſit inductivus gehennæ, non poteſt generaliter deteſtari omne peccatum ex metu gehennæ, niſi implicitè & virtualiter iſtum etiam actum, quo maluiſſet peccare, quam mitti in gehennam, deteſtetur, ac proindè, niſi implicitè & virtualiter præferat malum peccati malo gehennæ. Præterea ex metu gehennæ poteſt quis ſibi imperare actum amoris aut contritionis, præſertim urgente præcepto ad iſtos actus, quia tunc neceſſarii ſunt ad vitandam gehennam: clarum autem eſt, in dicto actu amoris aut contritionis perfe-

perfectæ involvi retractationem dicti actûs, quo quis maluiſſet peccare, quàm pati gehennam, & conſequenter ex metu gehennæ mediatè ſaltem & virtualiter poſſe oriri dictam retractationem.

Inſt. 3tio. Inordinatum eſt majus nempè fugam peccati referre ad minus nempe fugam gehennæ. Atqui hoc fit in Attritione ex metu gehennæ concepta. Ergo talis Attritio bona non eſt.

Reſp. Diſt. maj. Majus referre ad minus tanquam ad finem ſimpliciter ultimum & principale, conc. Tanquam ad finem duntaxat proximum, neg. maj. Porro qui fugit peccatum ex timore pœnæ, tanquam ex motivo & fine proximo, ille non refert fugam peccati, quod eſt ſummum malum, ad fugam pœnæ tanquam hæc eſſet principale malum, atque illius fuga eſſet finis illius ultimus, ſed tantùm tanquam ad finem proximum, nec cum excluſione motivi perfectioris, ex quo culpa vitari poſſit, ſed ſolum à motivo perfectiore præſcindit; qui proindè actus ultimatò tendit in Deum tanquam in finem ultimum propter ſpecialem connexionem, quam habet cum Deo quodlibet motivum ſupernaturale, quamvis expreſsè ab agente non ordinetur ad Deum. Cætera, quæ hîc adhuc objici poſſunt diſſolvimus ſæpè cit. c. 5. part. 2. Tract. de Virt. Theol. ubi vide.

Et taliter ſeu ex metu gehennæ conceptam attritionem, *licèt ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe peccatorem ad juſtificationem perducere nequeat*, cùm tamen laudabilis ſit, *ac voluntatem peccandi excludat, eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere*, Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 4. declarat. An autem, & qualis in tali Attritione neceſſarius ſit amor Dei, ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, ſequenti paragraphô declarabimus.

§. VIII.

An & qualis requiratur Dei amor in Attritione, ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ impetrandum? 130

Ex dictis part. 3. cap. 1. Tract. de Virtut. Theolog. duplex diſtinguitur Dei amor, *perfectus* ſcilicet & *imperfectus*. Primus amor dicitur *amicitiæ* & *veræ charitatis*, quo Deus ſuper omnia diligitur propter ſe, quia eſt infinitè amabilis & perfectus: Alter dicitur *Concupiſcentiæ*, ſeu *Spei*, quo nempè Deus ſuper omnia diligitur, quatenùs nobis bonus eſt, noſtra beatitudo ac finis ultimus. His prænotatis, ſit

CONCLUSIO. 131

Contritio imperfecta ſeu Attritio aliquem Dei amorem, non quidem perfectum, ſed imperfectum includere debet, ut diſpoſitio ſufficiens eſſe poſſit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.

Prob. 1ma pars. Scilicet, quòd Attritio ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam aliquem Dei amorem includere debeat. 1mo. Ex Scriptura Joël. 2. dicit Deus, *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. Atqui aliquis amor Dei, qui ſit ſuper omnia requiritur ad converſionem ad Deum ex toto corde; nam ad converſionem ex toto corde neceſſe eſt, ut cor Deum anteponat creaturæ; Deum verò creaturæ anteponere non poteſt, niſi amet eum plùs quàm creaturam. 1. Joan. 3. dicitur, *Qui non diligit, manet in morte*. Regula hæc generalis eſt, nec proindè ullam in adultis admittit exceptionem.

Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino 132
Seſſ. 6. cap. 6. ubi agens de diſpoſitionibus adultorum ad juſtificationem in Baptiſmo conſequendam requiſitis ait: *Illum*

Illum (Deum) *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt ; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Certè si ad justificationem per Baptismum obtinendam requiritur aliquis amor, quantò magis ad justificationem per Sacramentum Pœnitentiæ, in quo difficiliùs, quàm in Baptismo remittitur peccatum, & quod ab eodem Concilio vocatur Baptismus laboriosus. Hinc etiam Rituale nostrum Argentinense de Pœnit. Tit. 2. §. 1. ait : *Pœnitentes suos admonere non cessent Confessarii, ne se putent securos in Sacramenti Pœnitentiæ perceptione, si, præter Fidei & Spei actus, non incipiant diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem.*

133 Prob. 3tio. Ex SS. Patribus. S. Cyprianus ad calcem libri de lapsis, hæc de iis eloquitur : *Convertantur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes.* Quæ verba sanè necessitatem alicujus amoris indicant. S. Chrysostomus Serm. 94. *Absolvi vis*, ait, *ama. Charitas operit multitudinem peccatorum.* S. Augustinus Serm. 7. de tempore, nunc in Appendice Serm. 117. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.*

134 Prob. 4to. Ratione. 1mo. Attritio est verus dolor & odium peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero. Atqui dolor & odium peccati non potest esse sine aliquo amore Dei : dolor quippe fundatur in amore rei illius, de cujus jactura dolemus, ut ait S. Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 7. Pariter odium rei alicujus nascitur ex amore contrarii, *Tantùm quisque peccatum odit, quantùm justitiam diligit*, inquit idem S. Doctor Epist. 145. aliàs 144. Denique firmum non peccandi, & omnia Dei mandata observandi propositum animô concipi non potest sine aliquo amore Dei : qui enim hoc propositum efformat, sic animô præparatus esse debet, ut Deum creaturis omnibus anteponat, malitque rerum omnium dispendium pati, quàm Deum offendere. 2do. Homo per peccatum mortale avertitur à Deo & convertitur ad creaturam ponendo in ea suum ultimum finem & beatitudinem. Ergo ut verè se ad Deum convertat, & sic remissionem peccati sui obtineat, non solùm debet averti à creatura, sed etiam converti ad Deum, ipsum amando saltem ut suum summum bonum. 3tio. Ubi agitur de valore Sacramenti, non licet sequi opinionem probabilem, relicta tutiore probabili, prout diximus in Tract. de Act. Hum. Atqui sententia asserens necessitatem alicujus Dei amoris ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam est tutior & verè probabilis, ut patet ex hactenùs deductis ; & negans non est certa neque moraliter. Ergo in praxi non licet opinionem negantem sequi.

Prob. 2da pars, scilicet, quòd Contritio imperfecta seu Attritio imperfectum saltem Dei amorem includere debeat &c. iisdem momentis, quibus suprà §. 6. probavimus contritionem ex charitate perfecta conceptam non esse necessariam dispositionem ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam ; & ex quibus facilè intelligitur, quòd, ut contritio possit esse vera dispositio ad hujus Sacramenti effectum consequendum, sufficiat, si includat charitatem imperfectam, seu amorem concupiscentiæ. 135

Id probatur adhuc hoc unicô argumentô. Si in Sacramento Pœnitentiæ requireretur Contritio concepta ex amore Dei perfecto, nunquam moribundi damnari poterunt ob defectum absolutionis. Falsum consequens. Ergo &c. Seq. maj. patet ; nam si moribundus contritionem ex amore perfecto conceptam habeat, salva- 136

ſalvabitur ſine abſolutione, ut fatentur adverſarii, quippe qui docent, illam in caſu neceſſitatis juſtificare extra Sacramentum: ſi illam non habeat, damnabitur etiam cum abſolutione Sacerdotis, adeò non ob defectum illius. Ergo nunquam moribundi damnari poterunt ob defectum abſolutionis. Min. etiam conſtat 1mo. Ex praxi Eccleſiæ, quæ in articulo mortis, omnium peccatorum reſervationem tollit, *Ne*, ut ait Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 7. *hac occaſione aliquis pereat*. 2do. Ex praxi Fidelium, qui ſibi & ſuis maxima ſollicitudine Sacerdotis abſolutionem in mortis periculo exquirunt. 3tio. Ex Can. *Si Presbyter*. 26. quæſt. 6. ubi, *Si Presbyter*, inquit Julius Papa, *morientibus pœnitentiam abnegaverit*, *reus erit animarum*.

137 Cæterùm quamvis ſententia noſtra de ſufficientia Attritionis ex amore Dei imperfecto nobis certa videatur, tamen in praxi pœnitens adduci debet ad eliciendam contritionem ex charitate perfecta conceptam; tùm quia per hunc actum ſupplebit defectus, qui poſſent eſſe ex parte Miniſtri, vel ſuimetipſius, ut ſi fortè verè baptizatus non eſſet; tùm quia per illum actum juſtificatus ad novam & majorem gratiam in Sacramento obtinendam diſponitur; tùm quia ſæpiſſimè in decurſu vitæ tenemur actum charitatis perfectæ elicere.

138 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 1mam Concluſion. partem. Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 4. tractans ex profeſſo de Attritione ejusque motivis alia non aſſignat, quàm vel conſiderationem turpitudinis peccati, vel gehennæ ac pœnarum metum, nulla prorsùs facta mentione dilectionis Dei; atque ex his motivis conceptam Attritionem diſponere ad gratiam Sacramenti aſſerit. Ergo non requiritur, ut Attritio includat aliquem Dei amorem.

Reſp. neg. conſ. Nam quia Concilium Tridentinum quæſtionem inter Theologos agitatam dirimere noluit, nec charitatis nec dilectionis Dei expreſſam facit mentionem, dum motiva Attritionis exponit; nihilominùs tamen ex iis, quæ circa naturam contritionis ſive perfectæ, ſive imperfectæ docet Synodus, ratiocinió Theologicô rectè infertur, aliquem Dei amorem eſſe neceſſarium.

Inſt. 1mo. Synodus Tridentina eodem cap. 4. opponit Contritionem imperfectam perfectæ ex eo, quòd perfecta includat charitatem Dei, Attritio autem ex inferioribus motivis concipiatur; quæ ſanè oppoſitio manifeſtè innuit mentem Concilii eſſe, nullum Dei amorem neceſſarium eſſe, ut Attritio ſit diſpoſitio ſufficiens ad Sacramentum. Ergo &c. 139

Reſp. Rectè quidem inde probari in Attritione eum requiri amorem, qui ſit veræ & propriæ charitatis; at quemlibet alium Dei amorem à Synodo excludi tanquam non neceſſarium, minimè inde probatur. Hinc etiam, ut refert Pallavicinus lib. 12. Hiſt. Concil. Trid. c. 10. à Patribus Concilii Tridentini ex Capite 4to. ſuprà citato verbum *ſufficit*, cuì privatim ab iis, quibus Caput iſtud conficiendi cura demandata fuerat, de induſtria deletum, ac verbum *diſponit*, locô illius, poſitum eſt, quòd cùm velut genericum ſit, & de diſpoſitione ſive ſufficiente ſive inſufficiente poſſit intelligi, per illud Theologorum diſputationibus liber relictus eſt locus.

Inſt. 2do. Concilium decretô ſuô eam Attritionem ſufficere declarat, quam Lutherus negabat eſſe ſufficientem, imò malam eſſe aſſerebat. Atqui nunquam negavit Lutherus Attritionem junctam cum amore Dei bonam eſſe ac utilem. Ergo &c. 140

Resp. neg. Maj. Sola quippe mens Concilii fuit, ut contra Lutherum probet Attritionem conceptam ex metu gehennæ non esse malam, non facere hypocritam, imò bonam esse, laudabilem, ex impulsu Spiritûs sancti, & consequenter disponere ad gratiam in Sacramento percipiendam, quocumque tandem modo disponat sive per se solam, sive cum aliquo Dei amore conjuncta. Cujus amoris necessitatem eadem Synodus Sess. 6. c. 6. conceptis terminis requirit, dum vult, ut qui se ad justificationem disponunt *Deum diligere incipiant tanquam omnis justitiæ fontem.*

141 Inst. 3tio. Mox relata Concilii verba non volunt amorem Dei esse dispositionem necessariam ad justificationem, sed solùm ordinariam; enimverò non omnes dispositiones in eo Capite relatæ sunt necessariæ, putà metus gehennæ, divinæ justitiæ, &c. Ergo ex illis verbis non probatur necessitas alicujus Dei amoris ad justificationem.

Resp. Neg. ant. Concilium enim non alia ratione loquitur de actu dilectionis, quàm de actibus fidei, spei, & pœnitentiæ, qui actùs omninò necessarii sunt ad justificationis gratiam percipiendam. Imo ex ipso contextu satis apertè liquet, aliquem Dei amorem à Concilio requiri tanquam motivum ad veram detestationem peccati seu pœnitentiam, quæ est dispositio ad justificationem absolutè necessaria; nam postquam dixit: *Illum* (nempe Deum) *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, statim subdit, *ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod ac detestationem.* Hinc refert Pallavicinus lib. 8. Hist. ejusdem Concilii cap. 13. relata de actu amoris Dei verba Capiti sexto Sessionis sextæ hujus Concilii inserta fuisse, eò quòd Patres judicârint pœnitentiam, si tota esset ex timore sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, & non propter Dei offensam, fore infructuosam.

Inst. 4to. Juxta laudatum Concilium 142 ad justificationem in Sacramento sufficit Attritio excludens voluntatem peccandi. Atqui Attritio solo metu gehennæ concepta excludit voluntatem peccandi. Ergo &c.

Resp. 1mo. Neg. maj. Nam licèt metus gehennæ excludat omnem voluntatem peccandi, non idcirco tamen rectè infertur Concilium statuisse satis esse, ut ex solo motivo timoris illa peccati affectus excludatur, sed non immeritò dici potest, Synodum præter motivum timoris exigere etiam motivum alicujus amoris Dei saltem imperfecti.

Resp. 2do. Neg. min. Nam Attritio ex solo metu gehennæ concepta excludit quidem omnem affectum peccandi actualem, non verò habitualem, qui nihil aliud esse videtur, quàm habitualis ad peccatum conversio, sed hic solùm, directè saltem, tollitur per amorem Dei, etiam imperfectum, qui tamen sit super omnia, vel etiam per timorem, qui tamen nonl sit absque amore spei; ut enim suprà diximus, timor mali nascitur ex amore boni contrarii.

Ob. 2do. Timor pœnæ est bonus, 143 honestus, & supernaturalis. Ergo sufficiens est dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Resp. neg. cons. Nam etiam fides est bona, honesta, & supernaturalis; & tamen sola non sufficit ad gratiam Sacramenti comparandam.

Ob. 3tio. Contra 2dam Conclusionis 144 partem. Scripturæ testimonia, quæ in probatione primæ partis hujus Conclusionis laudavimus, aut de perfecta & propriè dicta charitate intelligenda sunt, aut nullibi talis charitas exprimitur in Scripturis. Posterius dici non potest. Ergo prius dicendum est.

Resp.

Reſp. Fatemur citatis teſtimoniis veram & propriam charitatem deſignari: at etiam fatendum eſt, non ſine accommoda quadam expoſitione urgenda illa eſſe; aliàs etiam ſequeretur, neceſſariam eſſe charitatem non tantùm ex motivo ſuo proprio & formali perfectam, ſed etiam ex ſummo intenſionis gradu. Hanc etenim ſummam gradûs intenſionem videtur exprimere iſta loquendi formula, *Ex toto corde*; attamen ſumma illa graduum intenſio non exigitur. Laudata igitur Scripturæ teſtimonia per accommodam diſtributionem ſumenda ſunt & intelligenda vel de charitate perfecta, ſi extra Sacramentum comparanda ſit juſtificatio, vel de charitate ſeu amore minùs perfecto ac ſpei, ſi per uſum Sacramenti habenda ſit gratia ſanctificans.

145 Ob. 4to. Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 6. videtur exigere in iis, qui ſe ad juſtificationem diſponunt, perfectam charitatem ſeu diſtinctam à motivo ſpei; nam præter actus Fidei & Spei poſtulat, ut *diligere incipiant Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem.* Ergo amorem ſeu dilectionem motivô diſtinctam à ſpe exigunt, adeoque amorem veræ charitatis.

Reſp. Neg. ant. Ad ejus prob. Fatemur Concilium præter Fidem & Spem exigere dilectionem Dei; ſed qualis illa ſit aut eſſe debeat, non apertè explicat; unde generali potiùs voce *dilectionis*, quàm *Charitatis* uſum eſt, ne ſcilicet rem inter Scholæ Theologos controverſam dirimere velle videretur. Poteſt etiam diſtingui conſ. Ergo dilectionem diſtinctam à Spe exigunt tanquam rem à re, neg. Tanquam effectum à cauſa, vel partem à toto, vel proprietatem à natura, conc. conſ.

146 Inſt. 1mo. Concilium eam dilectionem, de qua loquitur, vocat *incipientem.* Atqui amor Spei, utpotè ſuper omnia, non eſt incipiens ſed perfectus. Ergo non intelligit amorem ſpei, ſed amorem charitatis gradu remiſſam.

Reſp. Diſt. min. Amor Spei non eſt incipiens reſpectu ſui ipſius, conc. Nam omnis verus amor Dei ſuper omnia, & conſequenter in ſuo genere perfectus eſſe debet. Non eſt incipiens reſpectu charitatis perfectæ, neg. min. Amor ille incipiens appellatur, tùm quia ab eo ad amorem veræ charitatis homo gradum facit; tùm quia non ita perfectus eſt, ac amor charitatis.

Inſt. 2do. Dilectio Dei, quam exigit 147
Concilium, verſatur circa Deum *tanquam omnis juſtitiæ fontem.* Atqui dilectio, qua Deus diligitur, ut *fons juſtitiæ*, eſt à charitate juxta S. Thomam 2. 2. q. 26. a. 4. in Corp. Ergo &c.

Reſp. Diſt. min. Atqui &c. dilectio, qua Deus diligitur ut fons juſtitiæ in ſe abſolutè ſine ullo explicito ad nos reſpectu, conc. Ut eſt fons juſtitiæ noſtræ, ſeu quatenùs eſt noſtra juſtitia, felicitas, ac finis ultimus, neg. min.

Ob. 5to. Concilium Tridentinum Seſſ. 148
14. c. 3. requirit in Sacramento Pœnitentiæ contritionem, quam cap. 4. dicit, quovis tempore neceſſariam fuiſſe ad impetrandam veniam peccatorum. Atqui Contritio, quæ taliter omni tempore fuit neceſſaria, includit amorem Dei perfectum; nam ſine hoc amore nemo unquam in Lege veteri juſtificatus fuit. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Requirit contritionem &c. ſumptam genericè ſeu ſecundùm prædicata communia tantùm, conc. Sumptam ſpecificè & adæquatè ſeu ſecundùm prædicata tùm generica tùm ſpecifica, neg. maj. Contritio, quam Concilium dicit eſſe partem materialem Sacramenti Pœnitentiæ, & quovis tempore ad impetrandam veniam neceſſariam fuiſſe, eſt contritio genericè ſumpta, quæ

quæ est præcisè animi dolor, & detestatio super omnia mala de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero, præscindendo à motivo. Quam contritionem sic ab ipso definitam deinde dividit in *perfectam* & *imperfectam*.

149 Inst. Idem Concilium postquam c. 4. explicuit Attritionem, quam dicit disponere ad gratiam in Sacramento obtinendam, adducit in exemplum pœnitentiam Ninivitarum, *qui hoc timore utiliter concussi pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrârunt.* Atqui hæc pœnitentia includebat amorem Dei super omnia propter se. Ergo &c.

Resp. Dist. maj. Adducit pœnitentiam Ninivitarum ad probandam præcisè honestatem & bonitatem timoris pœnarum, per quem Ninivitæ paulatim dispositi sunt ad perfectiorem contritionem, conc. Ad probandam necessitatem contritionis conceptæ propter Deum super omnia propter se dilectum, quæ disponat tantùm ad justificationem in Sacramento consequendam, neg. maj. &c.

150 Ob. 6to. SS. Patres communiter, & præcipuè S. Augustinus innumeris penè locis, charitatem seu verum & perfectum amorem ad justificationem requirunt. Ergo &c.

Resp. Textus, qui ex SS. Patribus objici hîc possunt, vel continent meram exhortationem ad perfectam contritionem, tanquam optimam & utiliorem: vel significant id, quod requiritur veluti per se, & seclusô privilegiô Sacramenti: vel probant necessitatem alicujus amoris, sive perfecti extra Sacramentum, sive imperfecti in Sacramento: vel agunt de charitate habituali necessaria ad meritum & salutem.

151 Ob. 7mo. Qui peccavit contra fidem aut spem Deo reconciliari non potest etiam in Sacramento, nisi actus fidei & spei præmiserit. Ergo pariter, cùm omne peccatum mortale sit contra charitatem, sine prævio actu charitatis homo justificari nequit.

Resp. Neg. conf. & parit. Disparitas est; quia fides & spes sunt initium ac radix justificationis nostræ, ut ait Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 8. Charitas autem est finis, vel ipsamet forma, qua justi sumus. Undè necesse est, actus fidei aut spei præcedere, tanquam media & dispositiones ad gratiam sanctificantem. Ratio autem & causa cur actus charitatis necessarius sit ad justificationem extra Sacramentum consequendam non illa est, quam objectio insinuat, quia nempè omne peccatum mortale est contra charitatem; sed vera causa hæc est, quia sine actu charitatis, extra usum Sacramenti, nihil est, quod divinam misericordiam moveat & excitet ad gratiam sanctificantem liberaliter largiendam. Nullus quippe alius actus assignari potest, quàm charitatis, qui non quidem de condigno, sed de congruo saltem, aliquam habeat cum gratia sanctificante proportionem.

Ob. 8vo. Commune istud Theologo- 152
rum axioma: *Impius per Sacramentum Pœnitentiæ ex attrito fit contritus.* Ergo primùm post contritionem charitate perfectam redditur proximè dispositus ad recipiendum Sacramenti effectum. Ergo &c.

Resp. neg. conf. Nam sensus hujus axiomatis est, impium in Sacramento Pœnitentiæ per attritionem eundem effectum, nempè eandem gratiam sanctificantem, ac remissionem peccatorum consequi, ac consecutus fuisset per veram contritionem extra Sacramentum.

Ob. 9no. Catechismus Romanus part. 153
2. de Sacram. Pœnit. num. 4. dicit, pœnitentiam, qua unius Dei causâ in mœrore sumus, pertinere ad virtutem & constitutionem Sacramenti Pœnitentiæ.

Ergo

Ergo attritio debet perfectam includere charitatem.

Reſp. Neg. conſ. Nam per has voces *unius Dei causâ*, Catechismus Romanus aliud ſignificare non vult, niſi motivum aliquod ſupernaturale, & aliquam ad Deum relationem habens, non autem ſolam charitatem perfectam; prout patet ex tota ibidem ab eo tradita doctrina.

154 Ob. 10mo. Ex natura rei videtur requiri, ut qui Deum offendit, non recipiatur in amicitiam Dei, niſi elicuerit actum charitatis perfectæ. Ergo &c.

Reſp. Hoc verum eſſe ſecluſô Sacramenti privilegiô, & ſpectatâ præcisè connaturali quadam rerum exigentiâ ac convenientiâ. Suppoſitô autem privilegiô Sacramenti habentis vim reconciliandi, ideoque ſupplendi defectum perfectæ charitatis alioquî requiſitæ, actus perfectæ charitatis non requiritur.

155 Priusquam huic Capiti finem imponamus, quædam adhuc circa contritionem in Sacramento neceſſariam nobis ſunt expedienda.

1mo. Contritio neceſſariò elici debet ex intentione confitendi & abſolutionem percipiendi. Nam alioquî non eſſet actio Sacramentalis, ſicuti ablutio facta ſine intentione baptizandi nec actio Sacramentalis eſſe poteſt. Et aliundè pars referri debet ad compartem, & illi moraliter uniri, ut totum cum illa conſtituat. Hinc ſi quis nihil de confeſſione cogitans contritionem elicuerit, confeſſurus aliam debet elicere.

2do. Contritio neceſſariò etiam elici debet ante abſolutionem; aliàs abſolutio, quæ eſt forma, non applicaretur materiæ eſſentiali, putà contritioni, ut quæ abeſſet; & ſic, defectu partis eſſentialis, Sacramentum redderetur inane. Quare monendi ſunt pœnitentes, ut contritionem confeſſioni ſemper præmittant; quia alioquî periculum eſſet, ne ipſa ante abſolutionem non eliceretur: nam Confeſſarius poteſt ſupponere illam elicitam eſſe, & ſic poſt pœnitentiam injunctam ſtatim dare abſolutionem, non relinquendo tempus ſufficiens ad eliciendam contritionem ante dictam abſolutionem.

3tio. In praxi ſemper requiritur nova contritio, quoties datur nova abſolutio; tùm quia oppoſitum non eſt omninò certum; tùm quia nova forma exigit novam materiam proximam. Unde ſi quis ſtatim poſt acceptam abſolutionem mortalis alicujus peccati recordetur, illudque, ut tenetur, confiteatur, debet ante novam abſolutionem renovare contritionem.

4to. Contritio debet moraliter perdurare in ſe vel in effectu ſuo, quando datur abſolutio; aliàs non faceret unum moraliter cum abſolutione. Hinc ſi quis poſt elicitam contritionem aliud aggrediatur negotium; vel ſi hæc ſatis diu jam præteriit, ita ut moraliter ampliùs non perſiſtere cenſeri poſſit, in praxi renovanda eſt contritio.

CAPUT III. 156

De Confeſſione, quæ eſt ſecunda Pœnitentiæ pars.

OBſervant communiter Theologi triplicem in Scripturis diſtingui confeſſionem, nempè *laudis*, *fidei*, & *peccatorum*. Confeſſio laudis eſt ea, qua Dei beneficia nobis præſtita prædicamus: hoc ſenſu Pſal. 34. dicitur: *Confitebor tibi in Eccleſia magna.* Confeſſio fidei eſt ea, qua fidem noſtram exteriùs profitemur: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10. v. 10. Confeſſio denique peccatorum, de qua hîc nobis ſermo, eſt declaratio peccatorum facta vel Deo ſoli, vel Deo & ejus Miniſtro: *Confitere*, inquit

Joſuë ad Achan cap. 7. *atque indica mihi, quid feceris: reſponditque Achan verè peccavi.* Et Pſaltes Regius Pſal. 31. *Dixi*, inquit, *confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino.*

Actio, quam Latini in Sacramento Pœnitentiæ confeſſionem peccatorum dicunt, *Exomologeſis* à Græcis appellatur, à verbo *Exomologeo*, quod latinè idem eſt ac *Confiteor*, atque poſtmodùm etiam ad Latinos translatum eſt.

Exomologeſis nomen ad duo præcipuè ſignificanda uſurpatur. 1o. Significat totam laborioſæ ac publicæ pœnitentiæ actionem, præſertim tertium ipſius gradum, qui *Subſtratio* dicebatur, quique totus in fletu, jejuniis, aliisque carnis macerationibus transigebatur. Quo ſenſu Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 9. ait: *Exomologeſis proſternendi & humiliandi diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu & victu mandat &c.* 2do. Significat privatam ſeu ſecretam peccatorum declarationem, quo ſenſu S. Cyprianus lib. de lapſ. *Quoniam tamen*, inquit, *de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam exquirunt.* Inſuper circa Sæculum 8vum apud Latinos *Exomologeſis* nomen plerumque etiam obtinuit pro *Litaniis*, ut patet ex Iſidoro lib. 6. Orig. cap. 19. Litania verò eſt ſupplex deprecatio cum ſummæ demiſſionis teſtificatione conjuncta.

Apud Orientales tamen *Exomologeſis* nomen antiquam ſuam ſignificationem ſemper retinuit, & nonnunquam pro tota pœnitentiæ actione, paſſim tamen pro peccatorum confeſſione ſumptum fuit, & etiamnum adhuc ſumitur, ut colligitur ex cap. 11. prioris Epiſtolæ, quam ad Lutheranos dedit Jeremias II. Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Sæculô decimô ſextô floruit. (*g*)

Porro Confeſſio Sacramentalis com- 157
muniter definitur, *Accuſatio propriorum delictorum poſt Baptiſmum commiſſorum Sacerdoti approbato facta ad obtinendam eorum remiſſionem per abſolutionem Sacramentalem.*

Dicitur 1mo. *Accuſatio propriorum delictorum.* Ergo non mera narratio, non excuſatio, multò minùs ſuperba vitæ commendatio, ſed humilis recognitio culpæ propriæ non alienæ, de qua fieri mentio non debet, niſi aliqua ratione ſit propria.

Dicitur 2do. *Poſt Baptiſmum commiſſorum.* Quæ enim præcedunt Baptiſmum, per illum, ubi ſuſcipitur, omninò delentur.

Dicitur 3tio. *Sacerdoti approbato facta.* Debet equidem omnis homo Deo primùm confiteri interiùs adversùs ſe ipſum injuſtitias ſuas in amaritudine animæ ſuæ, ut loquitur S. Hieronymus in Pſal. 36. Sed deinde eas accuſet Sacerdotibus neceſſe eſt, quibus collata eſt ligandi & ſolvendi poteſtas. Additur *Sacerdoti approbato.* Nullus enim Sacerdos, ut fuſiùs infrà dicemus, ſive Regularis, ſive Sæcularis, poteſt validè abſolvere extra neceſſitatis caſum, niſi aut parochiale Beneficium habeat, aut Epiſcopi approbationem obtinuerit.

Dicitur 4to. *Ad eorum veniam obtinendam &c.* ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum, quæ, cùm digna reperitur Sacerdotalis abſolutionis Beneficiô, à Domino remiſſionem adipiſcitur, ut ait S. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 6. Et per hoc differt accuſatio Sacramentalis, prout loquitur Cate-

(*g*) An. 1572. ad Sedem Conſtantinopolitanam evectus fuit.

Catechismus Romanus part. 2. de Pœnit. num. 32. à Confessione, quæ fit in judicio civili ac forensi, ubi pœna & supplicium, non culpæ venia, constituta est confitentibus. De quibus omnibus agemus in sequentibus.

158 Porro de Confessione sic definita hæc nobis sunt examinanda & exponenda. 1mo. An Confessio omnium peccatorum mortalium sit præcepti divini? 2do. Utrum hæc confessio sit essentialiter secreta aut publica? 3tio. Quando hoc confessionis præceptum obliget? 4to. An confessio peccatorum etiam sit præcepti Ecclesiastici, & quandonam obliget? 5to. Quæ sint veræ confessionis conditiones? 6to. An liceat per litteras confiteri & Sacerdoti absenti? 7mo. Denique, quænam requirantur ad integritatem confessionis. Quæ singulis paragraphis expedimus.

§. I.

159 *An Confessio omnium peccatorum mortalium sit præcepti Divini?*

Hac in re negativam nonnulli Sæculô 8vô amplexi sunt, quos Alcuinus eorum coætaneus hæresis accusat. Sæculô 14tô Wiclefus asseruit, Confessionem esse tantùm instituti Ecclesiastici. Eundem errorem tuitus est Sæculô 15to. Petrus de Osma, & ideo à Sixto IV. damnatus.

Lutherani, licèt in Confessione Augustana agnoscant Pœnitentiam tanquam Sacramentum à Christo institutum, necnon Lutherus ipse in minori suo Catechismo velit, ut à pœnitente omnia, quorum conscius est, lethalia peccata privatim apud Evangelii Ministrum exponantur, vulgò tamen affirmant, Confessionem non esse à Christo præceptam, nec debere esse omnium ac singulorum peccatorum.

Calvinus ulteriùs adhuc progressus, lib. 3. Inst. cap. 4. §. 19. non solùm negat Confessionem instituti divini esse, sed insuper usum illius damnat ut noxium & pestiferum. Verùm ipso æquiores ejus discipuli hujusmodi peccatorum Confessionem velut utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem laudant; sed à Christo esse institutam uno ore negant.

Dallæus Calvinistarum olim apud Gallos Minister contendit, Confessionem, prout nunc in Ecclesia Romana usurpatur, institutionem suam debere Generali Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. annô 1215. celebrato. Contra quos omnes sit

CONCLUSIO. 160

De fide est, Confessionem omnium lethalium peccatorum esse à Christo præceptam iis, qui post Baptismum in ea prolapsi sunt.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Christus Joan. 20. Apostolis suis judiciariam potestatem remittendi & retinendi peccata his verbis concessit: *Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; prout jam suprà c. 1. §. 1. Conclus. 3. probavimus. Atqui Apostoli nullatenùs discernere potuissent, quænam pœnitentium peccata remittenda, vel retinenda forent, nisi Judicum personam sustinuissent, ac verum exercuissent judicium. Ergo ex parte pœnitentis, ad peccatorum veniam consequendam, eorundem declaratio & confessio necessariò requiritur; quomodò enim Sacerdotes, Apostolorum in hoc munere Successores, possunt remittere, aut retinere peccata tanquam Judices, nisi peccata illa cognoscant (neque enim ea potestate cœcô quodam ac indiscretô modô uti debent Ecclesiæ Ministri) quomodò verò cognoscent peccata illa, præsertim occulta, nisi, qui rei sunt, ea confiteantur?

Nostrum non est istud argumentum, sed Concilii Tridentini Sess. 14. c. 5 ubi

Ex institutione, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus JEsus è terris ascensurus ad Cælos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quò pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarâssent.*

Actorum item 19. *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos*, id est, peccata sua, ut patet ex contextu, eaque occulta, alioquî non expectanda fuisset eorum declaratio, sed exigenda duntaxat fuisset debita satisfactio.

161 Prob. 2do. Ex universali & constanti Ecclesiæ Traditione, namque ex S. Augustino lib. 4. contra Donat. cap. 24. *Quod in Conciliis non invenitur institutum, sed semper & ubique ab omnibus receptum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur.* Atqui Confessio Sacramentalis non invenitur ab ullo Concilio instituta, sed semper, & ubique, & ab omnibus retenta est. Ergo. Min. probatur ex testimoniis cujusque Sæculi.

Ex 1mo Sæculo adest factum credentium illorum Act. 19. mox relatum, qui veniebant confitentes peccata sua.

Ex Sæculo 2do. Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 10. eos redarguit, qui peccata sua confiteri erubescunt. *Plerique*, ait, *publicationem suî aut suffugere, aut de die in diem differre præsumunt pudoris magis memores, quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.... si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus?* Nihil pro necessaria peccatorum etiam occultorum confessione clarius.

Ex 3tio Sæculo. Origenes Homil. 2. in Levit. *Est*, ait, *septima licèt dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* Verba S. Cypriani suprà initiô Capitis num. 156. retulimus.

Ex 4to Sæculo. S. Basilius in Regul. brevior. in Respons. ad q. 288. *Necessariò*, inquit, *peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* S. Chrysostomus Hom. de muliere Samarit. *Qui*, inquit, *homini detegere peccata erubescit... neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.*

Ex 5to Sæculo. S. Augustinus in Psal. 66. *Si non confessus lates*, inquit, *non confessus damnaberis; Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus* (Deo) *damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus.... Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat... adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando secat... tu agnosce Medici manum; confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies.*

Ex 6to Sæculo. S. Gregorius Magnus Homil. 26. in Evang. expendens illa Christi verba, *Lazare veni foras*, sic loquitur: *Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator; venientem verò foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei debeant pœnam amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.*

Ex 7mo Sæculo. Synodus Trullana annô 692. habita, Can. 102. sic decernit: *Opor-*

Oportet eos, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepêre, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit, ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam . . . non enim simplex est morbus peccati, sed varius & multiformis. En totius Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ testimonium pro necessitate confessionis singulorum peccatorum: quo enim pacto Sacerdos conveniens remedium variis peccatorum morbis afferret, nisi ea cognoverit; quî autem ea cognoscat, nisi per confessionem pœnitentis?

Ex 8vo Sæculo. Egbertus Archi-Episcopus Eboracensis in Anglia in suo libro pœnitentiali apud Morinum in Appendice ita pœnitentem alloquitur: *Quando volueris confessionem facere tuorum peccatorum, viriliter age, & noli erubescere, quia sine confessione non est indulgentia.*

Ex 9no Sæculo. Concilium Cabilonense II. annô 813. c. 32. *Quidam*, ait, *dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt; solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur.*

Ex Sæculo 10mo. Radulphus Flaviacensis lib. 3. in Levitic. cap. 7. *Quod in potestate habet* (peccator) *faciat: Similam offerat, & mala, quæ apud se celabat, per confessionem Sacerdoti prodat.*

Ex 11mo Sæculo. S. Anselmus, Enarrat. in. c. 17. Luc. *Per humilem oris confessionem*, inquit, *Sacerdotibus veraciter manifestate omnes interioris lepræ vestræ maculas, ut mundari possitis peccatores licèt gravi criminum leprâ sint fœdati, euntes tamen ad confitendum, purgantur in ipsa confessione propter pœnitentiam, quam acturi sunt.*

Ex 12mo Sæculo. S. Bernardus, Serm. ad milites Templi c. 12. *Verbum*, inquit, *in corde peccatoris operatur salutiferam contritionem: Verbum verò in ore noxiam tollit confusionem, ne impediat necessariam confessionem.* Et infrà: *Quamobrem Ministros verbi Sacerdotes cautè necesse est ad utrumque vigilare sollicitos, quò videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris & contritionis infligant, quatenùs eos nequaquam à verbo confessionis exterreant; sic corda aperiant, ut ora non obstruant. Sed nec absolvant etiam compunctum, nisi viderint & confessum.* Et Serm. 16. in Cant. *Omne*, inquit, *quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè, fideliter.* Ubi manifestè loquitur de omnibus & singulis peccatis etiam occultis Sacerdoti patefaciendis, ut patet ex his verbis, *omne, purè, fideliter.*

Ex his paucis, quæ ex aliis penè innumeris selegimus, singulorum Ecclesiæ Sæculorum ad duodecimum usque, monumentis liquidò constat, quàm ineptè calumnientur Novatores, primùm Sæculo 13tio scilicet in Concilio Lateranensi IV. quod annô 1215. celebratum est, *peccatorum confessionem inventam fuisse ac institutam.*

Unde hac constanti & perpetua Ecclesiæ Traditione nixa Synodus Tridentina Sess. 14. Can. 6. meritò sic definit: *Si quis negaverit confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino anathema sit.*

Prob. 3tio. Ex consensu Ecclesiæ Græ- 162
cæ cum Latina etiam à tempore Schismatis, quod Photius Sæculô 9nô invexit; Ut constat 1mo. Ex ejus libris pœnitentialibus. 2do. Ex Cabasila Sæculi 14ti Scriptore, qui, licèt Schismaticus, in expositione Liturgiæ cap. 19. agnoscit necessitatem confessionis Sacramentalis. 3tio. Ex Jeremia Patriarcha Constantinopolitano, qui Augustanam Lutheranorum confessionem censurâ perstrinxit, quòd doceret, necessarium non esse omnia pecca-

peccata per singulas species in confessione enumerare. 4to. Ex Concilio Constantinopolitano, quod Parthenius Patriarcha convocavit annô 1642. ad rescindenda ea, quæ prædecessor ejus Cyrillus homo nequissimus, & à Calvinianis corruptus, contra fidem & inprimis contra *confessionem* & *pœnitentiam* evulgaverat. 5to. Ex Concilio Bethleemitico annô 1672. celebrato, in quo eadem circa confessionem peccatorum Græcorum fides asseritur. Porro ab omni veritate alienum prorsùs est, utramque Ecclesiam Græcam & Latinam diro Schismate divisam, conspirasse in illo novo, ut fingunt Novatores, confessionis faciendæ jugo, quod sanè permolestum & grave videtur, recipiendo, nemine reclamante & contradicente.

163 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Esto Sacerdotes sint à Christo instituti Judices ordinarii in remittendis vel retinendis peccatis Joan. 20. vi hujus testimonii tamen non probatur, eos esse Judices necessarios, ad quos confugere fideles absolutè teneantur, ut à peccatis suis solvantur; ipsis quippè rectus & immediatus ad Deum ipsum aditus interclusus non est. Ergo confessio peccatorum Sacerdoti facta non est præcepti divini. Prob. ant. Quando Rex aliquis publicos Judices instituit, nemini præcipit, ut ad illorum judicium causas suas deferant, sed possunt lites suas vel inter se, vel per arbitros componere. Ergo &c.

Resp. Neg. ant. ad ejus prob. dicimus, re vera nulli hominum interclusum esse aditum ad Deum per veram & sinceram pœnitentiam; at illa sincera esse non potest, nisi includat voluntatem observandi omnia Christi mandata, inter quæ est etiam illud confitendi sua peccata Sacerdoti: nam frustra esset, inutilis, & otiosa in Ministris auctoritas dimittendi aut retinendi peccata, si ad eam confugere necessariò non tenerentur qui peccatorum suorum veniam obtinere desiderant. Comparatio adducta videtur inepta, quia lex non prohibet, quin litigantes possint inter se transigere, & litem sine forensi strepitu componere: Lex autem Evangelica vult, ut qui peccatorum veniam sperant, se Sacerdotum judicio subjiciant.

Inst. Etsi Sacerdotes sint Judices pec- 164
catorum venialium, necessaria tamen non est, sed planè libera venialium confessio. Ergo malè infertur confessionis necessitas ex eo, quòd Sacerdotes à Christo Judices instituti fuerint.

Resp. neg. conf. Disparitas est, quia peccata venialia aliâ quàm confessionis Sacramentalis viâ remitti possunt, unde necesse non est ea judicio Sacerdotis in Pœnitentiæ tribunali subjicere per confessionem Sacramentalem: non ita est de peccatis mortalibus. Undè verba illa: *Quorum remiseritis &c.* quibus Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, primariò & per se prolata sunt propter peccata mortalia; quia hoc Sacramentum per se & primariò institutum est ad reconciliandos cum Deo fideles lapsos: Attamen cùm non conveniret Sacramentum institui, quod gravia peccata duntaxat, non verò levia remittere posset; hinc secundariò & per quamdam extensionem illa Christi verba etiam venialia spectant, in quantùm continent favorem & gratiam remissionis.

Ob. 2do. Neque S. Paulus, neque cæ- 165
teri Apostoli Sacramentalem peccatorum confessionem à Fidelibus exegisse leguntur. Ergo non est necessaria.

Resp. transf. ant. neg. conf. Nam Apostoli etiam non leguntur parvulos baptizasse, & tamen id, quippe jure divino præscriptum, omninò fecêre, quemadmodùm ipsimet contendunt Adversarii. Diximus transf. ant. Nam & illud negari potest;

potest; nam Act. 19. quod suprà memoravimus, *Multi credentium veniebant* ad Paulum *confitentes & annuntiantes actus suos* seu *delicta sua*, prout habet textus Syriacus (inter quæ ibidem numerantur Magia, Necromantia, &c. voce *curiosa* indigitatæ) atque libros suos magicos combusserunt.

166 Ob. 3tio. Nectarius Episcopus Constantinopolitanus teste Socrate lib. 5. Hist. Eccles. cap. 19. occasione mulieris, quæ in confessione accusârat Diaconum sui sceleris complicem, peccatorum confessionem abrogavit, nemine reclamante. Ergo confessio non est juris divini, quod à nemine abrogari potest.

Resp. Dist. ant. Nectarius abrogavit confessionem publicam peccatorum occultorum, conc. occultam & secretam, neg. ant. Nectarius, ut tumultum populi ex occasione pœnitentiæ & confessionis publicæ excitatum sedaret, confessionem publicam abrogavit simulque Pœnitentiarium Constantinopolitanum, qui pœnitentiæ publicæ præsidebat, qui quasi Censor quidam ac præfectus morum in crimina multitudinis diligenter inquirebat, & ad quem graviora scelera deferebantur, cujusque erat peccata quædam etiam occulta designare publicè castiganda, & judicare, quænam pœnitens in Satisfactionem publicè confiteri teneretur. Hoc itaque Pœnitentiarii, ob frementis populi commotionem, suppresso tribunali & munere extincto, confessio privata non quidem de medio sublata est, sed tantùm obligatio se huic publico Pœnitentiario subjiciendi, & pro occultis peccatis publicam pœnam subeundi, prout Pœnitentiarius ille consulebat & jubebat; nonnunquam enim aliquorum occultorum gravium criminum publicam confessionem injungebat in satisfactionem.

167 Inst. 1mo. Pœnitentiarius ille excipiebat secretâ confessione non tantùm publica, sed etiam occulta peccata eorum, qui debitores erant pœnitentiæ publicæ. Ergo illo exauctorato, non ampliùs fuit obligatio confitendi peccata occulta.

Resp. Neg. conf. Nam etsi Sacerdoti Pœnitentiario, qui publicè pœnitentes erant, sua tàm occulta, quàm publica declarare peccata tenerentur, non tamen ille solus erat præpositus excipiendis omnium Fidelium, eorum præcipuè, qui à lege publicæ pœnitentiæ liberi erant, peccatis, sed multi inferiores Sacerdotes ad id muneris designati erant, ut apertum est ex testimonio Origenis Homil. 2. in Psal. 37. ubi postquam dixit, necesse esse confiteri peccata Sacerdoti, cautè admonet, *circumspiciendum esse diligenter, cui peccata confitearis, probandum priùs esse Medicum, cui languorem tuum exponas.* Quomodò autem seligi posset Sacerdos, si tantùm unicus audiendæ confessionis omnium fidelium officio destinatus esse supponatur?

Inst. 2do. Sublatô Presbyterô Pœnitentiariô Nectarius, prout refert Socrates loc. cit. unicuique permisit *pro arbitrio & animi sui conscientia accedere ad Sacramentorum participationem.* Ergo omnem sive publicæ sive privatæ confessionis legem abrogavit. 168

Resp. dist. ant. Nectarius permisit &c. exclusa duntaxat necessitate recurrendi ad Presbyterum Pœnitentiarium, sine cujus consensu ac permissione ad Sacramentorum communionem pœnitentes priùs accedere non poterant, conc. Exclusa necessitate confessionis Sacramentalis apud aliquem ex aliis Presbyteris faciendæ, neg. ant. & conf.

Inst. 3tio. Socrates loc. cit. ait, post exortum schisma Novatianorum Episcopos *Pœnitentiarium Presbyterum Ecclesiastico albo adjecisse, ut qui post Baptismum lapsi essent, coram Presbytero ad eam rem constituto delicta sua confiterentur.* Ergo tunc primùm instituta est confessio peccatorum. Ergo Nectarius Presbyterum 169

hunc

hunc amovendo etiam confessionem sustulit.

Resp. Socrates quidem affirmat occasione Novatianorum &c. ne scilicet Hæretici illi Catholicos reprehendere possent, quòd nimis facilè ad communionem lapsos admitterent; sed non contendit, usum confessionis tunc primùm incepisse. Undè neg. conf. Adde hìc meritò suspectum esse Socratem utpotè Novatianorum partibus addictissimum; adeoque exiguam fidem mereri.

170 Ob. 4to. S. Chrysostomus Homil. 21. ad popul. Antioch. sic eloquitur: *Non cogit*, Deus, *in medium procedentes, quæ peccavimus enumerare, sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri.* Ergo confessio Sacramentalis non est juris divini.

Resp. neg. conf. S. Doctor hìc Catechumenos duntaxat ad Baptismum accedentes alloquitur, prout patet tùm ex ipso titulo, qui huic homiliæ præfixus est his verbis: *Catechesis ad illuminandos.* Tùm ex contextu Sermonis, *Priùs dixi*, inquit, *& nunc dico: si quis morum vitia non correxerit, ne baptizetur.* Hujusmodi autem Catechumenos ad Baptismum accedentes Deus non cogit, ut peccata sua Sacerdoti confiteantur.

171 Inst. 1mo. Idem S. Doctor Hom. 3. de incomprehensibili Dei natura negat necessum esse peccata post Baptismum commissa Sacerdoti confiteri. Sic enim loquitur: *Non hominibus peccata tua confiteri cogo, expende coram Deo conscientiam tuam, ipsi ostende vulnera, & pete à Deo medicamentum.* Ergo &c.

Resp. Dist. ant. Sacerdoti confiteri publicè, conc. privatim, neg. ant. & conf. *Non cogo te, in medium prodire theatrum*, ait Homil. 4. de Lazaro, *ac multos adhibere testes: mibi solùm dic peccatum privatim &c.* Obversabatur oculis S. Doctoris, dum hæc scribebat, recens Nectarii immediati ejus prædecessoris factum, atque memor scandali, quod ex indiscreta mulieris confessione ortùm fuerat, exclusâ publicâ, solam secretam confessionem, ex qua nullum omninò inconveniens timendum est, commendabat.

Inst. 2do. Idem S. Doctor confessionem soli Deo factam ad veniam peccatorum consequendam sufficere affirmat: *Deo soli dic peccatum*, ait Hom. de pœnitentia, *& dimittitur.* Ergo &c. 172

Resp. neg. conf. Nam soli Deo confessio fieri dicitur à S. Chrysostomo, tùm quia Sacerdos non suo, sed Christi, cujus Minister est, nomine eam excipit, veniamque peccatorum dispensat: tùm quia, quod secretum attinet, perinde est ac si soli Deo intrà conscientiæ arcana fieret; atque inde fit, ut apud Veteres confessio aliquando dicatur fieri soli Deo, aliquando Deo & Sacerdoti. Sacerdotes Græci accedentes ad se pœnitentes sic alloquuntur apud Goarium pag. 679. *Frater, ut quid ad Deum ad me accessisti? ne verearis, non enim mibi, sed Deo, coram quo stas, peccata tua annuntias.*

Ob. 5to. S. Gregorius Nyssenus Epist. 173
ad Letojum ait avaritiæ peccata fuisse à Patribus prætermissa. At qua ratione id potuisset asserere, si Sacramentalis confessio viguisset. Ergo &c.

Resp. Avaritiæ peccata eo sensu à Patribus fuisse prætermissa dicit S. Gregorius, quia pro ejusmodi criminibus nullæ publicæ & canonicæ pœnæ fuerunt præfixæ & determinatæ, quòd, ut ait S. Doctor, *Præsulibus relinquendum est, qui id publico doctrinæ sermone suis in Ecclesiis definiant.*

Ob. 6to. Gratianus Dist. 1. de Pœnit. 174
33. q. 3. occasione mulieris, quæ crimen suum tantùm Deo confessa dicebatur, quærit, *an sola contritione cordis absque oris confessione crimen deleri possit.* Cùm autem hac de re tunc duæ essent opiniones, plures Veterum auctoritates pro affirmante congerit; similiter & pro negante, ac tandem ad calcem Capitis

lectoris

lectoris judicio rem reservat. Ergo tunc temporis nullum adhuc extabat Confessionis præceptum. Floruit autem Gratianus Sæculo 12mo. atque post 24. annorum laborem Decretum suum an. 1151. absolvisse fertur.

Resp. Neg. conf. Nam Gratianus attingit dumtaxat quæstionem, an peccata deleri possint contritione, & sola cordis confessione, priusquam Sacerdotes ministerium suum exhibeant; non verò an confessio oris ad veniam peccatorum sit necessaria. Suadetur hæc responsio ex eo, quòd ejusmodi quæstio tunc temporis inter Sapientes multùm agitaretur.

175 Ob. 7mo. Si Confessio Sacramentalis esset præcepti divini, in usu sanè fuisset primis Ecclesiæ Sæculis maximè apud viros sanctitate conspicuos. Atqui nulla historia commendat Veteres, quòd peccata sua Sacerdoti confessi sint, quemadmodùm legitur in vitis Sanctorum, qui posterioribus Sæculis claruêre. Ergò. &c.

Resp. 1mo. neg. min. cujus falsitatem vel ea demonstrant Veterum Patrum testimonia, quæ suprà in Conclus. prob. 2. adduximus, ex quibus & aliis Patrum monimentis patet confessionis Sacramentalis usum priscis Ecclesiæ temporibus viguisse; prout vel famosum illud confessionis à nobili quadam matrona factæ exemplum à Socrate lib. 5. c. 19. relatum, & de quo fusè in Ob. 3tia. egimus, declarat. Item in vitis SS. Patrum confessionis secretæ interdum fit mentio. Sic Paulinus in vita S. Ambrosii narrat illum solitum esse privatas confessiones audire, & crimina sibi declarata soli Deo detegere, *Pœnitentium confessiones excipiebat*, inquit, *& criminum causas, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli loquebatur.* Extat etiam confessio S. Isidori Hispalensis Episcopi litteris consignata à Redempto ejus Clerico, cùm impendente morte palam confessus est in æde S. Vincentii &c. Nec fas est dubitare, quin alii Episcopi & Sacerdotes idem præstarent.

Resp. 2do. Etsi nulla historia memoraret Veteres peccata sua Sacerdoti exposuisse, non tamen inde sequitur, id eos non fecisse. Enimverò 1mo. in Sanctorum actis plerumque non referuntur nisi quæ sunt magis singularia; qualis non est confessio, quæ omnibus est communis, & peccatorum magis propria. Imo permultæ Sanctorum vitæ scriptæ perhibentur à tempore, quo Novatores fatentur privatam confessionem viguisse, in quibus tamen nulla illius fit mentio. 2do. Quia sola confessio peccatorum mortalium, quibus immunes erant viri sancti, necessaria est jure divino. Confessio autem venialium primis Ecclesiæ temporibus ob Sacerdotum penuriam minus frequens erat, quàm nunc est.

§. II.

An Sacramentalis confessio peccatorum essentialiter sit publica, vel secreta? 176

Lutherus, prout refert Pallavicinus Hist. Conc. Trid. lib. 12. c. 10. confessionem Sacramentalem secretam juris divini haud esse, nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranense ejus mentionem factam esse, sed tantùm publicæ pœnitentiæ, asseruit.

Inter Catholicos verò nonnulli sunt, qui opinantur confessionem essentialiter secretam esse debere.

Porro per secretam confessionem, quæ etiam *auricularis* dicitur, quod secretò ad aurem fiat, intelligitur ea, quæ à pœnitente fit Sacerdoti sine ullo teste. Publica verò est ea, quæ fit eidem Sacerdoti coram multis.

177 CONCLUSIO.

Hæc conditio, quòd confessio sit secreta vel publica, non est necessaria, ut confessio valeat; adeoque ad valorem confessionis Sacramentalis perinde est sive publica sit sive secreta.

Prob. 1mo. Ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 5. ubi sic loquitur: *Caterùm quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc divinò præceptò mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publicâ essent confessione aperienda. Unde cùm à Sanctissimis & antiquissimis Patribus unanimi consensu secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi initium habuisse, docere non verentur.* Hinc etiam Can. 6. anathematizat eum, qui dixerit, *modum secretè confitendi soli Sacerdoti alienum esse à mandato Christi &c.*

178 Prob. 2do. Ex S. Leone Magno Ep. 80. ad Episcopos Campaniæ, ubi quosdam reprehendit, qui peccatores compellebant ad publicè confitendum; *cùm*, inquit, *reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari secreta confessione.*

179 Prob. 3tio. Peccata publica, seu quæ scandalo Ecclesiæ fuerant, pœnitentes antiquitùs palam confitebantur, ut constat ex invictis historiæ monimentis præsertim apud Eusebium in suis hist. Eccles. libris: crimina verò sic occulta, ut omnes præter reum laterent, occultè & secretò confessi sunt: nam certò publicè non confitebantur scelera, in quæ leges capitis damnatione animadvertebant, ut est v. g. homicidium, &c. Ergo tam confessio publica, quàm privata antiquitùs erat in usu, & consequenter valida est.

Prob. 4to. Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ sufficit ea confessio, ex qua Sacerdos rectè & sufficienter judicare possit de pœnitentis statu, dispositione, & peccatis. Atqui tam ex confessione secreta, quàm publica, Sacerdos rectè potest de his omnibus judicare. Ergo &c. 180

Porro quamvis expressum non extet mandatum secretò tantùm faciendi confessionem, tamen propter universalem consuetudinem, quæ ubique invaluit, absque gravi causa, & legitima facultate Sacramentalis confessio publica licitè fieri non potest.

Solvuntur Objectiones. 181

Ob. 1mo. Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii est institutum. Atqui judicium ex natura sua testes requirit. Ergo confessio essentialiter debet esse publica.

Resp. Dist. maj. Per modum judicii voluntarii, in quo idem homo reus est & accusator, conc. Per modum judicii coacti & spectantis ad forum externum, in quo reus & accusator distinctæ sunt personæ, neg. maj. Et pariter dist. min. neg. cons. Hoc Sacramentum primariò institutum est per modum judicii reconciliativi, non vindicativi, sed ad salutem peccatoris ordinati, ideoque voluntarii: undè multum differt à judicio contentioso, & spectante ad forum externum, quod primariò ordinatur ad punitionem rei, nec ipsi voluntarium est.

Ob. 2do. Olim confessio publica præcepta erat. Ergo est de essentia Sacramenti. 182

Resp.

Resp. Dist. ant. Olim confessio publica aliquorum peccatorum publicorũ præcepta erat ut pars quædam satisfactionis pro peccatis, conc. Confessio publica omnium peccatorum etiam occultorum, aut aliquorum duntaxat publicorum, præcepta erat ut pars essentialis Sacramenti, neg. ant. & conf. Confessioni publicæ olim semper confessio secreta præmittebatur, quò Sacerdos judicaret quænam peccata publicè declaranda essent, aut occultanda; quæque deinde pro ejus arbitrio palàm in cœtu Ecclesiæ à pœnitente, ut publicè illa confusione accepta partem pœnæ temporalis peccatis debitæ lueret, & scandalum datum tolleret, declarari debebant, & pro eis publica pœnitentia imponebatur.

183 Ob. 3tio Concilium Lateranense IV. statuit, ut quilibet Fidelis adultus semel in anno *solus* confiteatur Sacerdoti. Ergo sola confessio secreta potest esse Sacramentalis.

Resp. neg. conf. Quia Concilium istud hanc vocem *solus* addidit, ut significaret, Sacerdotem non posse compellere pœnitentem ad confitendum publice peccata, & sufficere confessionem secretam.

§. III.

184 *Quando præceptum divinum Confessionis obliget?*

1mo. Divinum Confessionis Sacramentalis præceptum *per se* non statim obligat à commisso peccato. Ratio est, quia præcepta affirmativa non omni tempore obligant. Inde est, quòd Ecclesiasticum Confessionis præceptum, quod divini determinatio est quoad tempus, non obstringat nisi semel in anno. Et verò major esse non potest Confessionis, quàm Contritionis obligatio. Atqui, ex anteà dictis, præceptum Contritionis statim ab ipso commisso peccato non obligat.

Diximus *per se*, nam per accidens & ratione alterius obligare potest lex Confessionis, eos nimirùm, qui vel Sacra perficere, vel ad sacram mensam accedere tenentur.

2do. Divinum Confessionis præceptum *per se* obligat, ubi probabile est mortis periculum. Ratio est, quia vel nunquam obligat, quod asserere foret erroneum: vel saltem in periculo mortis, quo præsertim tempore tenetur quilibet saluti suæ consulere. 185

Diximus, *Ubi probabile est mortis periculum*: in levioribus enim morbis, ex quibus nullum timeri potest mortis periculum, urgere non videtur illud præceptum. Inde sapienter cautum est SS. Pontificum decretis, ut cùm Medici ad gravium morborum curam vocantur, ægros de confessione facienda priùs moneant, quàm se ad illorum curationem accingant. Ita Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. prohibet Medicis visitare infirmum tertia die, nisi confiteatur, aut ex consilio Sacerdotis confessionem differat.

Porro per probabile mortis periculum intelligitur quilibet gravis morbus, difficilis partus, primum puerperium, navigatio periculosa, instans conflictus, &c.

3tio. In periculo mortis constitutus, 186 qui post diligens conscientiæ examen agnoscit se venialium duntaxat peccatorum reum esse, absolutè & per se non tenetur ea confiteri; quia alia remedia superunt pro peccatis venialibus expiandis. Tenetur tamen per accidens ea confiteri 1mo. Ratione scandali, quod inde oriri posset. 2do. Ad vitandam præsumptionem. 3tio. Ne se ipsum decipiat nimiùm sibi blandiendo; tùm quia peccata, quæ ipsi venialia videntur, forsan sunt mortalia, quorum discretio pertinet

tinet ad Sacerdotem; tùm quia optima est & Sanctorum praxi confirmata consuetudo confitendi venialia peccata; tùm quia per Sacramentum Pœnitentiæ uberiora impetrantur gratiæ adjumenta.

187 4to. Divinum Confessionis præceptum obligat etiam sæpè per vitam extra mortis periculum. Tùm quia præcepta divina positiva & affirmativa non tantùm obligant in extrema necessitate, sed etiam cùm probabiliter judicatur necessaria eorum observatio. Atqui etiam extra mortis periculum necessaria judicatur Sacramentalis confessio peccatorum; neque enim verisimile est Christum voluisse legem Confessionis obligare duntaxat in solo mortis articulo: finis quippe illius est, ut homo in gratiam redeat cum Deo, à quo per peccatum mortale recessit: at cum sæpiùs contingat hominem peccare mortaliter, necnon periculum indurationis in malo præcaveri omni curâ debeat, atque ex diuturno peccati affectu omninò timeri; hinc necesse est sæpius ad remedium Sacramentalis confessionis recurrere. Tùm quia peccator per se & independenter à mortis periculo tenetur pœnitentiam agere secundùm leges à Deo institutas. Tùm quia Sacramentum Pœnitentiæ à Deo institutum est non solùm ad remittendum peccata commissa, sed etiam ad præcavenda & impedienda futura. Ergo Christus voluit, ut peccatores illud sæpius in vita susciperent.

5to. Jure divino necessaria est Confessio ei, qui vult accedere ad Sacramentum Eucharistiæ, prout jam in Tract. præcedenti part. 1. c. 5. observavimus.

§. IV.

188 *An Confessio Sacramentalis sit etiam præcepti Ecclesiastici, & quando obliget?*

Celebre Confessionis semel in anno faciendæ Decretum emisit Concilium Lateranense IV. an. 1215. sub Innocentio III. Can. 21. Non verò primùm Confessionem peccatorum instituit, ut calumniantur Novatores. Hujus autem Canonis hæc sunt verba: *Omnis utriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti:* idque sub mortali, ut patet tùm ex gravitate materiæ, tùm ex pœna adjuncta his verbis: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.*

Quæ pœna tamen non est *latæ sententiæ*, sed tantùm *ferendæ*: quapropter Parochus ab ingressu Ecclesiæ arcere non potest, nec Ecclesiasticâ sepulturâ privare parochianum, qui semel in anno Sacramentaliter confessus non fuit, nisi priùs intervenerit superioris Judicis sententia.

Proprius autem Sacerdos is est, inquit Rituale nostrum Argentinense, De pœnit. tit. 7. p. 137. *cui cura animarum ex officio demandata est: scilicet Episcopus in propria Diœcesi, & sub eo Parochi. Cùm autem libera sit Confessio, ut huic libertati consulatur, hac in Diœcesi* (Argentinensi) *in usu est, ut cuilibet Sacerdoti ritè approbato possint Fideles, sicut aliàs per annum, ita & Paschæ tempore, peccata sua confiteri, & ab eo absolutionis beneficium percipere, cum hac tamen obligatione Fidelibus imposita, ut proprium Parochum de adimpleto annuæ confessionis præcepto schedulâ à Confessario receptâ doceant.*

Huic annuæ confessionis præcepto 189 non satisfit per confessionem voluntariè nullam ac invalidam. Ratio est aperta, quia præceptum Ecclesiasticum confessionis est determinatio quoad tempus divini præcepti, ac proinde Ecclesia non aliam confessionem præcipit, quàm Deus. Atqui absurdum est dicere, divino præcepto satisfieri per sacrilegam confessionem. Ergo nec præcepto Ecclesiastico satisfit. Unde Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè*

viè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ. Si quis tamen aliqua peccata mortalia ex inculpabili oblivione in confessione annua omisisset, non teneretur ea adhuc eodem anno confiteri (*h*) quia confessio præcedens fuit valida.

190 Quamvis hoc præceptô certum anni tempus confitendi non statuatur, tamen consuetudo, quam Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. commendat, invaluit confitendi intra quindenam Paschalem (*i*): quare juxta multos annus pro servando hoc præcepto computatur ab una quindena Paschali ad aliam; & ita fert Fidelium praxis; ac re ipsa solùm eo tempore Parochi confessionem à Fidelibus exigere solent.

191 Qui toto anni decursu omisit confiteri, tenetur etiam elapsô annô quantociùs satisfacere Ecclesiæ præcepto; alioqui peccat deinceps, & quidem toties, quoties potest commodè confiteri, & omittit. Nam Ecclesia absolutè & per se præcipit confessionem annuam, prohibetque ejus dilationem ultra annum; ita ut annus designetur non ad finiendam sed ad sollicitandam obligationem jure divino impositam, & ut terminus, ultra quem non differatur confessio, & ultra quem remaneat obligatio confitendi; ut patet ex his Concilii Lateranensis verbis, *saltem semel in anno.* Atque in hoc differt præceptum confessionis annuæ ab obligatione v. g. audiendi Sacri, servandi jejunii, quòd istorum obligatio veluti alligata sit tempori, & præsertim imposita ob circumstantiam & honorem talis temporis, quo elapso illa non perseverat. Qui tamen per plures annos non accessit ad Sacramentum Pœnitentiæ, non tenetur multoties posteà in eodem anno confiteri in compensationem toties violati Ecclesiæ præcepti, quia hæc compensatio Ecclesiæ praxi contraria videtur; qui enim per annos quindecim v. g. neglexit peccata confiteri, non obligatur ad confitendum quindecies. Vi hujus præcepti tenentur Fideles anticipare confessionem in quavis anni parte, si prævideant fore, ut omissa illa occasione nequeant posteà toto illo anno confiteri: v. g. ex longa navigatione vel peregrinatione per terras infidelium &c. quia hoc præceptum non terminatur ad finem anni, sed currit toto anno.

Qui peccatorum duntaxat venialium 192
sibi conscius est, probabiliùs non tenetur vi præcepti Ecclesiastici ea confiteri, nisi fortè scandali alicujus periculum foret; quia, ut jam diximus, præceptum Ecclesiasticum confessionis non obligat, quando ipsum præceptum divinum non obligat. Atqui præceptum divinum non obligat ad confitendum venialia. Existimat tamen S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. ad 3. hominem illum vi præcepti Ecclesiastici teneri sistere se proprio Sacerdoti, eique declarare, se nullius mortalis peccati reum esse.

§. V. 193

Quænam sint veræ Confessionis conditiones?

Sexdecim vulgò numerantur veræ Confessionis conditiones his quatuor versibus comprehensæ:

(*h*) Intellige si non ampliùs eodem anno confiteri vellet.

(*i*) Id est à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè.

Sit simplex, humilis, confessio pura, fidelis,
Necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

194 1mo. Sit *simplex.* Id est, verbis non fucata, nec ad historicam narrationem magis, quàm ad peccatorum coram Judice accusationem accommodata.

195 2do. *Humilis.* Ex intimo propriæ indignitatis sensu, deposito omni fastu sæculari, oculis in terram demissis, flexis genibus, sicut reum decet, qui veniam deprecatur. Non ergo sit contentiosa, qualis est eorum, qui ad Sacerdotes animò potiùs disputandi, quàm declarandi sua peccata accedere videntur.

196 3tio. *Pura.* Quæ nihil extraneum habeat admixtum, nullumque finem sibi proponat nisi honestum, & pœnitenti consentaneum.

197 4to. *Fidelis.* Id est, vera & sincera, quæ nihil falsi habeat admixtum. Mortale Sacrilegium est, omne mendacium in materia confessionis necessaria, ut si pœnitens falsò neget, se commisisse mortale nondum legitimè confessum, vel circumstantiam necessariam, aut ita tegit, ut à Confessario non intelligatur; vel si neget aliquid aliud grave, quod interrogatus à Confessario tenetur aperire, qualis est peccandi consuetudo, præsens voluntatis dispositio, &c. nam tunc in re gravi ad Sacramentum, vel ejus rectam administrationem pertinente decipit Judicem suum & Medicum à Christo institutum, ne secundùm cognitionem per confessionem acquisitam, & pœnas peccatis proportionatas imponat, & remedia opportuna præscribat. Idem dicendum, si quis fateatur contra conscientiam suam, se commisisse mortale, aut eorum numerum augeat; quia Judicem suum in re gravi ad judicium sacramentale pertinente & necessaria decipit, & ejus judicium pervertit. Eadem etiam est ratio, si quis peccatum dubium scienter confiteatur ut certum, aut vicissim; vel si quis in confessione generali falsò asserat, se jam peccata aliqua mortalia confessum esse; quia hi omnes in re gravi decipiunt Confessarium. Excipiuntur semper quoad prædicta scrupulosi, anxii, rudes, simplices, qui vel ex anxietate vel ex perturbatione, ignorantia, bona fide sæpe se de iis accusant, quæ non fecerunt, vel de pluribus, quàm fecerint, &c. Mentiri in confessione circa rem levem & non necessariam, ut si negetur aliquod veniale, aut etiam mortale jam anteà legitimè confessum, commissum esse, per se tantùm veniale est; quia tunc non graviter decipitur Judex in ordine ad debitum judicium, nec Sacramento gravis infertur injuria. Si quis tamen se falsò accusaret de solo peccato veniali, quod esset tota materia confessionis, mortaliter peccaret, quia tunc ob defectum materiæ Sacramentum nullum esset.

5to. *Nuda.* Non intricata, nec ver- 198
borum circuitu implexa, multò minùs variis impertinentibus discursibus permixta. Usitatum est præcipue mulieribus, quòd in confessione sive ad suum solatium, sive ad excusationem suorum litigiorum & inimicitiarum, quas contra proximum aut etiam conjugem suum gerunt, gravissima de proximo aut conjuge etiam minimè ad rem pertinentia effutiant, &c. Caveant ergo Confessarii prurientes auribus, qui ejusmodi fabulatrices non impediunt, sed auscultant, imo sæpè suis curiosis interrogationibus ad ejusmodi detractiones talibus ansam præbent.

6to. *Frequens.* Ne scilicet ex negle- 199
cto usu Sacramenti Pœnitentiæ peccandi habitus contrahatur, cor induretur, & finalis sequatur impœnitentia.

7mo. *Discreta.* Id est, prudens & 200
cauta, ne pœnitens quid amplius vel minus enuntiet, quàm necesse sit, sed in-

intra eos fines se contineat, quos exigit confessionis integritas. Hinc pœnitenti non licet complicem peccati in confessione detegere, si aliter possit peccatum suum sufficienter exprimere, vel sine gravi incommodo adire Confessarium, cui complex sit ignotus; quia in his casibus sine justa causa proximum diffamaret, quod nunquam licet. Unde 1mo. pœnitens per aliquod tempus, si commodè potest, tenetur differre confessionem, ut possit deinde habere alium Confessarium, cui complex sit ignotus, nisi urgeat præceptum confitendi vel communicandi; non tamen tenetur differre per longum tempus confessionem, præsertim si sit in peccato mortali, & omissio confessionis, vel interruptio communionis ei probrosa esset, quæ tamen dilatio ex prudenti judicio est definienda. 2do. Confessarius debet prohibere, imo etiam arguere pœnitentem, quem animadvertit paratum esse ad revelandum complicem peccati sine justa causa. Quod si tamen aliter non possit peccati proprii speciem aperire, nec possit commodè differre confessionem, nec adire Confessarium, cui complex ignotus sit, tenetur manifestare complicem seu socium criminis. Ita expressè docet S. Bernardus, quem jam sequitur communior Theologorum, dum Opusc. de formula vitæ sic loquitur: *De nullo sinistrè loquaris nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Ratio est; quia pœnitens peccatum declarare tenetur in confessione cum propria infamia. Ergo etiam cum infamia alterius, cujus peccati declaratio necessaria est ad proprium peccatum integrè confitendum: nam ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem, ut se ipsum infamet, quàm ad eum obligandum, ut alterius crimen revelet; aliquando enim possum patefacere crimen alienum ad vitandum aliquod malum temporale, grave & injustum, quamvis non ideo obliger ad crimen meum manifestandum. Deinde ipsa infamatio alterius apud solum Confessarium per se sequitur ex integra confessione; incommoda autem, quæ per se sequuntur ex integritate confessionis, illam impedire non debent, quia illis non obstantibus præcepta est. Denique inter Christianos complex criminis factô suô tacitè renuntiat juri quod habet ad servandam famam sciens necessitatem confitendi peccata. Hinc pœnitens, qui cum unica sorore sua Confessario nota incestum commisit, tenetur incestum confiteri in tali gradu, &c. Porrò licet etiam patefacere complicem, quando hoc necesse est, ut media idonea suggerantur pœnitenti, quibus à proxima peccati occasione liberetur; vel ut pœnitens doceatur, qua ratione satisfacere possit obligationi justitiæ, aut charitatis, qua tenetur grave malum imminens communitati, vel complici, vel alicui tertio avertere; quia tunc subest rationabilis causa occultum proximi peccatum detegendi.

8vo. *Libens.* Id est, non extorta à Confessario, qualis in judicio sæculari solet à reis extorqueri. Unde qui certa crimina non declarant, nisi industriâ Confessarii quodammodò coacti, vix bene dispositi ad Sacramentalem absolutionem recipiendam esse videntur; quare antequam eam recipiant, adhuc contritionem eos elicere oportet. 201

9no. *Verecunda.* Id est, cum quodam pudore conjuncta, casta, & modesta; ne scilicet quæ re vera sunt obscœna & turpia, verbis obscœnis & turpibus exprimantur. Cautè igitur hoc in casu tam ex parte Confessarii, quàm pœnitentis procedendum; ne alterutra pars scandalum patiatur. 202

10mo. *Integra.* Id est, ut peccata specie diversa & numerô distincta cum suis circumstantiis aperiantur. 203

11mo. *Secreta.* Id est, in aurem Sacerdotis demissa voca facienda; ita tamen, 204

men, ut Confeſſarius pœnitentem bene intelligat; nam ex Tridentino Deus jubet peccata declarari eo modo, quo Sacerdos poſſit de iis rectè judicare &c. Et ſic præcipitur confeſſio, quæ à Sacerdote diſtinctè intelligatur, aliàs inanis eſſet; quare ſi pœnitens animadvertit Confeſſarium ob diſtractionem vel ſurditatem, aut aliam cauſam non percepiſſe aliqua peccata, tenetur illa repetere; quod ſi neſciat, quænam illa ſint, debet totam confeſſionem repetere, cùm de ſingulis prudenter poſſit dubitare.

Non eſt quidem de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, ut Confeſſio fiat voce, ſed poteſt validè fieri nutibus, geſtibus, vel Scriptô, ſi deſit facultas loquendi. Conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ mutos & moribundos vocis uſu deſtitutos per nutus vel alia ſigna confitentes abſolvit. Deinde Chriſtus ſolùm præcipit confeſſionem, qua peccata declarentur Sacerdoti ut Judici, quod ſufficienter fieri poteſt per nutus vel Scripturam. Absque neceſſitate tamen aliter quàm voce confiteri non licet; patet 1mo. Ex communi Theologorum conſenſu. 2do. Ex conſuetudine Eccleſiæ vim legis obtinente, & graviter obligante, utpotè de re ſpectante ad convenientem modum perficiendi Sacramentum: nam verba ſunt aliis ſignis longè aptiora ad ſignificandum. 3tio. Ex Extravag. *Inter cunctas.* de privileg. ibi: *Niſi articulus neceſſitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confeſſio exigitur.* Excipitur autem ſine dubio cauſa multùm rationabilis, prout communis Theologorum notat, ut ſi in raro caſu, v. g. puella ſupra modum verecunda peccatum ſuum ore explicare non poſſit, prudens Confeſſarius confeſſionem ipſius in Scripto ipſi præſenti datam admittere, & præſentem abſolvere poterit, dummodò poſteà ſe de hoc voce accuſet, & dicat: *Accuſo me & doleo de hoc ſcripto & lecto peccato, &c.*

Qui voce non poteſt, tenetur omni meliori modô nutibus, imo & Scriptô, ſi poſſit, confiteri non tantùm ex præcepto divino in articulo mortis, ſed etiam Eccleſiaſtico ſemel in anno; quia præceptum confitendi obligat ſaltem, cùm ſine gravi damno confeſſionis extrinſeco obſervari poteſt. Atqui hic modus confitendi nullum damnum ſaltem grave affert; neque Scriptura eſt per ſe inſtrumentum publicationi obnoxium, & poteſt ſtatim comburi & lacerari.

Quantùm ad eum, qui nonniſi per interpretem confiteri poteſt, an obligetur præcepto confeſſionis, multi docent, neminem ex vi præcepti confeſſionis obligari ad confitendum per interpretem, licèt id rectè poſſit; eo quòd Chriſtus nos non obligârit ad declaranda peccata, niſi ſoli Sacerdoti abſolutionis Miniſtro. Deinde Concilium Lateranenſe IV. præcipit ſolùm, ut pœnitens omnia ſua peccata ſolus confiteatur Sacerdoti. Item ex Tridentino Seſſ. 14. c. 5. nullum eſt præceptum de confeſſione publica facienda. Atqui confeſſio, quæ per interpretem fit, ex natura ſua publica eſt. Ergo. &c. Per accidens tamen & ex præcepto charitatis propriæ ad id aliquem teneri probabilius videtur; quia tunc periculum eſſet diu permanendi in peccato mortali, cùm difficile ſit, nec ita frequens, habere contritionem perfectam; hæcque obligatio maximè urget in periculo mortis, ubi tenemur omnia media tutiora ad ſalutem conſequendam adhibere. Non pauci tamen hìc iterùm dicunt, ſufficere tunc confiteri per interpretem aliquod duntaxat peccatum, accuſando ſe de cæteris in genere; nam integra peccatorum confeſſio præcepta eſt, dum ſcilicet moraliter fieri poteſt ſoli Sacerdoti.

An per literas poſſit fieri confeſſio, pro rei dignitate examinabimus ſequenti paragraphô. De confeſſione autem moribundi per nutus & ſigna, &c. inferiùs agemus ubi de abſolutione.

12mo. *La*

205 12mo. *Lacrymabilis.* Id est, cum intimo animi dolore: Confessio enim ex dictis debet esse contritionis effectus, & ejus sensibile signum.

206 13tio. *Accelerata.* Id est, de die in diem non dilata.

207 14to. *Fortis.* Id est, non timidè, sed generosè peccata sua detegere debet pœnitens.

208 15to. *Accusans.* Id est, quæ peccata non imminuat, nec excuset, sed ea, qualia sunt, candidè aperiat.

209 16to. Denique, *Parere parata.* Pœnitens ita debet esse animô præparatus, ut faciat quidquid prudens Sacerdos tanquam Judex vice Dei præceperit.

210 §. VI.

An Confessio per litteras Sacerdoti absenti facta valeat? vel potiùs an ante Decreta SS. Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. hujusmodi Confessio per litteras Sacerdoti absenti facta valuerit?

Certum est post Decreta Clementis VIII. & Pauli V. Confessionem per litteras Sacerdoti absenti factam esse invalidam. Clemens VIII. quippe an. 1602. hanc propositionem: *Licet per litteras aut internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere*, damnavit *ad minus uti falsam, temerariam & scandalosam*; prohibuitque ne hæc propositio *unquam velut aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Quod intelligendum est non solùm conjunctim, nempe quoad confessionem & absolutionem simul, ut putat Suarez, sed etiam divisim, nempe quoad alterutram partem, ut ipsemet Clemens VIII. & post ipsum Paulus V. an. 1605. declarârunt.

Quæstio igitur hîc duntaxat est, an confessio facta Sacerdoti absenti per litteras ante Decretum Clementis VIII. illicita etiamnum ac invalida fuerit. Pro quo sit

CONCLUSIO. 211

Confessio Sacerdoti absenti per litteras facta etiam ante Decretum Clementis VIII. illicita fuit & invalida.

Prob. 1mo. Auctor de vera & falsa pœnitentia apud S. Augustinum sic ait: *Præcepit Christus mundandis leprosis, ut ostenderent ora sua Sacerdotibus; docens præsentiâ suâ confitendum peccata, non per scriptum, non per nuntium manifestanda.* Synodus Nemausensis an. 1284. *Non debet* (pœnitens) *confiteri per nuntium*, inquit, *vel per scripturam, sed viva voce, ore proprio, & præsentialiter, ut qui per se peccavit, per se ipsum confiteatur, & erubescat.* Ergo Clemens VIII. suô Decretô novam legem non sanxit, sed Apostolicam Traditionem vindicavit; quod ultrò ex ipsismet Decreti verbis patet, dum propositionem, qua dicitur, *licere per litteras Sacerdoti absenti confiteri*, uti *falsam* damnavit: falsa ergò jam existebat, antequam ipse eam falsam pronuntiasset.

Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino 212 Sess. 14. c. 2. ubi *Christus*, inquit, *Dominus eos, qui se post Baptismum crimine aliquo contaminaverint ante hoc tribunal* (Sacramenti pœnitentiæ) *tanquam reos sisti voluit.* Ergo ad validam absolutionem semper necesse fuit, ut pœnitens coram Sacerdote Judice sisteretur, & personaliter compareret.

Prob 3tio. Quia debita Sacramenti 213 Pœnitentiæ administratio, per se loquendo, exigere videtur, ut confessio fiat Sacerdoti præsenti: nam ut Sacerdos pœnitentem absolvat, per se loquendo, debet habere certitudinem moralem de integritate confessionis, necnon debita ac præsenti dispositione pœnitentis; quam certitudinem moraliter habere non potest, nisi pœnitentem audiat confitentem.

Dices 1mo. Patres Concilii Duziacensis 214 an. 872. absolverunt Robertum Cenomanensem Episcopum graviter ægro-

tantem, quibus per litteras peccata sua confessus fuerat. 2do. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis sæculô 9nô. Hildebaldum Suessionensem Episcôpum per litteras confessum absolvit. 3tio. S. Thomas Cantuariensis Episcopus per litteras absolutionem à peccatis ab Alexandro III. Summo Pontifice poposcit & obtinuit. Ergo licita ac valida fuit confessio facta Sacerdoti absenti, seu per litteras.

Resp. neg. conf. Nam iis in locis non agitur de confessione & absolutione Sacramentali; sed vel de absolutione à censuris & pœnis canonicis, vel de absolutione generali, & cæremoniali, qualis illa est, quæ fit à Sacerdote in initio Missæ, vel qualem in ordine Monachorum Superior dat suo Religioso moribundo, quæ appellatur *Absolutio Ordinis.* Unde Hincmarus hortatur Hildebaldum, ut Sacerdoti specialiter peccata sua confiteatur, ex Sirmondo in notis ad 3. tomum Conciliorum Galliæ. Et Alexander III. S. Thomam admonet, *ut si quid commisit, de quo propria conscientia debeat remordere, illud Sacerdoti, qui discretus sit & providus, confiteatur.*

§. VII.

215 ### *Quænam ad integritatem Confessionis requirantur?*

Duplex est Confessionis integritas, una *formalis, materialis* altera. Prior est accusatio omnium delictorum mortalium, quæ post diligens conscientiæ examen memoriæ occurrunt. Posterior verò est accusatio omnium omnino mortalium commissorum, quæ juxta divinum præceptum, per se loquendo, sunt exprimenda. De priori integritate hîc duntaxat agimus, non de posteriori: certum quippe est materialem confessionis integritatem non esse absolutè necessariam; quia sæpè impossibilis est cognitio omnium omninò mortalium etiam post diligens conscientiæ examen. Hinc Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. non aliud à pœnitente exigit, quàm ut, *postquam se diligentiùs excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes ac latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur, &c.*

Quæritur ergò hîc 1mo. An omnia peccata mortalia post diligens examen memoriæ occurrentia quoad speciem & numerum necessariò exprimi debeant? 216
2do. An etiam peccata positivè dubia? 3tio. An circumstantiæ aggravantes necessariò explicari debeant in confessione. Quæ omnia distinctis conclusionibus resolvemus.

Priùs ad memoriam revocanda veniunt ea, quæ circa hanc materiam tùm in Tract. de Actibus Hum. tùm de Peccatis disseruimus, scilicet, quomodò peccatum numerô multiplicetur; quomodò circumstantiæ peccatum aggravent tantùm, vel omnino ejus speciem mutent. Item dubium aliud esse *negativum*, aliud *positivum.* *Negativum* dicitur, quando intellectu seu mente inter utramque partem suspensâ nulla occurrit ratio probabilis judicandi pro hac vel altera parte. *Positivum* verò dicitur, quando pro utraque parte rationes verè probabiles & æquales adsunt. Peccata negativè dubia pœnitentem non teneri in confessione aperire, sed ut inanes scrupulos contemni posse communis tenet Doctorum, & certum est ex principiis à nobis in Tract. de Act. Hum. ubi de Conscientia disseruimus, stabilitis. De peccatis verò *positivè* dubiis plurimi aliter sentiunt, ac ea necessariò in confessione *ut dubia* exprimenda esse volunt. His præmissis sit

CON-

217 **CONCLUSIO. I.**

Jure divino omnia & singula peccata mortalia post diligens examen memoriæ occurrentia tam quoad speciem, quàm quoad numerum in confessione exprimi debent, nisi tamen legitima causa excuset.

Prob 1mo. iisdem Scripturæ, Conciliorum, ac SS. Patrum testimoniis, quibus §. 1mo. Confessionis Sacramentalis necessitatem demonstravimus.

218 Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino Sess. 14. Can. 7. sic definiente: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta &c. Anathema sit.* Ubi per vocem *omnia* indicantur species peccatorum, non quidem physicæ, sed morales; non enim peccata explicanda sunt secundùm species physicas actuum & objectorum, seu secundùm diversas physicas actuum entitates, sed secundùm species morales, id est secundum malitias formales ac deformitates contra certas virtutes, vel leges. v. g. Furatus es Titio 100. aureos in pecunia, & equum valentem 50. florenos, non opus est istas physicas species in confessione explicare, sed satis est dicere, commisi tot furta mortalia, singula tanti valoris &c. omnia enim sunt ejusdem speciei moralis injustæ læsionis proximi in bonis fortunæ contra justitiæ virtutem, etsi hæc furta physicè considerata sint diversa. Per vocem verò *singula* indicatur numerus peccatorum, qui necessariò exprimendus est. Porro qui non potest præcisè determinare numerum suorum peccatorum, tenetur exprimere eorum numerum cum aliqua latitudine verisimiliori dicendo v. g. *commisi hoc peccatum decies, plùs vel minùs:* ac licèt posteà veri & certi numeri, peracta confessione, recordaretur, tamen ipsi opus non erit, ut numerum illum de novo recognitum in alia confessione aperiat, nisi fortè tanta occurrat multitudo peccatorum (quod difficilè contingere potest) ut notabiliter numerum priùs verisimiliter expressum excedat.

Verùm, quod bene notandum, qui 219
certus de numero peccati repetitis vicibus commissi, illud exprimit cum suo *circiter, plùs, minùs,* peccat mortaliter; quia talis unum saltem peccatum certum confitetur velut dubium & consequenter in re gravi mentitur. Perperam quoque agunt & peccant, qui absque judicio & examine debito ad quosque peccatorum numeros particulas illas *circiter, plùs, minùs,* addere solent, & quasi divinando numerum peccatorum exprimunt. Quare Confessarius non debet passim admittere istas phrases, nisi quando prudenter judicat, pœnitentem non potuisse per moralem diligentiam deprehendere certum peccatorum numerum.

Quòd si pœnitens propter lapsuum multitudinem nequidem possit eorum numerum circà circiter exprimere, tunc interrogandus est, ex quo tempore talem consuetudinem habuerit, & quoties circiter per diem, vel hebdomadam, vel mensem consueverit tale peccatum admittere; ut sic, quantùm fieri potest, numerus peccatorum Confessario innotescat; an non aliquo etiam tempore frequentiùs, alio rariùs illud commiserit &c. Hinc communis meretrix satisfacit dicendo: *tot annos in statu meretricio permansi, quoties occasio fuit, & quibusvis, etiam conjugatis, Ecclesiasticis, &c. copiam corporis mei feci.* Quòd si pœnitens diu & cum maxima salutis incuria in iis præsertim peccatis, in quæ lapsus lubricus & frequens est, insorduerit, ut

ut sunt peccata carnis, præcipuè ea, quæ sola cogitatione admittuntur; juramenta, & alia id genus, quæ ex habitu non retractato obrepere solent, ita ut ne dicere quidem possit, quoties circiter intra singulos dies, &c. talia peccata admiserit, nec, quamvis dicat, fidem aliquam apud Confessarium facere possit; saltem sic se ipsum introspiciat, ut respondere valeat, quamdiu ita fuerit comparatus, ut ad quamlibet occasionem præceps in ea peccata rueret; cùm sine hac declaratione intelligere nequeat Sacerdos, quàm peccator iste infixus sit in limo profundi, nec possit cum aliqua morali certitudine de ejus animæ statu ferre judicium.

220 Denique qui aliquamdiu in aliqua mala voluntate, v. g. hominem occidendi, remansit, tenetur in confessione exprimere, quantùm moraliter fieri potest, numerum actuum intrà illud tempus iteratorum: sed quia plerumque impossibile est ejusmodi peccatorum numerum inire, ideo omnium consensu sufficit, explicare moram temporis, qua quis in tali mala voluntate perstitit.

221 Diximus in conclusione *Nisi tamen legitima causa excuset.* Excusat autem 1mo. Inculpabilis oblivio alicujus peccati mortalis. 2do. Impotentia physica. Hinc excusantur 1mo. Qui præ morbi gravitate loqui non possunt. 2do. Muti, si per gestus, scripturam, vel alia signa nequeant omnia peccata declarare. 3tio. Ii, quorum idioma nonnisi ex parte intelligi potest à Confessario, si nequeant alteri confiteri, sitque necessitas confitendi, vel urgeat præceptum annuæ confessionis. 4to. Cum in imminente naufragii periculo, vel instante pugna nequeunt omnes integrè confiteri, imò tunc sufficit confusa confessio. 5to. Qui versantur in periculo moriendi ante absolutionem, nisi ea mox detur; tunc enim tales, auditis aliquot dumtaxat peccatis, sunt absolvendi. 3tio. Impotentia moralis. Ob hanc excusantur 1mo. Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit absque fractione sigilli confessionis. 2do. Quicumque confiteri nequit aliquod peccatum sine gravi damno confessioni extrinseco temporali vel spirituali sive proprio sive etiam alieno. Nam lex charitatis obligat ad diligendum proximum sicut nos ipsos, & proinde ad vitandum ejus damnum, ut si prudenter timeas, ne Confessarius, qui solus haberi potest, frangat sigillum, vel ex tua confessione sumat occasionem peccandi, vel graviter nocendi proximo. Ut autem hoc licitè fiat, requiritur justa causa confitendi hîc & nunc tali Confessario, alioquin adeundus est alius, aut differenda confessio, ut suprà de manifestatione complicis peccati diximus.

Magnus autem populi concursus die indulgentiæ, vel festivitatis per se præcisè non excusat ab integritate confessionis, ut quidam voluerunt, quorum opinionem damnavit Innocentius XI. Quia tunc non adest sufficiens necessitas dimidiandi confessionem, & indè maximi abusus & incommoda orirentur.

Porro peccata ex oblivione, vel ob 222 aliam justam causam omissa, in sequenti confessione declarari debent; quia sic fert generalis Fidelium persuasio & praxis, & Alexander VII. hanc propositionem damnavit: *Peccata in confessione oblita aut omissa ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Denique licèt actus externus interno 223 novam per se non addat malitiam, prout in Tract. de Act. Hum. c. 3. paragraphô unicô, Concluf. 5. probavimus, tamen ex communi Doctorum sensu & praxi Fidelium in confessione exprimi debet, 1mo. Quia actus externus facit moraliter cum actu

actu interno unum actum completum. 2do. Nisi declaretur actus externus, Sacerdos non potest, prout oportet, fungi officiô suô; nam non satis cognoscet statum pœnitentis, aut quæ danda remedia, quæ satisfactiones vel obligationes sint imponendæ; nam actus externus obnoxius est censuris & variis obligationibus, à quibus immunis est actus merè internus. Hinc Alexander VII. meritò hanc propositionem damnavit: *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit præcepto confessionis dicendo: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Ex paritate rationis, qui fornicatus est, non satisfacit dicendo, se voluntatem habuisse fornicandi &c. Item tenetur etiam pœnitens effectum malum ex peccato liberè commisso ortum, quem prævidit, vel saltem prævidere debuit secuturum, in confessione exprimere, quia ei meritò imputatur ad culpam: hinc qui propinavit alteri venenum, ex quo mors secuta est, tenetur etiam hunc effectum in confessione declarare. Vid. dicta cit. Tract. de Act. Hum.

224 CONCLUSIO II.

Peccata positivè dubia probabiliùs in confessione explicari debent.

Prob. 1mo. Ex universali omnium Fidelium sensu & praxi: semper enim probis omnibus persuasum, & à veteribus tanquam certum suppositum fuit, peccata ista dubia eo modo, quo in conscientia habentur, esse necessariò confitenda: non multo abhinc tempore primùm ab uno vel altero hæc veritas in dubium vocari cœpit, quæ proinde velut solitaria opinio tantorum virorum judicio præjudicare nequit.

Prob. 2do. Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. solùm peccata venialia, & ea mortalia, quæ, post diligens examen conscientiæ, non occurrunt memoriæ, excipit, quòd non necessariò debeant confiteri. Ergo peccata mortalia dubia, quæ post diligentem discussionem memoriæ occurrunt, juxta mentem Concilii necessariò sunt confitenda.

Prob. 3tio. Pœnitens non confitendo peccata dubia, exponit se periculo non confitendi omnia mortalia, & non faciendi confessionem integram, qualis à Christo præcepta est; quia dubitans, an peccatum commiserit, non potest prudenter judicare, se illud non perpetrasse, cùm pro utraque parte probabiles & æquales rationes pugnare supponantur.

Hinc, sicut, qui certò judicat se peccasse mortaliter, sed dubitat an illud peccatum confessus fuerit; aut qui scit, se commisisse peccatum aliquod, sed dubitat, sitne mortale vel veniale, illud confiteri tenetur; quia non potest prudenter judicare, se certæ obligationi confitendi omnia peccata mortalia satisfecisse, aut se non peccasse mortaliter; ita, qui post diligens examen dubitat, an aliquod peccatum, v. g. perjurium, quod scit esse mortale, admiserit, tenetur illud in confessione exprimere, ne se exponat periculo non faciendi confessionem integram; quia non potest prudenter judicare, se non admisisse tale peccatum. 225

Porro peccata dubia declaranda sunt tantùm ut dubia, sicut certa ut certa; qui autem aliquod peccatum mortale dubium ut dubium confessus est, si posteà certò noverit illud à se commissum esse, juxta multos tenetur illud iterùm confiteri ut certum; quia ex institutione Christi pœnitens tenetur omnia mortalia confiteri, prout sunt in ejus conscientia, & eo modo, quò Sacerdos rectè judicare possit de eorum gravitate, & de pœna conveniendi imponenda. 226

Diximus, *juxta multos.* Nam plures sunt, qui contrarium tenent, nec hanc agnoscunt obligationem, ex ratione, quòd talis re vera jam confessus sit peccatum suum, prout erat in conscientia, & ab eo directè jam absolutus sit. Deinde com-

communiſſimo ſenſu Doctorum qui dubius eſt de voto emiſſo, aut cenſura contracta, petit & obtinet diſpenſationem aut abſolutionem ad cautelam, poſteà cognita certitudine ſui voti, aut cenſuræ contractæ, non tenetur de novo petere diſpenſationem & abſolutionem. Ergo à pari, inquiunt, de peccato dubio dicendum.

227 CONCLUSIO III.

Probabiliùs non tantùm circumſtantiæ ſpeciem mutantes, ſed etiam intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantes in confeſſione ſunt declarandæ.

Prob. 1ma. pars clarè ex Tridentino, quod Seſſ. 14. Can. 7. anathematizat eum, qui dixerit, *neceſſarium non eſſe jure divino confiteri circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant.* Ratio etiam aperta eſt; quia circumſtantiæ hæ novam ſpecie malitiam addunt, ac novum peccatum conſtituunt. Hinc qui furatur magnam pecuniæ ſummam in Eccleſia, tenetur illam circumſtantiam in confeſſione exprimere, cùm ſic peccato furti addat peccatum Sacrilegii.

228 Prob. 2da. pars, 1mo. Rationes, quas Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. affert pro obligatione confitendi circumſtantias ſpeciem mutantes, nimirùm, quòd ſine illarum expoſitione *peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, &c.* valent etiam pro circumſtantiis merè aggravantibus; nam ſine illarum expoſitione neque peccatum ritè exponitur, nec innoteſcit Sacerdoti, cùm ſupprimatur malitia notabilis, quam circumſtantiæ addunt peccato, & per quas illud fit virtualiter & æquivalenter multiplex &c. Ergo etiam circumſtantiæ merè aggravantes in confeſſione exponi debent.

Prob. 2do. Ex Cap. *Conſideret.* 1. de pœnit. Diſt. 5. Ibi: *Conſideret* (peccator) *qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitii multiplici executione, &c.* En circumſtantiæ tam ſpeciem mutantes, quàm in eadem ſpecie aggravantes.

Prob. 3tio. Si pœnitenti liberum eſſet de circumſtantiis notabiliter aggravantibus ſilere, penes Epiſcopum non eſſet ſibi ratione illarum circumſtantiarum nonnulla crimina reſervare (ideò enim inter caſus ſibi reſervatos non poteſt Epiſcopus peccata venialia reſervare, quia pœnitenti aut ea confiteri, aut de iis ſilere liberum eſt) Atqui tamen contrarium obtinet in Eccleſia; ſibi nimirùm Epiſcopi inceſtum in 1mo & 2do. gradu reſervant, quamvis inceſtum in tertio aut quarto gradu, qui idem ſpecie eſt cum inceſtu in 1mo. & 2do. gradu, ſibi reſervare non ſoleant. Ergo &c.

Prob. 4to. Ex variis abſurdis, quæ ex oppoſita ſententia ſequuntur. 1mo. Enim ſequeretur, eum, qui per integrum annum in voluntate alterum occidendi perſeveraſſet, ſatisfacere dicendo in confeſſione, *habui voluntatem occidendi*, non exprimendo annuam talis voluntatis perſeverantiam. 2do. Qui modô valde crudeli alterum occidiſſet, v. g. ſecando per partes, lento igne adurendo, &c. ſimiliter ſatisfacere, ſi dicat, commiſi homicidium. Denique furatum mille aureos ſatisfacere dicendo, peccavi mortaliter in materia furti; quia exceſſus quantitatis non mutat ſpeciem furti. Quæ omnia videntur abſurda, falſa, & communi Fidelium ſenſui contraria. Hinc Catechiſmus Romanus de Pœnit. paragraphô. *Sed quoniam.* noſtram concluſionem conceptis terminis confirmat.

Qui aliquam circumſtantiam in confeſſione aperiendam oblitus eſt, tenetur poſtcà etiam ipſum peccatum iterùm confiteri, ad quod illa circumſtantia pertinet, unà cum illa, ſi tota hujus circumſtantiæ malitia nequeat ſine peccati declaratione exprimi. *Sol-*

149. *Solvuntur Objectiones.*

Objicitur contra 2dam. Conclus. Nemo tenetur confiteri nisi quod scit, Leg. *Mensis* [illegible] *Profess.* Ergo pœnitens non tenetur confiteri peccata dubia.

Resp. neg. cons. Illud axioma verum quidem est, sed nihil facit ad propositum; siquidem si pœnitens peccata dubia confiteri tenetur, quia talia præsumuntur; hinc non tenetur ea ut certa, & non ut dubia confiteri; sed tantum ex eo, quod jam confessa sint, & sic ne pœnitens se exponat periculo non faciendi confessionem integram, ea sub dubio dubitationibus suis integrè debet.

150. Ob. 2do. In foro externo delicta dubia non admittuntur, neque illius accusatus, minùs condemnari debet de delicto dubio tantum commisso. Ergò nec in foro conscientiæ Sacramentali peccata dubia saltem sub interrogatione admitti debent.

Resp. neg. cons. & paritatem. Disparitas est, quod in foro externo agitur tantum de pœna & vindicta infligenda, atque delicta dubia non plenè probata meritò non admittuntur. At verò in foro Sacramentali primariò agitur de remissione delictorum in favorem & commodum delinquentis, meritò etiam dubia admittenda sunt, ne quis se exponat periculo faciendi confessionem nullam, aut sacrilegam, utpote non integram.

151. Ob. 3tio. Peccata dubia non sunt materia necessaria. Ergo non sunt necessariò confitenda.

Resp. neg. cons. Quia licèt peccata dubia saltem non sint materia sufficiens Sacramenti in ordine ad absolutionē [illegible], possunt tamen sub Sacramento [illegible] peccatis suis mortalibus, aut [illegible] & sic cum ipsis [illegible].

152. Ob. 4to. contra 3tiam Conclus. Concilium Tridentinum definiens quænam necessariò in confessione declarandæ sint, tantum meminit earum circumstantiarum quæ speciem mutant; ergo aliæ non sunt necessariò exponendæ.

Resp. Concilium, ne quis [illegible] in [illegible] sit, quæ necessariò [illegible] ipsas in meliorem partem accipit, quia est tantum hæc quæstio, [illegible], & tamen [illegible] in ponderandis peccatis, quæ [illegible] Concilium, [illegible] habet, circumstantiæ, quæ speciem non mutant, aperiendas esse [illegible] speciem aggravantem [illegible] declarandas, [illegible] & in Concilio [illegible] implicitè [illegible] circumstantias notabiliter aggravantes.

Ob. 2do. S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 5. affert opinionem, quæ negat, pœnitentem teneri ad confitendum circumstantias aggravantes, esse multò probabiliorem, quàm quæ contrarium affirmant. Ergo &c.

Resp. Aliqui, hic nobis defenditur esse S. Thomam, [illegible] quod [illegible] hic junior admodùm hanc propositam opinionem. Alii dicunt, eum hic loqui solùm de circumstantiis, quæ infra eandem speciem non multùm augent malitiam peccati, & quæ nec sigillatim nec conjunctæ novum mortale peccatum constituunt.

Ob. 3tio. Pœnitens non tenetur confiteri circumstantias, quæ infinitum aggravant de speciali malitia. Ergo nec eas, quibus ipsa malitia augetur. 154

Resp. neg. ant. Alioquin enim Confessario Judici præberetur causa erroris in materia gravi, quod non licet.

Ob. 4to. Ex institutione Christi peccata mortalia declaranda sunt tantum quoad numerum & speciem; nam hoc sufficit ad cognoscendum & ponderandum 155

gra-

[illegible]

perfectam contrahi in loco, in tempore, in personarum... in ipsius ... circumstantias, ... Ex circumstantiis non speciem mutantes, quia ... aggravantes.

Prob. ... Si pœnitenti liberum esset ... circumstantias notabiliter aggravantes, ... posset Episcopo non esset licitum ... circumstantiarum ... reservare ... debet ... reservatas non posset Episcopus ... reservare; quia pœnitentem ... debet ... Atqui tamen contrarium ... Episcopi ... gradu reservant, ... in tertio aut quarto gradu, ... specie est cum incestu in ... gradu, sibi reservare non valeant. Ergo &c.

Prob. 3º. Ex variis absurdis, quæ ex opposita sententia sequuntur. ... sequeretur, eum, qui per integrum ... in voluntate alterum occidendi perseverasset, satisfacere dicendo in confessione, habui voluntatem occidendi, non exprimendo ... voluntatis perseverantiam ... Qui modo valde crudeli ... v. g. secando per partes, ... &c. similiter satisfaceret, si dicat, commisi homicidium. ... furatum ... peccavi mortaliter ... quia excessus quantitatis ... Quæ omnia ... & communi Fidelium ... Hinc Catechismus ... de Pœnit. paragrapho, ... eamdem conclusionem ...

Qui ... circumstantiam in confessione ... est, tenetur postea idem ipsum peccatum iterum confiteri, ad quod illa circumstantia pertinet, una cum illa, si una hujus circumstantiæ ... nequeat sine peccati declaratione exprimi.

Sol-

229 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 2dam. Conclus. *Nemo in dubio præsumitur deliquisse*, Leg. *Merito* ff. *Pro suo.* Ergo pœnitens non tenetur se accusare de peccatis dubiis.

Resp. neg. conf. Illud axioma verum quidem est, sed non facit ad propositum; non enim contendimus peccata dubia confitenda esse ex eo, quòd facta præsumantur; sic enim pœnitens ea ut certa, & non ut dubia confiteri teneretur; sed tantùm ex eo, quòd fortè commissa sint, & sic ne pœnitens se exponat periculo non faciendi confessionem integram, ea sub dubio clavibus Ecclesiæ subjicere debet.

230 Ob. 2do. In foro externo delicta dubia non admittuntur, neque ullus accusari, minùs condemnari debet de delicto dubio tantum ac incerto. Ergò nec in foro conscientiæ Sacramentali peccata dubia saltem sub obligatione admitti debent.

Resp. neg. conf. et paritatem. Disparitas est, quia, cùm in foro externo principaliter agatur de pœna & vindicta delictorum, atque delicta dubia non præsumantur facta, meritò non admittuntur. At cùm in foro Sacramentali primariò agatur de absolutione delictorum in favorem & commodum delinquentis, meritò peccata dubia admittenda sunt, ne quis se exponat periculo faciendi confessionē nullam & infructuosam, utpotè non integram.

231 Ob. 3tio. Peccata dubia non sunt materia confessionis. Ergo non sunt necessariò confitenda.

Resp. neg. conf. Quia licèt peccata dubia sola non sint materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ in ordine ad absolutionē absolutam, cadunt tamen sub Sacramento unà cum aliis peccatis aut mortalibus, aut venialibus certis, & sic cum ipsis directè dimittuntur.

232 Ob. 4to. Contra 3tiam Conclus. Concilium Tridentinum definiens quænam circumstantiæ in Confessione declarandæ sint, solùm mentionem facit circumstantiarum speciem mutantium. Ergo aliæ non sunt necessariò exprimendæ.

Resp. Concilium more suo abstinuisse ab iis opinionibus dirimendis ac definiendis, quas noverat inter Doctores Catholicos in utramque partem agitari, qualis est præsens hæc quæstio; quamquam, si attentè expendantur & ponderentur rationes, quibus utitur Concilium, ut probet, circumstantias, quæ speciem mutant, aperiendas esse, manifestum est, & ipsas quoque circumstantias intra eandem speciem aggravantes necessariò quoque esse declarandas, ut suprà jam insinuavimus: & sic Concilium non quidem formaliter & explicitè, sed virtualiter & implicitè meminit debiti, quod incumbit pœnitentibus confitendi circumstantias notabiliter aggravantes.

Ob. 5to. S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. 233
a. 2. quæstiunc. 2. asserit opinionem, quæ negat, pœnitentem teneri ad confessionem circumstantiarum aggravantium, esse multò probabiliorem eâ, qua contrarium affirmatur. Ergo &c.

Resp. Aliqui, hîc merito deferendum esse S. Thomam, præsertim quòd adhuc junior admodùm hanc propugnârit opinionem. Alii dicunt, eum hîc loqui solùm de circumstantiis, quæ intra eandem speciem non multùm augent malitiam peccati, & quæ nec formaliter nec æquivalenter novum mortale peccatum constituunt.

Ob. 6to. Pœnitens non tenetur con- 234
fiteri circumstantias, quæ multùm detrahunt de peccati malitia. Ergo nec eas, quibus ipsa multùm augetur.

Resp. neg. ant. Alioquîn enim Confessario Judici præberetur causa errandi in materia gravi, quod non licet.

Ob. 7mo. Ex institutione Christi 235
peccata mortalia declaranda sunt tantùm quoad numerum & speciem; nam hoc sufficit ad remittenda & retinenda pec-

peccata. Ergo circumſtantiæ aggravantes declarari non debent.

Reſp. Neg. ant. & ejus prob. Nam Pœnitentiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum eſt per modum judicii non ſolùm reconciliativi ſed etiam vindicativi: cujus quidem rectitudo & æquitas poſtulat in Judice cognitionem gravitatis criminum, ac proinde in pœnitente declarationem circumſtantiarum notabiliter aggravantium, quæ graviores pœnas exigunt, & Confeſſarii judicium notabiliter immutant.

236 Ob. 8vo. Circumſtantiæ aggravantes non conſtituunt novum peccatum. Ergo non debent neceſſariò declarari.

Reſp. Diſt. ant. Non conſtituunt novum peccatum ſpecie diſtinctum, conc. Numerô ſaltem æquivalenter diſtinctum, neg. ant. Nam circumſtantia mortaliter ſeu notabiliter aggravans tribuit actui malitiam mortalem, quam ſine illa actus non haberet; ac proinde actus malus per illam habet ſaltem malitiam tantam, quantam habent duo peccata mortalia numerô diſtincta. Ergo circumſtantia aggravans notabiliter conſtituit æquivalenter plura peccata mortalia numerô diſtincta.

237 Ob. 9no. Lex confeſſionis eſt odioſa. Atqui lex odioſa non obligat niſi ad ea, quæ clarè continet. Ergo.

Reſp. Neg. maj. Nam lex confeſſionis ordinatur ad remiſſionem peccatorum, & ad bonum ipſius confitentis, conſequenter eſt favorabilis: & quamvis difficilis ſit, fructuum tamen & commodorum multitudine difficultatem abundè compenſat. Præterea etiam negari poteſt min. Obligatio quippè confitendi circumſtantias aggravantes ſatis clarè continetur in lege confeſſionis à Concilio Tridentino explicata.

238 Ob. 10mo. Declaratio circumſtantiarum aggravantium eſt moraliter impoſſibilis ſaltem rudibus, qui illas diſcernere nequeunt. Ergo &c.

Reſp. Neg. ant. Nam circumſtantiæ mortaliter aggravantes ſaltem præcipuæ ſunt hæ, quas recenſet Rituale noſtrum Argentinenſe tit. de Pænit. §. 2. *plena rationis advertentia, materiæ quantitas in furto, conſanguinitatis gradus in inceſtu, duratio actûs mali, ubi fuerit notabiliter major, quàm quæ ſolet eſſe in tali peccato, &c.* item modus valdè perverſus, quo peccatum admiſſum eſt; facilè autem quis tales circumſtantias advertere & diſcernere poteſt.

Ex his jam habetur, quid, per ſe loquendo, confeſſionis integritas requirat; 239 ſcilicet ut pœnitens in confeſſione declaret 1mo. Omnia peccata mortalia tam occulta & interna, quàm publica & externa, etiamſi aliundè eſſent nota Confeſſario. 2do. Eorum numerum. 3tio. Omnes ſpecies morales. 4to. Omnes circumſtantias tùm ſpeciem mutantes, tùm in eadem ſpecie notabiliter aggravantes. 5to. Omnia mortalia dubia. &c. Hinc qui ſine juſta cauſa aliquod mortale, vel circumſtantiam neceſſariam ſcienter, aut ex gravi negligentia omittit, facit confeſſionem nullam & ſacrilegam ex Tridentino Seſſ. 14. c. 5. Ibi: *Qui ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Quare apertè ſequitur diligens conſcientiæ examen confeſſionem debere præcedere, ne aliqua peccata mortalia vel circumſtantiæ neceſſariò exprimendæ non ſine culpa omittantur. Ea autem diligentia adhiberi debet, *quam in rebus graviſſimis ponere ſolemus*, ait Catechiſmus Romanus; & quæ moraliter ſufficiat ad cognoſcenda peccata commiſſa conſideratis capacitate & memoria pœnitentis, diuturnitate temporis ab ultima confeſſione tranſacti, multitudine & qualitate negotiorum, obligationum, occaſionum; conſuetudine peccandi, aliiſque circumſtantiis. Undè non æquale in omnibus requiritur examen, ſed in aliis brevius, in aliis longius.

Quòd-

Quòdsi pœnitentes exactum conscientiæ suæ examen facere ignorarent, eos in hac diligenti discussione adjuvabit Confessarius, eamque ipsis, quam potuerit, facilem reddet.

Porro pœnitentem, qui labilis est memoriæ, per se loquendo, non teneri sæpiùs confiteri, aut peccata sua scriptis consignare, ne peccata aliqua obliviscatur, vel omittat, tenet communis Doctorum: Nam Concilium Tridentinum non requirit, nisi ut pœnitens ea peccata confiteatur, *quorum, post diligentem sui discussionem conscientiam habet*, & *quibus, postquam conscientiæ suæ sinus & latebras exploraverit, se Dominum mortaliter offendisse meminerit.*

§. VIII.

240 *De Confessione invalida repetenda.*

Confessio ex quacumque causa invalida repetenda est quoad omnia peccata mortalia, quæ in ea pœnitens confessus est; nam ex præcepto Christi omnia peccata subjici debent validæ absolutioni.

Confessio autem potest esse invalida ex duplici capite: scilicet ex parte Confessarii, & ex parte pœnitentis. Ex parte Confessarii quidem invalida est Confessio 1mo. Si Confessarius non fuit Sacerdos, vel jurisdictione seu approbatione caruit. 2do. Si verba formæ non protulit, vel substantialiter immutavit. 3tio. Si ob surditatem, somnum, aut distractionem delicta pœnitentis non intellexit.

Ex parte autem pœnitentis invalida est Confessio 1mo. Si dolore requisito sive culpabiliter sive inculpabiliter caruit. 2do. Si non habuit efficax propositum omnia peccata mortalia vitandi, pravos habitus corrigendi, occasiones peccandi proximas deserendi, pro debito & facultate restituendi, pœnitentiam sibi injunctam adimplendi. 3tio. Si nullum aut valdè exiguum confessioni præmisit examen conscientiæ. 4to. Si culpabiliter reticuit aliquod peccatum mortale vel circumstantiam necessariò declarandam. 5to. Si in re gravi mentitus est, verum negando, aut falsum dicendo. 6to. Qui confessus est ex fine lethaliter malo, aut scienter Confessario non intelligenti. Et denique generaliter, quoties pœnitens in ipsa confessione mortaliter peccavit.

Ex his omnibus vel unum contigisse, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii, ubi, qui confessus est, certò novit, vel cum fundamento dubitat, debet confessionem repetere; imò etiam subsequentes confessiones, si eas fecit cum conscientia confessionis invalidæ nondùm repetitæ; quia tunc re vera omnes sunt invalidæ ob defectum essentialem. At si post unam confessionem invalidam, alias fecit bona fide & cum debita dispositione, præcedentis defectûs nullam habens memoriam, non tenetur has repetere, sed solùm illam vel illas, quas fecit cum conscientia defectûs; quia illæ aliæ fuerunt validæ, cùm habuerint omnia necessaria ad bonam confessionem.

Jam autem qualiter ejusmodi invalidæ confessiones posteà sint repetendæ oportet explicare. Igitur 241

Quandò Confessarius omnibus perpensis deprehendit, confessiones præteritas fuisse invalidas, utpotè quando pœnitens fatetur, se peccatum aliquod mortale & pro tali agnitum semper scienter ex verecundia v. g. cum conscientia novi gravis peccati, in omnibus vel aliquot confessionibus reticuisse (idem est de quocumque alio defectu substantiali mortaliter culpabili in prioribus confessionibus commisso, & in posterioribus hactenùs culpabiliter non detecto) jam omninò urgenda erit repetitio omnium illarum confessionum invalidarum.

Diximus, *cum conscientia novi gravis peccati.* Nam si pœnitens, qui aliquod mortale peccatum in confessione reticuit, se nescivisse, imò nec dubitâsse profiteatur, se illo silentio grave peccatum committere, non debet compelli ad repetendas confessiones peccatorum jam detectorum, sed tantùm eorum, quæ omisit. Et sic tutò Confessarius procedet saltem cum hominibus rudioribus.

242 Hac porro ferè methodo & industria Confessarius repetitionem invalidarum confessionum instituet: 1mo interrogabit, à quot annis tale peccatum reticuerit? quoties ab illo tempore intereà confessus fuerit & communicârit; duplex semper Sacrilegium commissum benè inculcabit, simulque ostendet, omnes præteritas confessiones fuisse nullas; nullum peccatum fuisse remissum; omnia peccata mortalia in his confessionibus expressa de novo esse confitenda. At qua tandem ratione talis pœnitens à 30. fortè annis non ritè confessus, innumerisque peccatis onustus, & insuper, ut plerumque accidit, absque ullo prævio examine præteritorum peccatorum in confessionale velut irrumpens peccata sua in specie & numerô explicabit? Ideò

243 2do. Per se loquendo omninò necessarium foret, tales absque absolutione remittere ad se examinandos & pro tot annorum confessione præparandos. Per accidens autem vix unquam sunt dimittendi, nisi ex certis indiciis omninò credatur talem prodigum filium denuò reversurum; quia nimis frequens experientia docet, tales non solere reverti: regula quippe generalis Theologorum est, ut Confessarius, spectata conditione pœnitentis faciat id, quod judicat ei forè magis salutare. Hinc Confessarius suaviter jubeat & permittat eum dicere, quæ & quoquo modo in mentem veniunt; sic enim statum pœnitentis præteritum rectiùs addiscet: tandem obtinescentem adjuvet summario examine per præcepta Decalogi & Ecclesiæ, per virtutes Theologicas & cardinales, per speciales sui statûs & professionis obligationes, per peccata demum, quæ capitalia dicuntur, circumstantias inquirat, numerum divinando, ut ita dicamus, eliciat, proponendo primò numerum benè magnum, deinde valdè parvum, & tandem medium. Curet autem præcipuè Confessarius, ut perfectos, quantùm poterunt, contritionis & Dei amoris actus in se excitent pœnitentes, utque eorum contritio se extendat tùm in genere ad peccata, quæ olim jam confessi sunt, tùm in specie ad ea, quæ tunc distinctè accusant, & jam per firmum propositum melioris vitæ ordinem firmiùs teneant.

3tio. Tandem, cùm moraliter certum 244 sit, plura in tali accelerata confessione omissum iri, quàm oporteat, monendi sunt tales pœnitentes, ut si aliqua peccata mortalia, quæ in hac confessione eorum memoriam fugerunt, posteà ipsis denuò recurrant, ea adhuc diligenter confiteantur dicendo: *Feci nuper confessionem generalem, in qua oblitus sum confiteri, me decies circiter blasphemasse, &c.* Hæc ita peculiariter explicare libuit, quia in frequentissima & difficillima praxi hæc securiùs discuntur legendo quàm errando.

Præter has confessiones generales pec- 245 catoribus, quorum confessiones præcedentes fuerunt invalidæ, necessarias, sunt & aliqui fideles, qui saluti suæ meliùs invigilant, qui identidem recogitant años suos in amaritudine animæ suæ, atque ampliores confessiones faciunt, ut vel levissimis præcedentium defectibus medeantur, cognoscantque attentiùs suum in virtutibus profectum. Laudandum certè tam prudens justitiæ & perfectionis studium: Sic tamen se gerere debet Confessarius erga tales pietatis amatores, ut scrupulosas in eorum mentibus non

non nutriat anxietates, quibus si facilè stimulentur, ne quidem unius anni confessionem ipsis vix permittat, nunquam verò imperet.

246 ## Caput IV.

De Satisfactione, quæ est tertia Pœnitentiæ pars.

PArva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ait S. Augustinus Tract. 24. in Joan. qua scilicet Deo satisfiat pro offensa ei illata.

Satisfactio, quæ generatim sumpta idem est, ac solutio rei debitæ, nomen suum trahit à verbo *facio*, & voce *satis*, ita ut hîc satisfacere Deo idem sit, ac tantum præstare, quantum ad ulciscendam injuriam ipsi per peccatum illatam satis esse possit. Sic acceptam *Satisfactionem* Patres non rarò vocant *Pœnitentiam*; Pœnitentia quippe, ut jam hujus Tractatus initiô observavimus, dicitur à *pœna*, quæ maximè in Satisfactione elucet; satisfit enim Deo piis afflictationibus & laboriosis operibus.

247 Definitur autem Satisfactio prout hîc consideratur, *Pœnæ acceptatio & voluntaria perpessio à Confessario injuncta ad compensandam injuriam Deo illatam.* Dicitur 1mo. *Pœnæ*, hoc est, operis molesti; Satisfactio enim fit in vindictam, ac proinde debet habere aliquid incommodi. 2do. *Acceptatio & voluntaria perpessio*: invita enim & coacta Deo accepta non foret, nec virtutis opus. 3tio. *A Confessario injuncta*: ut distinguatur Sacramentalis Satisfactio ab iis, quas spontè eligimus. Ut enim Satisfactio sit pars Sacramenti, auctoritate clavium injungatur necesse est. 4to. *Ad compensandam injuriam Deo illatam*; quia Pœnitentia non solùm mores mutat in melius, sed etiam in peccata commissa congruâ vindictâ animadvertit, & Deo satisfacere studet. *Clementiam divinam decet*, ait Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 8. *ne ita eis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, qui scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.*

Quatuor de Satisfactione Sacramentali sic definita & exposita nobis veniunt exponenda & expedienda, 1mo. Necessitas seu existentia Satisfactionis. 2do. Varia ad eam spectantia. 3tio. Tempus, quo debeat impleri satisfactio, an præcedere, an verò subsequi debeat absolutionem Sacramentalem. 4to. Disciplina veteris Ecclesiæ circa Pœnitentiam seu Satisfactionem publicam. Quæ singulis paragraphis exhibemus. 248

§. I.

De necessitate aut existentia Satisfactionis. 249

In omni peccato duo apprimè sunt distinguenda, nempè *reatus culpæ*, & *reatus pœnæ*. *Reatus culpæ* in peccato mortali est dignitas ad odium Dei, quæ Deo jus tribuit odiô habendi peccatorem. *Reatus pœnæ* autem est dignitas ad pœnam, quæ Deo jus tribuit puniendi peccatorem. Proinde etiam duplex est Satisfactio, una pro culpa, pro pœna altera. Satisfactio pro culpa, quam Deus exigit, est Contritio & Confessio, de quibus hucusque egimus. Satisfactio autem pro pœna est ea, quam primùm definivimus, de qua sola proinde hîc nobis est sermo, & quidem temporali; nam Satisfactio pro pœna æterna eadem est cum Satisfactione pro culpa mortali.

Sectarii omnes, qui ultimis hisce temporibus & Sæculis contra Ecclesiam Catholicam vexillum erexêre, unanimi consensu negârunt existentiam Satisfactionis, quæ sit pars Sacramenti, dicentes pœnam, quam in se suscipit pœnitens, 250

utilem tantùm esse respectu Ecclesiæ ad aliorum exemplum vel emendationem, non verò respectu divinæ justitiæ ad eam placandam, & ad obtinendam à Deo debitæ pœnæ temporalis relaxationem. Nituntur hi Sectarii duplici fundamentô: 1mo. contendunt nullum remanere debitum pœnæ temporalis, peccatô quoad culpam dimissô. 2do. Nullis omninò operibus etiam ex gratia Dei factis inesse vim Deum placandi; & consequenter necessariò exigendam non esse à pœnitentibus pœnalem Satisfactionem. Contra quos sit

251 CONCLUSIO I.

Dimissô quoad culpam peccatô, non semper remittitur tota pœna temporalis, sed plerumque manet debitum luendæ pœnæ temporalis.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, quæ plura eaque illustria de hac veritate exempla nobis subministrat. 1mo. Moyses & Aaron non ingressi sunt terram promissam ex eo, quòd humani aliquid in se admisissent ad aquas contradictionis, Num. 20. & Deut. 32. 2do. David post veniam adulterii & homicidii impetratam punitus est morte filii sui, necnon in vindictam peccatorum jam remissorum variis ac gravibus domesticis calamitatibus: Nam 2. Reg. 12. cùm dixisset Nathan Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, statim subjecit, *verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Priùs jam pronuntiaverat: *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris Uxorem Uriæ Hethæi &c.* Quibus omninò enervatur responsio adversariorum, qui volunt pœnas illas non fuisse Judicis ultionem sed paternam correptionem, ut de cætero cautiores essent qui peccaverant; nam Scriptura apertè pœnam illam in præterita peccata tanquam in causam, non autem in futura per modum cautionis refundit, ut ex laudatis textibus liquet. Deinde mors illata Moysi & Aaroni eos cautiores reddere non potuit. Ergo dimissâ culpâ nonnunquam remanet adhuc debitum luendæ pœnæ.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sint S. Augustinus in Psal. 50. ubi sic ait: *Impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis* (Deum alloquitur) *non dimisisti, sic prærogasti misericordiam, ut servares & veritatem; ignoscis confitenti, ignoscis sed se ipsum punienti. Sic servatur misericordia & veritas.* S. Gregorius lib. 9. moral. cap. 27. *Procul dubio*, inquit, *Dominus delictum sine ultione non deserit; aut enim ipse homo hoc in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* 252

Prob. 3tio. Ex perpetuo Ecclesiæ usu, quæ semper satisfactiones aliquas pœnitentibus imposuit, ut constat ex Conciliis, Libris pœnitentialibus & Ritualibus; imò eos etiam post impertitam absolutionem ad eam peragendam coëgit, ut patet ex veteri disciplina Ecclesiæ, vi cujus pœnitentes in infirmitate absolutionem adepti, si à morbo convaluissent, ad eum ipsum remittebantur pœnitentiæ gradum, in quo morbus eos corripuerat. Hujus disciplinæ testes sunt Concilium Nicænum I. Can. 13. Carthaginense IV. Can. 78. Arausicanum I. Can. 3. &c. Ratio autem ejusdem disciplinæ alia sanè non fuit, quàm quòd persuasum semper habuerit Ecclesia, etiam post dimissam culpam per Sacramentalem absolutionem, pœnitentem obstrictum remanere pœnis quibusdam temporalibus persolvendis. 253

Undè Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 12. sic definit: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo . . . anathema sit.* Priùs Sess. 6. Can. 30. definierat in hæc verba:

Si

Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ . . . anathema sit.

254 CONCLUSIO II.

Homo potest Deo satisfacere pro pœna temporali per opera pœnalia, & quidem de condigno.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Daniel. 4. dicitur: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Prov. 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Atqui iis, quibûs peccatum redimi potest, potest etiam Deo verè satisfieri: siquidem redemptio satisfactionem, seu pretii solutionem, includit.

255 Prob. 2do. Ex Patribus. Pro omnibus sint Origenes Hom. 3. in Judic. *Quanto tempore*, inquit, *errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto tempore humilia teipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ.* S. Cyprianus Epist. 55. ad Cornel. *Rogandus est Deus*, ait, *& satisfactione nostra placandus.* S. Chrysostomus Homil. 41. ad popul. *A nobis*, inquit, *ultionem sumamus, ita placabimus Judicem. &c.*

256 Prob. 3tio. Ratione. Homo justus per bona sua opera meretur de condigno augmentum gratiæ & gloriæ. Ergo à fortiori per eadem bona sua opera satisfacit de condigno pro pœna temporali: nam temporalis hæc pœna longè minorem habet æstimabilitatem, quàm gratia sanctificans & æterna beatitudo.

Meritò ergo Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 13. *Si*, ait, *quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, ut jejuniis, &c. Atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.*

Et Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. hanc Baji propositionem damnârunt: *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

CONCLUSIO III. 257

Necessariò exigenda est à pœnitentibus pœnalis satisfactio, non tantùm ad novæ vitæ custodiam, sed ad præteritorum peccatorum vindictam, seu ad veram Satisfactionem Deo exhibendam, tùm ad injuriam ipsi illatam reparandam, tùm ad redimendam pœnam temporalem, dimissâ culpâ, adhuc superstitem.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Luc. 3. dicitur: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quibus verbis non significantur sola vitæ novitas, & observatio mandatorum Dei, ut Adversariis placet, sed prætereà is vitæ modus, qui pœnitenti conveniat: solent verò ii, quos verè pœnitet, non solùm ab injuriis temperare, sed etiam damnum illatum resarcire. *Aliud est*, inquit S. Gregorius Magnus Homil. 20. in Evang. *fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum fructum facere pœnitentiæ. Ut enim de dignis pœnitentiæ fructibus loquamur, sciendum est, si quis in fornicationis culpam, vel fortassis, quod gravius est, in adulterium lapsus est, tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse.* Ante ipsum S. Chrysostomus Homil. 10. in Matth. allegatam Scripturæ sententiam exponens censet, eum tantùm facere fructus dignos pœnitentiæ, qui malè facta castigat laboriosis operibus: *Quo autem modo*, inquit, *fructificare poterimus? si utique peccatis adversa faciamus; v. g. aliena rapuisti? incipe jam donare propria:*

longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque usu suspendere conjugii, &c

258 Prob. 2do. Ex Patribus. Præter primùm laudatos SS. Chrysostomum & Gregorium, S. Cyprianus Epist. 55. invehitur in eos, qui pacem pœnitentibus dabant non exhibita ab ipsis plena Satisfactione. *Elaborant*, inquit, *ne Deo indignanti satisfiat, datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus justis debita redimantur.* S. Augustinus Serm. 351. aliàs Homil. 50. *Non sufficit*, ait, *mores in melius mutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo.* S. Hieronymus Comment. in Joel. *Qui peccator est*, inquit, *& quem remordet propria conscientia, ciliciô accingatur, & cubet vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset.*

Superfluum videtur plures hanc in rem adducere SS. Patrum sententias, quando Calvinus ipse lib. 3. Instit. cap. 4. §. 38. hanc esse veterum Patrum ferè omnium mentem, qua tamen parùm moveatur, ait. *Parùm me movent*, inquit, *quæ in Veterum Scriptis de Satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos.* En Hæresiarchæ hujus impietatem & arrogantiam, ut qui omnes Veteres hìc cœcutiisse velit circa veritatem, ad quam pertingere ipse non valet, aut pertinaciter agnoscere renuit.

259 Prob. 3tio. Rationibus, quas Concilium Tridentinum affert Seff. 14. cap. 8. 1mo. Quia *divinæ justitiæ ratio exigit, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati & Dæmonis virtute liberati, & accepto Spiritûs sancti donô scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* 2do. *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* 3tio. *Quia hæ satisfactoriæ pœnæ magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coërcent, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medenturque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.* 4to. *Quia nulla securior via unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* 5to. *Quia dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo JEsu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque indè arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur &c.*

Meritò igitur idem Concilium ibid. Can. 14. anathemate eum ferit, *qui dixerit, Satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum JEsum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes.*

Sacerdotes igitur, qui Sacro Pœnitentiæ Tribunali præsunt, tenentur Satisfactionem convenientem imponere pœnitenti *non tantùm ad novæ vitæ custodiam*, ut ait idem Concilium Tridentinum cit. c. 8. Seff. 14. *sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam: Nam*, pergit ibid. *claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum concessæ sunt:* ligant autem, cum pœnitentibus imponunt opera satisfactoria; hinc S. Augustinus Serm. 351. *A Præpositis*

Sacra-

Sacramentorum, inquit, *pœnitens accipiat suæ satisfactionis modum.* Quia Sacerdos à Christo institutus est Minister Sacramenti, & Judex ac Medicus pœnitentis. Ergo tenetur, ut Minister hujus Sacramenti, illud convenienter integrum efficere; ut Judex, illatam Deo injuriam vindicare; ut Medicus, pœnitentis vulnera curare, morborum causas tollere, & præscribere remedia morbis proportionata.

260 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 1mam Conclusion. Deus in Scripturis sæpissimè testatur, se perfectè ac gratis peccata hominibus dimittere absque ullo debito pœnæ temporalis persolvendæ. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam*, ait Deus, *ab omnibus peccatis suis omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et cap. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* Noceret tamen, si pœnâ temporali castigaretur. Ergo, culpâ dimissâ, non manet reatus pœnæ temporalis.

Resp. Peccatorum remissorum per pœnitentiam Deus non recordatur, nec ea nocebunt, nec imputabuntur, quantùm ad odium Dei, ac pœnam æternam, non verò quantùm ad aliquam pœnam temporalem. Id demonstrare videntur hæc verba, quæ in primo Ezechielis textu adhuc leguntur, scilicet: *vitâ vivet, & non morietur.* Ita ut sensus sit, sic non nocituram impio condonatam iniquitatem, ut propter eam à vita æterna sit excludendus. Hanc in rem pulchrè loquitur S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. de Davide disserens: *Quando*, inquit, *correptus per Prophetam* (David) *dixit: peccavi; continuò ad hoc unum verbum audire meruit, quòd acceperit veniam: ad quam rem nisi ad sempiternam salutem? neque enim prætermissa est in illo secundùm Dei comminationem flagelli paterni disciplina, ut confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur.*

Inst. Rom. 8. dicit Apostolus: *Nihil* 261
damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu. Atqui si ipsis superesset luenda pœna temporalis, aliquid damnationis in iis foret. Ergo &c.

Resp. Damnationis nomine S. Paulus intelligit vel damnationem æternam, vel mortis æternæ reatum; sicut & cap. 3. ejusdem Epist. ubi hæc leguntur: *Quorum damnatio justa est.* Item c. 13. *Ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et verò pœna temporalis propter peccatum quoad culpam dimissum luenda propriè non potest dici damnatio, cùm relicta sit non solùm ad vindictam, sed etiam ad frænandam peccati licentiam.

Ob. 2do. Christus dum remittebat 262
peccata Magdalenæ & Paralytico, &c. nullam iis pœnam injunxit. Ergo dimissâ culpâ nulla remanet luenda pœna.

Resp. Neg. cons. Nam quamvis Christus per se ipsum immediatè peccata remittens, omnem quoque pœnam, ad majorem excellentiæ suæ ac clementiæ commendationem remiserit, noluit tamen, ex justa causa & sapienti ordinatione, hoc privilegium ad omnem peccatorum remissionem extendi.

Ob. 3tio. Nonnulli ex SS. Patribus 263
negasse videntur post dimissam à Deo culpam, superesse pœnam temporalem luendam. 1mo. S. Ambrosius lib. 10. in Luc. *Lacrymas Petri lego*, inquit, *satisfactionem non lego.* 2do. S. Augustinus in Psal. 84. *Quid est*, inquit, *operuisti peccata: ut illa non videres: quid est, ut illa non videres? ut illa non vindicares.* S. Chrysostomus Homil. de Pœnit. & Confess. *Propter hoc*, ait, *imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.* Ergo &c.

Resp.

Resp. neg. ant. Mala enim fide nobis opponuntur adducti horum SS. Patrum textus. 1mo. namque S. Ambrosius eo loci Satisfactionis nomen usurpat pro peccati excusatione, seu defensione, atque vult solummodò, S. Petrum crimen suum non excusasse, sed ultrò agnovisse, lacrymas fudisse, quia *quod defendi non potest*, inquit, *ablui potest.*

2do. S. Augustinus hoc unum intendit, quod & nos omninò concedimus, nimirùm peccata, quæ Deus operit, æternô suppliciô seu vindictâ æternæ damnationis non puniri: ea autem temporali pœnâ castigari, ipsemet S. Doctor suprà inter Conclus. 1. & 3. probationes laudatus agnoscit.

3tio. S. Chrysostomus tantùm vult, quòd Deus nobis non imponat pœnas solùm ad vindictam & punitionem, sed etiam, & præcipuè ad nostram emendationem, ita ut in hujus vitæ pœnis plus Deus nostram utilitatem quærat, quàm peccati vindictam intendat; *ne peccantes*, inquit, *& inulti manentes non efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifestè, quòd peccatoribus ipsis non minùs damnosum sit non puniri: propter hoc imponit pœnam &c.*

264 Ob. 4to. Sublatâ causâ tollitur effectus. Atqui culpa est causa pœnæ temporalis. Ergo sublatâ culpâ non remanet debitum pœnæ temporalis.

Resp. neg. maj. Universaliter sumptam & intellectam de effectu jam posito. Nam sublatâ etiam causâ vulneris, non tamen ideò tollitur vulnus. Igitur, peccatô quoad culpam & pœnam æternam dimissô, remanet obligatio ad pœnam temporalem subeundam, quia Deus, pro jure suo, noluit cum pœna æterna remittere omnem pœnam temporalem, quæ etiam nobis ad profectum & meritum prodest.

Ob. 5to. Contra 2dam Conclus. Non 265 potest homo Deo satisfacere per bona opera pro morte propria vel aliena redimenda. Ergo non potest satisfacere pro pœnis hujus vitæ, minùs pro pœnis Purgatorii.

Resp. Dist. cons. Non potest satisfacere pro aliquibus pœnis hujus vitæ, conc. Pro nullis pœnis hujus vitæ, neg. cons. Homo non quidem potest re ipsa satisfacere pro certis pœnis hujus vitæ, non defectu proportionis aut æqualitatis in bonis operibus ad condignam satisfactionem pro ejusmodi pœnis, sed defectu acceptationis ex parte Dei. Nam Deus in compensationem pœnarum, quas in hac vita absolutè infligere statuit, non acceptat bona opera justorum, quamvis habeant sufficientem proportionem ad condignam pro illis pœnis satisfactionem.

Inst. Pœnæ Purgatorii sunt longè 266 graviores pœnis hujus vitæ. Ergo justus non potest per actiones laboriosas hujus vitæ satisfacere de condigno pro illis.

Resp. neg. cons. Quia pœnæ hujus vitæ, licèt longè leviores pœnis Purgatorii, habent in justis dignitatem & æstimabilitatem moralem, quæ cum illis gravioribus pœnis constituit æqualitatem moralem & sufficientem proportionem ad condignam satisfactionem; quatenùs dignum est, ut propter pœnam ab homine Dei amico & filio adoptivo voluntariè propter Deum susceptam ex gratia Christi Deus justus & clemens Judex aliam pœnam temporalem non infligat.

Ob. 6to. Contra 3tiam Conclusion. 267 Christus abundè satisfecit pro nobis, & ejus merita sunt infinita. Ergo inanes & superfluæ sunt satisfactiones humanæ.

Resp. neg. cons. Nam humanæ satisfactiones exiguntur & sunt necessariæ, non quidem in pretium redemptionis nostræ, quod superabundanter solvit Christus, sed ut sint media, per quæ pretium sanguinis Christi nobis applicatur. Neque

verò

verò infinito valori Satisfactionis Christi magis nocent humanæ illæ satisfactiones, quàm Sacramenta, quàm fides ipsa, quæ etiam in sententia Adversariorum planè necessaria est, ut fructus passionis Christi percipiatur. Et ratio est, quia ipsæmet hæ Satisfactiones, quidquid habent valoris & dignitatis, trahunt à Christo, *ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre;* prout loquitur Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 8.

268 Inst. Christus abundè satisfecit etiam pro ipsis temporalibus pœnis peccato debitis. Ergo necessariæ non sunt humanæ satisfactiones.

Resp. neg. conf. Quamvis enim abundè satisfecerit Christus quantùm ad sufficientiam pretii, imò etiam quantùm ad efficientiam, & jus illud nobis communicandi; non alia tamen lege & conditione pretium illud nobis applicari voluit, nisi pœnitentibus, atque laboriosis operibus passionem Capitis nostri Christi imitantibus. Satisfactiones humanæ igitur non sunt necessariæ in supplementum Satisfactionis Christi, sed ad eam nobis applicandam.

§. II.

269 ### *De Materia, Quantitate & Qualitate, Ministro, Subjecto, Fructu, & Conditionibus Satisfactionis.*

Quæ hîc nobis dicenda veniunt singulis titulis proponimus.

I.

270 ### *De Materia Satisfactionis.*

Per materiam Satisfactionis intelligimus opera, per quæ pœnitens Deo facit satis. Debent autem esse pœnalia, cùm id postulet justitia vindicativa, ad quam Satisfactio pertinet.

Hæc autem laboriosa Satisfactionis opera ad tria communiter revocantur, *orationem* nimirùm, *eleemosynam*, & *jejunium*. Sub *oratione* comprehenduntur omnes regulæ sancti desiderii, quales sunt preces sive mentales sive vocales, Ecclesiarum sedula frequentatio, auditio Missæ, lectiones piæ, aliaque spiritualia exercitia. Sub *eleemosyna* intelligitur benevolentia, beneficentiaque vel dandi vel ignoscendi, id est, opera misericordiæ, non tantùm temporalia aut corporalia, ut cura pauperum vel infirmorum; sed & spiritualia, ut condonatio injuriarum, dilectio inimicorum, Catechisatio ignorantium, consolatio afflictorum, &c. Sub *jejunio* comprehenditur *universa corporis castigatio*, ut ait S. Augustinus lib. de perfectione justitiæ; ipsum nempe jejunium, non à cibis tantùm, sed & à deliciis & voluptatibus etiam licitis; carnis macerationes, vigiliæ, piæ peregrinationes, & his similia.

Licitè quidem in satisfactionem imponuntur opera aliundè jam debita, prout communis tenet Doctorum; quia sicut ista opera possunt esse satisfactoria & meritoria, ita, absolutè loquendo, possunt injungi in satisfactionem Sacramentalem; imò hoc quandoque expedit magnis peccatoribus, quibus ob fragilitatem vel occupationes condigna pro peccatis pœnitentia imponi non potest: non tamen facilè illa sola imperanda sunt; quia vindicta peccatorum in hoc Tribunali exercenda aliud in satisfactionem exigere videtur. Quòd si tamen Confessarius non exprimat se injungere tale opus præceptum, neque ex circumstantiis id colligi possit, censendus est imposuisse opus diversum ab opere aliundè præcepto: quare si simpliciter imponat jejunium, pœnitens non satisfacit jejunando eo die, quo ex præcepto Ecclesiæ aut ex voto tenetur.

Convenit ſine dubio regulariter opus bonum à Confeſſario imponi, quod ab ipſo pœnitente præſtandum ſit, putà ut ipſe pœnitens jejunet, &c. Interdùm tamen perſonis debilibus vel morituris injungi poteſt oratio, peregrinatio, &c. per alium præſtanda; tunc autem non opus illud, quod ab alio perficitur, ſed ipſa illius operis procuratio à pœnitente cum aliquo ſumptu aut labore facta ſatisfactionis Sacramentalis rationem habet.

Denique poteſt pro ſatisfactione injungi oratio, jejunium, aut aliud opus bonum pro defunctis applicandum; quia ipſemet actus charitatis, quo quis defunctis ſui operis ſatisfactionem applicat, habet vim ſatisfactivam unicuique meritorio operi propriam: inſuper pœnitenti remanet fructus ſatisfactionis ex opere operato & ſolùm fructus ex opere operantis cedit defunctis in ſolamen.

II.

271 *De Quantitate & Qualitate Satisfactionis.*

Rem hanc ita declarat Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 8. *Debent*, inquit, Confeſſarii *quantùm Dei Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs, quàm par eſt, cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Eam ob rem ſumma in ſatisfactionibus injungendis habeatur ratio malitiæ, ſcandali, habitûs, periculi, & occaſionis peccati; peccatoris quoque ſexûs, ætatis, qualitatis, valetudinis, conditionis, quin & contritionis, quæ ſanè quò amarior fuerit, eò levior imponi debet ſatisfactio. Aliter ſiquidem monendi ac puniendi ſunt viri, aliter fœminæ; aliter ſenes, aliter juvenes; aliter virgines, aliter impuri; & ſic de cæteris.

Porro Confeſſarius ſemper magis ſollicitus eſſe debet de procuranda diſpoſitione debita pœnitentis ad obtinendum Sacramenti effectum, quàm de taxanda pœnitentia peccatis debita. Hinc ne ſit nimis anxius in ſatisfactionibus imponendis, etiam cum gravibus peccatoribus, & aliundè ad graves pœnitentias ſubeundas indiſpoſitis; ſubindè leviores eis injungere poterit pœnitentias: cum talibus enim ideò mitiùs agendum, quia ſemper ſummum periculum eſt, ne aut graves pœnitentias non adimpleant, aut Sacramentum Pœnitentiæ eis exoſum fiat, aut quærant ſibi Confeſſarios ineptos, aut ne in puſillanimitatem prolabantur, ac pereant. Recogitet Confeſſarius illud S. Chryſoſtomi Homil. 43. in cap. 28. Matth. *Et ſi erramus modicam pœnitentiam imponentes*, inquit, *nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem.* Opportunè hîc monet Rituale Pariſienſe, ut Confeſſarius pœnitentem interroget, an poſſit pœnitentiam ſibi injunctam peragere; alioquin eam pro ſua prudentia in[illegible]et aut minuat. Aliundè cauſa diminuendi pœnitentiam eſt fervens contritio pœnitentis, aut lucratio indulgentiarum eo, quo confitetur, die. Confeſſarius verò pro gravibus peccatis absque ulla juſta cauſa ex mera conniventia, affectu, vel reſpectu, ut ajunt, humano, leviſſimas, vel etiam nimis leves injungens pœnitentias, v. g. aliquot Pater & Ave, absque dubio peccat graviter.

Ægris communiter injungi non poteſt gravis & laborioſa pœnitentia, etiam pro gravioribus delictis; ſed vel eleemoſyna facultatibus ipſorum proportionata, vel aliqua oratio, aut quid ſimile eis præcipi debet, & quantùm fieri poteſt, pœnitentiam illam eisdem impoſitam cu-

ret

ret Confessarius ab ipsis se præsente adimpleri. Præter illam autem pro statu ægri impositam levem pœnitentiam, vult Rituale nostrum Argentinense de Pœnit. Tit. 2. §. 3. aliam insuper condignam & peccatis expiandis parem pro prudentia ægro imponi, ab ipso, postquam convaluerit, peragendam.

Porro Confessarium, quò benè in pœnitentia imponenda procedat, decere videtur, ut sciat Canones pœnitentiales, qui in Corpore Juris Canonici post Decretum Gratiani attexuntur: nam licèt pœnæ per illos statutæ, spectata facultate & infirmitate pœnitentis sint minuendæ, tamen sæpiùs pœnitentibus proponendæ sunt, quò magis criminum gravitatem cognoscant, indeque fiant ad pœnitentiam acceptandam promptiores, ut ait S. Carolus Borrom. in Instruct. Confess. Sunt autem memorati pœnitentiales Canones 47. numerô, qui cit. loc. legi poterunt.

Quidquid autem in ordine satisfactionis pœnitentibus præcipit Sacerdos, ita sapientiâ temperetur, ut nec ejus pronam facilitatem laudent improbi homines, nec veri pœnitentes ipsius quasi duram crudelitatem accusent.

Sed inprimis curet Sacerdos seu Confessarius, ut contrarias peccatis injungat pœnitentias: eæ quippè non tantùm vindicativæ, sed etiam medicinales esse debent; atque præ oculis habeat, quod de hujusmodi pœnitentiis scribunt Patres Tridentini Sess. 14. c. 8. ubi, *Magnoperè*, ajunt, *à peccatis revocant, & quasi fræno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt, &c.* Imponat ergo avaris eleemosynas; libidinosis jejunia, & alias carnis macerationes; superbis officia humilitatis; desidiosis exercitia laboriosa; illis demùm, qui rariùs confitentur, vel in eadem peccata facilè relabuntur, utilissimum erit consulere, aut præcipere frequentem confessionem, quotidianam orationem, vel Missæ auditionem, examen conscientiæ, iteratam de peccatis contritionem, &c. vel certas preces toties repetendas, quoties relabentur. Viderint ergo Confessarii, qui unum aut alterum Psalmum, vel Litanias breviores, vel aliquot Pater & Ave omnibus peccatoribus pœnitentibus indiscriminatim imponunt, quàm longè recedant à medicinalis pœnitentiæ conditionibus; nemo quippè non videt, ejusmodi satisfactionibus nec concupiscentiam coërceri, nec vitiosos habitus tolli, &c. Satagant tamen etiam Confessarii, ne statui vel conditioni pœnitentium incongruas imponant pœnitentias, ut pauperi eleemosynam, Operariis laboriosis vel debilibus jejunia, mulieribus longas peregrinationes, valdè occupatis longas preces, &c.

Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam non imponant Confessarii pœnitentiam, ait Rituale Romanum; nam esset improportionata & contra usum Ecclesiæ. *Quando autem*, sunt verba Concilii Trident. (k) *ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalô offensos commotosque fuisse non dubitandum, huic condignam pro modo culpæ suæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplô suô ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimoniô ad rectam revocet vitam.* Nec tunc Confessarius, sed pœnitens ipse, satisfactionem implendo, manifestat suum peccatum jam aliàs notum, & tantùm ad id inducitur, quod ex se facere debet ad scandalum

Ttt 2

(k) Sess. 24. de Refor. c. 8.

dalum tollendum. Sine consilio Episcopi tamen imponi non debet pœnitentia publica cum certa solemnitate peragenda, ut stando ad fores Ecclesiæ, cum cereo accenso, &c.

III.

272 *De Ministro Satisfactionis.*

Confessarius sub mortali tenetur satisfactionem imponere pœnitenti valenti illam exequi; quia satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ; gravis autem videtur irreverentia Sacramentum voluntariè privare sua integritate seu parte integrali. Diximus 1mo. *Sub mortali*, saltem si pœnitens peccata gravia confiteatur; nam si pro solis venialibus, aut mortalibus jam ritè confessis, levem pœnitentiam injungere omitteret, juxta multos solùm venialier peccaret, quia tunc officio suo in re levi duntaxat deesset. Diximus 2do. *Valenti illam exequi*; nam absolutio sine impositione pœnitentiæ danda est moribundo, qui sensuum usu & cognitione destitutus est, ut constat ex praxi Ecclesiæ.

Satisfactio à Confessario imponi debet ante absolutionem, tùm ut exploretur debita pœnitentis dispositio, & voluntas faciendi fructus dignos pœnitentiæ; tùm quia ordo judicii & justitiæ vindicativæ postulat, ut priùs pœnitens satisfactionem spondeat & acceptet, quàm absolvatur; si fortè tamen Sacerdos absolutionem præmisisset, eam posteà injungere tenetur; & toties pœnitentia est injungenda, quoties absolutio datur. Hinc ei, qui post impertitam absolutionem aliquod mortale sine sua culpa oblitum confitetur, & ab eo absolvitur, etiam nova pœnitentia injungi debet, &c.

Confessarius non tenetur habere distinctam singulorum peccatorum ei in confessione declaratorum memoriam, dum imponit satisfactionem; sed satis est, si tunc ex auditis & benè intellectis peccatis statûs pœnitentis sufficienter meminerit ad eam competenter injungendam. Et verò sæpè impossibile est, saltem moraliter, ut tunc Confessarius distinctè singulorum recordetur.

Pœnitentia à Confessario imposita potest ab eodem ob justam causam in aliam convenientem commutari. Imò & pœnitentiam à primo Sacerdote impositam, quem pœnitens adire nequit, potest alter Confessarius, quem de novo spiritualem Magistrum elegit, justis de causis, & propter bonum pœnitentis in aliam commutare, si expedire judicaverit; quia etsi in individuo diversi sint Ministri, eorum tamen potestas est ejusdem rationis non solùm ad remittenda peccata, sed etiam ad absolvenda & relaxanda vincula pœnarum, quibus adstricti sunt pœnitentes. Pœnitens tamen ipse nullo casu pœnitentiam sibi à Confessario injunctam mutare potest in aliam, &c.

Commutatio hæc autem debet fieri in confessione; qui est actus judicialis & usus clavium, qui nonnisi in Sacramento Pœnitentiæ exercetur. Imò ut ab altero Sacerdote pœnitentia licitè commutetur, necesse est, ut ad ipsum fiat nova confessio peccatorum, pro quibus imposita est pœnitentia. Id ipsum requiritur respectu primi Confessarii, qui pœnitentiam imposuit, si nempe non ampliùs recordetur peccatorum, pro quibus dictam pœnitentiam imposuit. Ratio est, quia pœnitentiæ commutatio est impositio pœnitentiæ unius locô prioris, ideoque actus judicii Sacramentalis. Atqui ex Tridentino Sess. 14. c. 5. tale judicium non potest exerceri nisi causâ distinctè cognitâ. Ergo requiritur notitia ex parte Confessarii, & ex parte pœnitentis confessio peccatorum. Cæterùm ne prius Sacramentum sua integritate privetur, relinquendum est aliquid ex priori pœnitentia præstandum.

IV. *De*

IV.

273 *De Subjecto Satisfactionis.*

Pœnitens, qui nomine Subjecti Satisfactionis venit, injunctam sibi pœnitentiam, per se loquendo, non modò acceptare, sed & adimplere tenetur. *Injunctam sibi pœnitentiam studeat* (pœnitens) *pro viribus adimplere*, ait Concilium Lateranense IV. Cap. *Omnis*. Deinde Sacerdos habet potestatem judicialem non solùm solvendi, sed etiam ligandi seu obligandi per impositionem pœnitentiæ: imò habet obligationem imponendi convenientem satisfactionem, ut patet ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 8. Atqui talis potestas & obligatio non potest esse in Sacerdote sine obligatione in reo talem injunctam satisfactionem acceptandi & exequendi; hæc enim sunt correlativa, & alioquì Sacerdotis potestas vindicativa esset inefficax. Hæc obligatio ex genere suo gravis est, cùm ejus materia pertineat ad Religionem & justitiam divinam. Nec excusatur pœnitens, eò quòd velit alium Confessarium adire: pœnitenti namque non licet sine justa causa Sacramentum inchoatum relinquere, & justum, cui se jam subjecit, Sacerdotis judicium effugere. Pœnitens quidem ante hanc confessionem poterat alteri confiteri, sed facta confessione tali Sacerdoti, hic jam fungitur vice Christi, atque ejus auctoritate ligat. Hinc mortaliter peccat, qui pœnitentiam pro mortali impositam vel notabilem ejus partem culpabiliter omittit. Quòd si tamen pœnitentia sit levis, seu imposita pro solis venialibus vel mortalibus jam aliàs ritè confessis, secundùm multos, illam omittere, secluso contemptu & scandalo, est veniale duntaxat; quia completio partis integralis per levem materiam non obligat nisi leviter pro ratione materiæ.

Diximus superiùs *per se loquendo*; quia *clave*, ut dicitur, *errante*, sive quando imponitur pœnitentia manifestè irrationabilis ob nimiam gravitatem aut diuturnitatem ipsius, potest pœnitens sine peccato illam recusare, & ad alium Confessarium recurrere, si talis Confessarius nolit illam mutare aut imminuere.

Pœnitens tenetur pœnitentiam sibi injunctam implere tempore à Confessario præfixo; dilatio tamē satisfactionis ad paucos dies, etsi sine rationabili causa, potest esse tantùm venialis, nisi ad finem injunctæ pœnitentiæ magni referat illam esse impletam tempore præfinito, v. g. ad superandas urgentes tentationes. Quòd si Confessarius nullum tempus determinavit, tenetur pœnitens satisfactionem seu injunctam sibi pœnitentiam implere, quamprimùm commodè potest; ita ut mortaliter peccet, si illam ex gravi negligentia diu differat: nam integritas Sacramenti, & ratio debiti justæ satisfactionis ac medicinæ celerem exigunt executionem. Qui autem pœnitentiam quoquo modo implere distulit, eam posteà, quamprimùm poterit, persolvere tenetur: nam dilatio solutionis debiti ultra terminum non liberat debitorem ab onere illud solvendi, & intentio Confessarii est, ut satisfactio absolutè fiat, tempus verò præfinitur solùm ad non differendam solutionem.

Pœnitens tenetur pœnitentiam per semetipsum implere, nisi Confessarius expresè aliud intenderit: nam ipsemet reus debet pœnam debitam subire, & cùm culpa sit personalis, personalis quoque debetur pro ea satisfactio. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui locò ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Si Confessarius leviorem pœnitentiam imposuit pro peccatis mortalibus, pœnitens tenetur supplere; nam lege divina tenemur satisfacere Deo in hac vita etiam pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita, ut patet ex Luc. 3. *Agite fructus dignos pœnitentiæ.*

V.

274 *De Fructibus Pœnitentiæ.*

Præter condonationem seu remissionem pœnæ temporalis, de qua jam paragraphô præcedenti adversùs Novatores disputavimus, & quam satisfactio ex opere operato confert, multiplicé satisfactionis fructum recenset Concilium Trident. Sess. 14. c. 8. (*l*) 1mo. enim satisfactoriæ pœnæ magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam homines coërcent, cautioresque & vigilantiores efficiunt. 2do. Medentur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos tollunt. 3tio. Dei animadversionem pœnasque graviores antevertunt. 4to. Nos Christo Capiti nostro, qui tot dura & acerba nostrî gratiâ perpessus est, conformes efficiunt, &c.

VI.

275 *De Conditionibus Satisfactionis.*

Sex præcipuè numerantur satisfactionis conditiones. 1mo. debet esse *actio moraliter bona:* unde absurda est quorumdam neotericorum opinio, qua docuerunt, pœnitentiam benè à pœnitente impleri per actum, putà jejunium aut eleemosynam, ex fine vel ex circumstantiis malum.

2do. Debet esse *supernaturalis;* id est, ex motivo pio & supernaturali placandi Deum, ejusque injuriam compensandi.

3tio. *Laboriosa & pœnalis;* quia, cùm pœnitens supponatur obnoxius pœnæ temporali, justitia exigit, ut pœnam illam exolvat piis ac laboriosis afflictationibus, prout suprà num. 1. jam diximus.

4to. Ut opus sit satisfactorium de condigno, fiat, necesse est, ab *homine justo*, seu *in statu gratiæ posito;* quia Dei inimicus est indignus, ut ejus satisfactio à Deo acceptetur pro pœna temporali peccatis debita, sicut indignus est, ut bona ejus opera acceptentur ad præmium. Quemadmodùm autem, juxta multos, pœnitentiæ Confessarii jussu ante absolutionem adimplendæ reatum pœnæ temporalis tollunt, cùm peccatum posteà per absolutionem remissum fuerit; ita pœnitentiæ post absolutionem peragendæ, etiamsi in peccato posteà superveniente impletæ fuerint, sublato tamen per justificationem obice, suum effectum assequentur. Hinc qui pœnitentiam in peccato mortali exequitur, ex communiori sententia satisfacit obligationi suæ, sic ut non teneatur posteà illam repetere in statu gratiæ positus; quia talis substantiam præcepti implevit; peccat tamen, saltem venialiter, quia integralem Sacramenti partem indignè suscipit, & ponit obicem effectui, nempè remissioni temporalis pœnæ.

5to. Pœnitentia debet esse æqualis reatui seu debito pœnæ temporalis.

6to. Pœnitentia pro peccatis occultis debet esse secreta, publica pro publicis; de quibus duabus conditionibus jam suprà egimus.

§. III.

An Satisfactio præcedere debeat Absolutionem? 276

Verisimilius quidem est, quòd illo tempore, quo pœnitentia publica in usu fuit, lege communi & ordinaria Sacramentalis à peccatis absolutio data fuerit post expletam satisfactionem. (Diximus, *Lege comuni & ordinaria;* nam aliquoties & in certis casibus infrà nominandis dabatur absolutio ante persolutam satisfactionem) id apertè testatur Innocentius I. Ep. ad Decent. c. 7. ubi, *Cæterùm*, inquit, *de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœni-*

(*l*) Hos fructus jam recensuimus §. præced. Conclus. 3. prob. 3.

pœnitentis, & *ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc debere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.* Idem innuere videtur S. Leo Ep. 82. aliàs 91. ubi, *Christus*, ait, *hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ actionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Malè tamen indè inferunt Petrus de Osma Doctor Salmanticensis à Sixto IV. damnatus annô 1478. & alii nonnulli Recentiores Dogmatistæ, quorum doctrinam proscripsit Alex. VIII. an. 1690. *Executionem pœnitentiæ seu satisfactionis injunctæ necessariò ex institutione Christi ita absolutioni prærequiri, ut alioquin absolutio non sit valida, nisi hujusmodi satisfactio priùs completa fuerit.* In eundem errorem lapsus est Quesnelius propositione inter centum & unam à Clemente XI. an. 1713. damnatas octogesima septima. Contra quos omnes sit

277 CONCLUSIO.

Neque ex necessitate Sacramenti, neque ex institutione Christi, necesse est, ut satisfactio à pœnitente ante absolutionem impleatur, sed perinde est, sive eam antecedat, sive sequatur.

Prob. 1mo. Quia Ecclesia tùm priorum tùm posteriorum temporum ratam habuit absolutionem datam ante impletam satisfactionem. Ergo persuasum sibi semper habuit, ex institutione Christi non requiri, ut satisfactio præcedat absolutionem: Ecclesia quippè circa substantiam Sacramentorum nihil potest; neque in illis assignandis errare potest.

Antecedens ostenditur, 1mo. Certum est, nec ipsi refragantur Adversarii, Græcam Ecclesiam à mille & ducentis annis statim post confessionem Sacerdoti factam, & pœnitentiam assignatam pœnitentes Sacramentaliter absolvere. 2do. Ecclesiam Latinam saltem à sex Sæculis idem observasse, ac etiamnum observare, res est usu quotidiano trita & comprobata. Utramque hanc Ecclesiam verò, adeoque universam, ea in re culpare & accusare, quasi corruptelam & abusum induxerit, non ferendæ est temeritatis, cujus soli Hæretici Ecclesiæ hostes infensissimi sunt capaces. 3tio. Quantùm spectat ad veterem Ecclesiam non minùs certum est & exploratum, ipsi ratam & validam fuisse absolutionem à peccatis, quæ multis in casibus ante omnem vel saltem ante condignam satisfactionem persolutam concedebatur: 1mo. Cùm pœnitens in vitæ discrimen veniebat, ante expletum pœnitentiæ tempus absolvebatur. Ita cautum legimus in Concil. Nicæno I. Can. 13. 2do. Cùm periculum erat, ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad Hæreticos vel Schismaticos deficerent. Ita testatur S. Cyprianus Ep. 52. de Libellaticis. (*m*) 3tio. Cùm instabat persecutio Tyrañorum, lapsis absolutio dabatur ante expletam pœnitentiam. Ex eodem S. Cypriano Ep. 54. 4to. Cùm spes affulgebat hac indulgentia vel plures ad Ecclesiam reversuros esse, vel extinguendum fore Schisma, vel aliquod insigne bonum aut faciendum, aut factum jam esse. Ita S. Cornelius Papa multos Confessores à Schismate Novatiani ad Ecclesiam redeuntes nullâ impositâ pœnitentiâ statim recepit in communionem. Ex Epist. 46. inter Cyprianicas, quæ est S. Cornelii ad Cyprianum. 5to. Cùm Martyres datis libellis postulabant, ut lapsis pœnitentia relaxaretur. Conqueritur quidem S. Cyprianus

(*m*) Libellatici ii dicti fuêre, qui in primitiva Ecclesia persecutionis tempore, metu amittendi facultates suas, dignitates, aut vitam, oblatis pecuniis ab Idololatris Magistratibus libellos seu schedas accipiebant, quibus fides fiebat, hujusmodi Christianos Imperatorum edictis, satisfecisse, Christoque renuntiasse, necnon Idolis thus adolevisse &c. Baronius ad an. Chr. 252.

prianus Ep. 16. de nimia Martyrum facilitate in hisce libellis promiscuè concedendis; nihilominùs in eorum gratiam semper relaxata est pœnitentiarū severitas. Ergo apud Veteres constabat, non esse de ratione Sacramenti, nec extare ullum Christi præceptum, ut satisfactio absolutionem præcedat.

278 Prob. 2do. Auctoritate SS. Pontificum Sixti IV. qui hanc Petri de Osma propositionem damnavit: *Pœnitentes non sunt absolvendi, nisi peractâ priùs pœnitentiâ eis injunctâ.* Et Alexandri VIII. qui an. 1690. inter alias etiam hanc proscripsit propositionem: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio naturâ rei id ipsum quodammodò dictante.*

279 Prob. 3tio Ratione. Quia satisfactio est pars duntaxat integralis Sacramenti Pœnitentiæ. Atqui sine parte integrante stat incolumis essentia compositi. Ergo &c. Deinde, in ipsa contritione & confessione nonnihil pœnale occurrit, quod in compensationem aliquam Deo potest offerri pro debito pœnæ temporalis.

Cæterùm per hæc nolumus improbare praxim Confessariorum, qui pœnitentibus non ritè dispositis absolutionem ante peractam satisfactionem denegant: quibusdam enim in casibus differenda est absolutio, & præscribenda peccatoribus aliqua pro eorum statu & circumstantiis medicinalis probatio, antequàm reconcilientur. Ne igitur Sacerdos absolvat absque illa probatione eos, quorum conversio insufficiens ipsi videbitur; sed de his plura Cap. seq.

280 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. S. Augustinus Serm. 57. de tempore, *Parum est*, ait, *peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Datur quidem in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed auctores tamen esse non possumus, quòd qui sic petierit, mereatur absolvi.* Ergo S. Doctor dubitabat de validitate absolutionis datæ moribundis ante impletam satisfactionem.

Resp. Dist. conf. Dubitabat de validitate absolutionis datæ moribundis, ex eo, quòd valdè dubia sit vera in ejusmodi moribundis conversio, conc. Dubitabat &c. ex eo præcisè, quòd absolutioni præmissa non foret satisfactio. neg. conf. Rarò veram ac sinceram contritionem habent illi peccatores, qui conversionem suam usque ad mortem differunt; hinc ea Patribus semper suspecta visa est.

Ob. 2do. Juxta S. Ambrosium lib. 7. 281
in Luc. n. 156. peccatorum absolutio est merx, satisfactio verò pretium, quo redimuntur peccata. Atqui mercis ratio postulat, ut non detur nisi post solutum pretium. Ergo satisfactio debet præcedere absolutionem.

Resp. Dist. Maj. Satisfactio est pretium, quo redimuntur peccata quoad pœnam temporalem, conc. Quoad culpam & pœnam æternam, neg. maj. ista enim gratis à Deo remittitur sive per contritionem perfectam sive per absolutionem Sacramentalem. Et conc. min. Dist. conf. Ergo satisfactio debet præcedere absolutionem à pœna temporali, conc. à culpa & pœna æterna, neg. conf.

Ob. 3tio. In veteri Ecclesia plurium 282
Sæculorum spatiô, qui à gravi morbo, in quo ante emensum pœnitentiæ stadium fuerant absoluti, convalescebant, remittebantur ad eum pœnitentiæ gradum, in quo erant, cùm morbô correpti fuerunt, ut posteà cum aliis pœnitentibus ab Episcopo absolverentur. Ergo Ecclesia tunc censebat absolutionem absque prævia satisfactione datam nullam fuisse.

Res. neg. conf. Nam Ecclesia taliter absolutos remittebat ad explendam satisfactionem, non quòd planè nullam judicaret illam absolutionem (ad quid enim illam concessisset, si nullam censuisset; imò sic eam concedendo grave Sacrilegium commi-

commisisset) sed quia hujusmodi absolutis supererat satisfaciendum pro pœna temporali peccatis debita; & quia disciplina horum temporum id exigebat ad exemplum & terrorem aliorum: quibus pœnitentibus deinde sic per satisfactionem perfectè purgatis manus imponebatur in reconciliationem.

283 Ob. 4to. Ipsa rei natura exigit, ut reus satisfaciat, antequàm absolvatur. Ego &c.

Resp. Dist. ant. Ut reus satisfaciat pro culpa & pœna æterna, conc. ant. Pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, neg. ant. & cons. Ipsa porro contritio cum confessione est satisfactio pro culpa, & absolutioni necessariò præmittenda.

284 Ob. 5to. Pars materialis præmitti debet formæ. Atqui satisfactio est pars materialis. Ergo debet præcedere formam seu absolutionem.

Resp. Dist. maj. Pars materialis essentialis præmitti debet formæ, conc. Pars materialis integralis tantùm, qualis est satisfactio, neg. maj. &c. Sic dentes, v. g. sunt pars materialis integralis animalis, & tamen introductionem animæ, & totam illius essentiam primùm sequuntur. &c.

§. IV.

285 *De disciplina veteris Ecclesiæ circa pœnitentiam, seu de pœnitentia publica.*

Amplum ac totum penè historicum est istud argumentum, cujus, ob temporis angustiam, præcipua capita strictim duntaxat ac summatim delibamus.

Vetus Ecclesia gravissima peccata, quæ *Canonica*, quòd, prout arbitramur, eorum pœnæ inter Ecclesiæ Canones speciatim relatæ sint, vulgò nuncupabantur, atque hæc tria erant, scilicet *Idololatria*, *homicidium* & *adulterium*, distinxit ab aliis licet gravibus, & gravia à levibus, quibus omnibus convenientes imponebantur pœnæ; ut constat ex S. Augustino de fid. & oper. c. 26. aliàs 48. & ex Canonibus pœnitentialibus.

Privatim vel publicè solvebantur illæ pœnæ; privatim quidem non tantùm pro levibus delictis, aut gravibus, quæ *Canonica* non erant, sed & pro ipsis Canonicis, si omninò occulta erant: ex S. Basilio Ep. ad Amphiloch. & Concil. Vasens. I. an. 442. Can. 8. Peccata autem Canonica cum scandalo perpetrata, eorumque manifestæ species, quibus nonnulla alia successu temporis addita fuerunt, publicâ pœnitentiâ castigabantur: ex Concilio Carthag. III. an. 397. Can. 32. S. Augustino Serm. 351. aliàs Hom. 50. inter 50. & Serm. 82. aliàs 16. de verbis Domini c. 7.

Qui crimen aliquod publicâ pœnitentiâ expiandum admiserant, si cogniti erant ac convicti, à communione Fidelium segregabantur: ex S. Augustino Serm. 351. suprà laudato. Si resipiscerent, & pœnitentiam humiliter expeterent, ad eam recipiebantur. Judicabant autem Præsules, an secreta vel publica pœnitentia illa esse deberet, an brevis an prolixa, inspectis priùs Canonum regulis.

Si inter publicos pœnitentes annumerandi forent, ad Basilicæ limen lugubri veste induti veniebant; Episcopo jubente Ecclesiam ingressi ab ipso cineres in capite recipiebant, tùm saccos & cilicia, & post preces ac salutaria monita è loco sacro ejiciebantur: ex S. Hieronymo Epist. ad Fabiol.

Toto pœnitentiæ tempore in publicum non prodibant, nisi necessitas cogeret, sed domi remanentes orationi vacabant, flexis semper genibus; jejuniis aliisque præscriptis operibus satisfactoriis se devovebant: prohibitum erat negotiis eos operam dare, militiæ labores subire, Magistratum gerere, conviviis interesse, balneô uti, &c. Ex S. Ambrosio lib. 1. de Pœnit. c. 9. &c.

Dominicis diebus & festivis ad Ecclesiam veniebant, & in ejus vestibulis orantes

orantes & genuflexi remanebant: ex Concilio Carthag. III. Can. 32. Ipſis enim in eam intrare, excepto concionis tempore, licitum non erat, præterquam apud Græcos à fine tertii Sæculi, aut ſaltem initiô quarti: ex hiſtoria Theodoſii apud Paulinum in vita S. Ambroſii. Ex eo enim tempore ſolemnes & diſtincti pœnitentium ordines in Eccleſia Græca fuerunt uſitati; nempe *Flentium*, qui extra portam Baſilicæ proſtrati Fidelium preces implorabant; *Audientium*, qui intra Eccleſiam Scripturam & doctrinam audiebant, precibus & concioni aderant usque ad dimiſſionem Catechumenorum, & poſteà cum *Flentibus* extra Eccleſiam orabant; *Subſtratorum*, qui in Eccleſia poſt *Audientium* dimiſſionem expectabant, donec ſuper eos in terram proſtratos peractæ fuiſſent diverſæ preces, & multa manuum impoſitio. Præ aliis ſeverior erat hæc ſtatio; ab eis enim, qui eam decurrebant, ampliores exigebantur carnis macerationes: undè ſimpliciter & abſolutè vocabatur pœnitentia; demùm *Conſiſtentium*, qui cum Fidelibus in Eccleſia conſiſtebant, nec cum Catechumenis exire compellebantur, quique myſteriis quidem aderant, ſed ad oblationem & communionem nullatenùs admittebantur: ex Epiſtolis Canonicis Gregorii Neocæſar. Gregorii Nyſſ. Baſilii, &c.

His aut aliis, pro diverſo Eccleſiarum uſu, decurſis gradibus, pœnitentes, qui condignam pro peccatis ſuis egerant pœnitentiam ſolemniter ab Epiſcopo aut delegato Presbytero abſolvebantur ut plurimùm in fine Quadrageſimæ, & tunc exuti ſaccô, cultisque barbâ & capillis ac decenter veſtiti unà cum Fidelibus Sacris participabant: ex ordine Romano, & Sacramentario S. Gregorii Mag.

286 Primis Eccleſiæ temporibus usque ad hæreſim Montani, quæ circa medium ſecundi Sæculi caput extulit, nullum legitur agendæ pœnitentiæ certum ac præfixum tempus: brevius illud fuiſſe conjici non immeritò poteſt ex facto S. Joannis Apoſtoli, qui juvenem quemdam à ſe primùm inſtitutum, tùm ducem latronum factum, ad pœnitentiam tandem adduxit, & brevi temporis ſpatiô Eccleſiæ reconciliavit; ut ex Clemente Alexandrino narrat Euſebius lib. 3. Hiſt. c. 23. Subindè, à Montano ſcilicet usque ad hæreſim Novatianam, publicæ agendæ pœnitentiæ tempus paulò diuturnius fuit, atque ſeveriùs cum pœnitentibus agere cœpit Eccleſia. Denique per plures annos pœnitentia publica peracta fuit, quandoque etiam usque ad finem vitæ, habita nempe ratione gravitatis criminum: id conſtat ex *Canonibus pœnit.*

Ubi inchoatâ jam pœnitentiâ novum facinus perpetrabat pœnitens, aut negligenter pœnas ſatisfactorias pro crimine impoſitas luebat, protelandi pœnitentiæ tempus in Præſulum erat poteſtate, qui pro ſua prudentia & circumſtantiis pœnas Canonicas vel intendere vel remittere poterant: ex Epiſtolis Canonicis S. Gregorii Neocæſar. S. Gregor. Nyſſ. & S. Baſilii, &c.

Publica pœnitentia una fuit ac ſemel 287 tantùm impoſita, ut patet ex S. Ambroſio lib. 2. de Pœnit. c. 10. ubi, *Sicut unum Baptiſma*, ait, *ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur; nam quotidiani nos debet pœnitere delicti:* Qui verò eâ ſemel perfuncti in eadem vel graviora peccata incurrebant, non penitùs deſperati & ab omni ſpe veniæ conſequendæ dejecti jacebant, ſed toto vitæ ſuæ tempore à ſacræ menſæ participatione remoti ſecretâ pœnitentiâ caſtigabantur, & in fine tantùm veniam & abſolutionem obtinebant: id conſtat ex Siricio Papa Ep. 1. ad Himerium Tarraconenſ. c. 5. à quo interrogatus fuerat, qua ratione agendum foret cum iis, qui actâ pœnitentiâ iterùm ad eadem revertebantur facinora.

Qui ab hæreſi ad Eccleſiam confugie- 28 bant, ſi alicujus peccati publici reos ſe fatebantur, de eo pœnitentiam agebant publicam, teſte Conciliô Milevit. Can. 23.

Si

Si verò in illis nihil aliud præter errorem corrigendum erat, per ejus publicam ejurationem & ab excommunicatione abſolutionem communiter Fidelium coetui reſtituebantur. Idem actum erga Schismaticos; ex Tertulliano de præſcript. c. 30. Hæc autem reconciliatio, ſicut & nunc, Epiſcopo fuit reſervata.

289 Primis Eccleſiæ temporibus nulla erat publicæ pœnitentiæ commutatio. Subindè qui ab ea eximi cupiebant, vel in Monaſteriis vitam profitebantur pœnitentem, ut conſtat ex Concilio Arelat. II. Can. 25. vel contra Infideles debellaturi procedebant, vel perpetuò peregrinabantur; qua de re varia in hiſtoria Eccleſiaſtica extant exempla: ii tamen non minùs irregulares erant, quàm illi, qui publicam pœnitentiam egerant.

Laicos cujuscumque dignitatis etiam Imperialis publicæ pœnitentiæ legibus adſtrictos fuiſſe, cùm exigeret peccatorum, quæ admiſerant, ratio, patet famosô exemplô Theodoſii Imperatoris, de quo apud S. Ambroſium. Clericos pariter inferiores ſicut & Monachos ac Moniales eandem ſubiiſſe ſortem oſtendit Morinus lib. 6. c. 13. Clerici verò Majores probabiliùs pœnitentiæ publicæ ſubditi non erant, ſed tantùm pro gravitate criminum depoſitionis pœnâ & laica communione puniebantur: id conſtat ex Optato Milevit. lib. 2. contra Donatiſtas, ubi eos graviter reprehendit, quòd rem hactenùs inuſitatam ac planè inſolentem perfeciſſent, ſcilicet quòd Epiſcopos & Presbyteros publicæ pœnitentiæ addixiſſent.

Denique in Eccleſia Orientali poſt quartum Sæculum, in Occidentali verò poſt ſeptimum remiſſior fuit diſciplina Eccleſiæ circa pœnitentiam publicam, ac fermè abrogatæ tunc fuiſſe videntur ſolemnes pœnitentiæ publicæ ſtationes. De Eccleſia Orientali res indubitata videtur ex celebri facto Nectarii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Pœnitentiarium publicæ pœnitentiæ præfectum, ejusque munus abrogavit. De Eccleſia Latina non minùs res manifeſta eſt ex Libris pœnitentialibus, quos profert Morinus, quique à Sæculo ſeptimo prodiêre, nec ullam mentionem habent illorum ſolemnium pœnitentiæ graduum, *Flentium* ſcilicet, *Audientium*, *Subſtratorum*, & *Conſiſtentium*. Et hæc de publica pœnitentia dixiſſe ſufficiat. Qui plura ſcire deſiderat, legere poterit Thomaſſinum, Morinum, & alios, qui de ea fuſiùs ſcripſerunt.

CAPUT V. 290

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu de Abſolutione.

DIximus in procemio hujus Tractatus formam Sacramenti pœnitentiæ eſſe *Abſolutionem*, ſeu ſententiam, qua Sacerdos tanquam Judex à Chriſto inſtitutus peccatorem confeſſum contritum, & ſatisfacere paratum ſolvit à vinculis peccatorum: Abſolutionem quippe eſſe actum judicialem jam Cap. 1. ſufficienter probavimus, & contrarium aſſerens à Concilio Tridentino Seſſ. 14. Can. 9. anathemate percellitur.

Abſolutionis nomen deſumptum eſt maximè ex his Chriſti verbis ad Apoſtolos & eorum in Sacerdotio ſucceſſores Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.*

De ea varia nobis diſcutienda veniunt, quæ partim ad dogma, partim ad hiſtoriam pertinent; partim praxim, partim ſpeculationem ſpectant, omnia tamen ſcitu digna & neceſſaria. Ut 1mo. An Abſolutio neceſſariò conſtet verbis, & quibus, an deprecativis, an indicativis? 2do. An ſanis peccatoribus eam petentibus nonnunquam ſit deneganda? 3tio. An infirmis peccatoribus olim denegata fuerit, vel etiamnum adhuc ſit deneganda. Sit

§. I.

291 *An Absolutio necessariò constet verbis, & quibus, an deprecativis, an indicativis?*

Tribûs modis exprimi potest Absolutionis Sacramentalis forma; Indicativè, *Absolvo te*; Deprecativè, *Quæsumus Domine, absolve*; Imperativè, *Absolvatur &c.* qui postremus modus ad indicativum refertur.

Duplex hîc occurrit quæstio, una *juris*, altera *facti*. Quæstio *juris* est, an ex institutione Christi necesse sit formam absolutionis esse *deprecatoriam*, vel *indicativam*. Circa quam S. Thomas contendit, eam debere esse *indicativam*, quia scilicet alio modo exprimi non potest actus judicialis, qualis est Absolutio. Ei tamen contradicunt plurimi Doctissimi viri. Quæstio facti est, qualem Ecclesia tùm Latina tùm Græca formam olim usurpaverit, an deprecatoriam an indicativam seu absolutam. Plures cum S. Thoma censentes actum judicialem, qualis est absolutio, non posse verbis deprecativis validè pronuntiari, docent formulam absolutionis in Ecclesia Latina semper fuisse indicativam: imò id etiam affirmant de Ecclesia Græca, in qua formam indicativam his expressam verbis: *Habeo te absolutum*, obtinuisse variis testimoniis cum Arcudio lib. 4. de Pœnit. cap. 3. & Goario in notis ad Euchologo. Græcorum ostendunt.

Præter has quæstiones suscitantur hîc aliqui, satis, ut quidem arbitramur, ineptè, an forma Sacramenti Pœnitentiæ seu Absolutio ita verbis propriè dictis exprimi debeat, ut nutibus vel Scriptô saltem dari nequeat. His prælibatis, sit

292 CONCLUSIO I.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter exprimi debet verbis propriè dictis, ita ut nulla sit absolutio nutibus vel Scriptô data.

Prob. 1mo. Ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii. ibi. *Forma bujus Sacramenti sunt verba Absolutionis, quæ Sacerdos profert, dum dicit, Ego te absolvo &c.* Certè voces hæ, *Verba profert, dicit*, apertè significant, formam Sacramenti constare essentialiter verbis propriè dictis. Eadem habet Concilium Tridentinum Sess. 14. Cap. 3. ubi docet, *Formam Sacramenti Pœnitentiæ in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c.*

Prob. 2do. Ex Decreto Clementis VIII. qui opinionem asserentium licere absolutionem à Confessario absente per litteras obtinere *ad minùs uti falsam* damnavit.

Prob. 3tio. Ex praxi Ecclesiæ, in qua nunquam Absolutio Sacramentalis Scriptô aut nutu data est. Ratio autem convenientiæ est, quòd verba habeant significationem perfectiorem, magis expressam, ac determinatam, quàm quodlibet aliud signum.

CONCLUSIO II. 293

Forma Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter, & ex institutione Christi exprimi debet verbis indicativis, ita ut nec unquam fuerit, nec possit esse deprecativa.

Prob. 1mo. Ex verbis Christi, quibus Joan. 20. hoc Sacramentum instituit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ibi Christus Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus verè & propriè dictam potestatem remittendi peccata concessit: non enim dixit, quibus deprecati fueritis remissionem peccatorum, eam impetrabitis, sed *quorum remiseritis peccata, remittuntur &c.* Aliud autem est petere alicui veniam peccati, aliud verò juridicè peccatum remittere. Ergo non verbis deprecativis, sed indicativis debet forma proferri.

Prob.

294 Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino, quod Sess. 14. c. 1. docet, *Formam Sacramenti pœnitentiæ, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Ex quo sic licet arguere: Cùm Concilium dicit simpliciter, formam Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in his verbis: *Ego te absolvo &c.* aitque preces, quæ illi adjunguntur, de more Ecclesiæ (perpetuô utique ac constanti) illis adjungi, nec esse essentiales Sacramento, clarè significat, verba illa absolutionis formam constituentia non esse institutionis Ecclesiasticæ sed divinæ: siquidem illa verba distinguit ab eo, quod dicit esse ab Ecclesia institutum. Ergo ex Christi institutione forma hujus Sacramenti est indicativa, non deprecativa. Ergo etiam duodecim prioribus Sæculis (*n*), & semper forma hujus Sacramenti posita, sicut nunc adhuc, fuit in istis verbis indicativis: *Ego te absolvo &c.* non in precibus: nam Ecclesia institutionem Christi in administratione Sacramentorum semper retinuit. Ergo etiam non in precibus illis, quæ in antiquis Liturgiis, Sacramentariis, & Ritualibus extant, & quas Adversarii perperam contendunt duodecim prioribus Sæculis constituisse formam Sacramenti Pœnitentiæ; nam preces illæ eædem omninò sunt, saltem quoad sensum, ac eæ, quæ hodie adhuc formæ Sacramenti Pœnitentiæ adjunguntur, & de quibus loquitur Concilium Tridentinum eas tantùm institutionis Ecclesiasticæ esse.

295 Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, qui formam hujus Sacramenti indicativam esse declarant. S. Pacianus Ep. 1. ad Sympronian. *Quod per Sacerdotes suos facit Christus*, inquit, *sua potestas est.* Et Epist. 3. *Quod*, ait, *ego facio*, *id non meo jure*, *sed Domini.* S. Leo Serm. de Transfig. Domini. *Sententia Petri*, inquit, *præcedit sententiam cœli.* Quæ verba, si benè ponderentur, vix dubium relinquere poterunt de usu formæ indicativæ primis Ecclesiæ Sæculis usurpatæ: *Sententia* quippe nonnisi verbis indicativis exprimitur. &c.

Prob. 4to. Ratione. Absolutio Sacerdotis est essentialiter sententia judicialis; 296
necnon ea est institutio Sacramenti Pœnitentiæ, ut administretur à Sacerdote tanquam judicium exercente, & sententiam pronuntiante, adeoque ut administretur per verba, quibus Sacerdos significet se judicium exercere, & sententiam proferre: nam Sacramenta eo modo & tantum efficiunt, quo modo & quantum significant. Atqui verba quibus Sacerdos significat se judicium exercere, & sententiam pronuntiare sunt indicativa, non deprecativa. Ergo &c.

Forma igitur Sacramenti pœnitentiæ consistit in his verbis aut æquivalentibus: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. Amen.* An autem omnia hæc verba sint de essentia absolutionis controvertitur inter Doctores: sed probabilius videtur, quòd, quamvis singula sint ex præcepto exprimenda, ad veritatem tamen Sacramenti ista duo sufficiant *Te absolvo*; quia effectum Sacramenti satis exprimunt; & quia ad remissionem peccatorum satis determinata intelliguntur & per confessionem pœnitentis, & per actionem Ministri absolventis. Cætera verò non minùs consentaneè addita sunt, nec sine peccato extra casum necessitatis omitti possunt: nam pronomen *Ego* auctoritatem quamdam sonat, quæ competit Judici sententiam proferenti. Per has voces autem *à peccatis tuis*, clariùs exprimitur effectus Sacramenti. Deinde dum Sacerdos

(*n*) Id est, duodecim primis Ecclesiæ Sæculis.

addit, *In nomine Patris &c.* ſignificat Dei virtute & auctoritate miniſteriali duntaxat ſe peccata dimittere & ab eis abſolvere pœnitentem.

Senſus autem horum verborum, *Ego te abſolvo*, in mente S. Thomæ iſte eſt, *Ego Sacramentum abſolutionis tibi impendo.* Juxta alios verò Theologos, *Do tibi, quantùm in me eſt, gratiam reconciliativam, ſeu peccatorum remiſſionem.* Sicque utrolibet ſenſu vera eſt forma etiam reſpectu illius, qui priùs Deo reconciliatus per abſolutionem, eadem peccata denuò clavibus ſubjicit; tùm quia recipit gratiam de ſe peccati remiſſivam; tùm quia magis cum Deo reconciliatur, & creſcit in ejus amicitia; tùm quia ipſi remittitur aliquid pœnæ temporalis.

Porro preces, quæ formam abſolutionis vel præcedunt, vel ſequuntur, quamvis laudabiliter uſurpentur, & ad eas etiam hortetur Paulus V. certum tamen eſt eas, ſaltem *Miſereatur &c.* in brevioribus confeſſionibus, magnoque pœnitentium concurſu ſine peccato omitti poſſe; ſatis proin tunc eſt dicere, *Dominus noſter JEſus Chriſtus &c.* quæ verba ſine urgenti ratione omitti non debent, ne fortè pœnitens occultam cenſuram incurrerit. Ubi ſi pœnitens ſit Laicus, omittitur vox *Suſpenſionis*, utpotè illius incapax. Urgente autem mortis periculo ſic breviter abſolvendus erit pœnitens: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis, in nomine Patris, &c.*

297 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 1mam Concluſ. Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum judicii. Atqui judicium non exigit eſſentialiter, ut ſententia verbis proferatur. Ergo &c.

Reſp. Diſt. Maj. Inſtitutum eſt per modum judicii ſpecialis cujuſdam, conc. Per modum judicii communis & omnimodè humano ſimilis, neg. maj. Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum judicii cujuſdam ſpecialis, & ab humano & Civili in multis diſcrepantis; nam judicium, quod in Sacramento exercetur, eſt in ſalutem & favorem pœnitentis ſeu rei inſtitutum; in eo idem eſt reus & accuſator, reo ipſi ſe accuſanti & excuſanti creditur; quæ omnia judicio civili & humano non conveniunt.

Ob. 2do. Matrimonium regulariter 298
tantùm, non eſſentialiter, verbis contrahi debet, & valet Scriptô vel nutu contractum. Ergo ſimiliter de abſolutione ſentiendum eſt.

Reſp. neg. conſ. & parit. Diſparitas eſt; quia Chriſtus inſtituendo Matrimonii Sacramentum noluit peculiarem ritum Matrimonio addere, ſed duntaxat contractum civilem legitimum evexit ad dignitatem Sacramenti, ne muti privarentur jure naturali contrahendi Matrimonium. Cùm autem contractus civilis verba propriè dicta non exigat, noluit etiam Chriſtus, ut idem contractus ad rationem Sacramenti evectus verba propriè dicta eſſentialiter requireret. At verò Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituendo peculiarem & novum ritum inſtituit, in quo verba propriè dicta ad perfectiorem Sacramenti ſignificationem eſſentialiter exegit.

Ob. 3tio. Contra 2dam Concluſ. S. 299
Ambroſius lib. 3. de Spirit. ſanct. cap. 8. *Homines*, inquit, *in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent; neque enim in ſuo, ſed in Patris & Filii & Spiritûs ſancti nomine peccata dimittuntur; iſti rogant, divinitas donat.* Imò SS. Patres communiter docent, pœnitentes per orationem Sacerdotum abſolvi. Ergo antiquitùs forma deprecativa in uſu erat, & conſequenter etiam ex inſtitutione Chriſti valida eſt.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut alibi jam obſervavimus, ſancti Patres per *orationem, preces*,

preces, *supplicationes*, *&c.* ubi ipsis de Sacramentis sermo est, intelligunt qualescumque formas Sacramentorum, sive deinde sint indicativæ, sive deprecatoriæ, quia tales formæ Deum movent ad dandam gratiam, & quia Minister eas non in propria sed in persona Christi profert, & & sic implicitè orat, ut Christus rati habeat, quod ipse ejus nomine agit; quo sensu forma Baptismi & Eucharistiæ à S. Augustino lib. 5. de Bapt. c. 20. vocatur *deprecatio*. Deinde verba S. Ambrosii in Objectione relata etiam intelligi debent de remissione peccatorum, quæ fit per Baptismum, & consequenter contra Adversarios nostros ex iis etiam inferri posset, formam Baptismi esse quoque deprecativam, quod tamen ipsi non admittunt. Imò ex ipsismet S. Ambrosii verbis istis: *Neque enim in suo sed in Patris &c. nomine peccata dimittuntur*, videtur inferri forma ista, *Ego te absolvo à peccatis tuis*; vel, *tibi dimitto peccata tua in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti.*

300 Ob. 4to. Ecclesia duodecim prioribus Sæculis adhibuit formam Absolutionis deprecativam; quam posteà Ecclesia Latina mutavit in indicativam: nec in hoc quidquam circa substantiam Sacramentorum mutavit; quia Christus hanc formam in specie infima non designavit, sed reliquit determinationi Ecclesiæ, ut exprimeretur verbis idoneis ad remissionem peccatorum significandam.

Resp. neg. propos. Falsum quippe est, quòd Ecclesia duodecim prioribus Sæculis adhibuerit formam deprecativam: per eam enim non exprimitur remissio peccatorum tanquam à Judice & per actum judicialem facienda, quod tamen, ut institutio Christi servetur, est necessarium.

301 Inst. 1mo. Judicium etiam modô deprecativô exerceri potest. Ergo nulla responsio. Prob. ant. Qui deprecatur alteri culpam à supremo Judice remittendam, satis indicat, se eam remittere. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. cons. Talis quidem indicat satis se remittere culpam, non verò tanquam Judex sententiam pronuntiat, & sententiam pronuntiando eam juridicè condonat, quod tamen tanquam essentiale quid requirit Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 6.

Inst. 2do. Valet absolutio ab excom- 302
municatione, quæ datur aliis verbis, quàm indicativis, licèt sit actus judicialis. Ergo pariter valere potest absolutio à peccatis verbis deprecativis expressa.

Resp. neg. cons. & parit. Disparitas est, quia Christus circa absolutionem à censuris nihil determinavit; quapropter validè potest dari quibuslibet verbis, imò signis, & nutibus consensum internum sufficienter exprimentibus. Si tamen non detur verbis indicativis, jam non fit per modum actûs judicialis, sed per modum concessionis.

Ob. 5to. Antiqua Sacramentaria, 303
Pœnitentialia, & Ritualia ante duodecimum Sæculum exarata nihil continent nisi orationes, cùm agitur de reconciliatione pœnitentis; neque forma absolutionis indicativa, quæ hodie in usu est, in ullo reperitur. Ergo Ecclesia prioribus Sæculis usa est in Sacramento Pœnitentiæ formâ deprecativâ.

Resp. 1mo. Neg. ant. Observat quippe eruditus P. Martene Ord. S. Bened. Congreg. S. Mauri in Gallia Alumnus lib. 1. de antiq. Eccles. ritibus c. 6. art. 5. in quatuor antiquitate sua planè venerandis Ritualibus Manuscriptis formam hanc indicativam deprehendi, nempè in Pontificali Egberti Eboracensis Episcopi, qui floruit Sæculô VIII. circa an. 766. litteris Saxonicis pereleganter scriptô; in Anglicano, cujus character nongentos circiter annos refert, in Gellonensi vetustissimo, & Rhemensi S. Remigii litteris Longobardicis exarato. Deinde in vetustissimis Pœnitentialibus legitur conjunctivum seu imperativum indicativo æquivalens, quod est ipsa forma Sacramenta-

mentalis absolutionis hodiedum usurpata: idem quippe est: *Sis absolutus à me*, ac *Absolvo te.*

Resp. 2do. Neg. cons. Nam neque Confirmationis forma, quam hodie usurpat Ecclesia, in antiquissimis Ritualibus invenitur; eam tamen essentialem esse non negant Adversarii. Praetermissae autem in Ritualibus &c. fuerunt formae Sacramentorum, tùm quia, utpotè brevissimae, facillimè ex auditu disci, & retineri poterant; tùm ne Ethnicis, aut impiis Haereticis facilè innotescerent, & ab iis contemnerentur, aut irriderentur, ut de Confirmationis forma agentes observavimus.

304 Ob. 6to. Quotquot extant Graecorum libri Rituales veteres & recentiores, non aliam absolutionis Sacramentalis formam continent, quàm deprecatoriam. Ergo Graeci semper usi fuerunt & adhuc utuntur formâ deprecatoriâ, & quidem validè simul & licitè; quia Latini ea de re Graecis nunquam litem moverunt.

Resp. neg. ant. Nam omisso, quòd Goarius in duobus Graecorum Euchologiis formam absolutionis Sacramentalis indicativam deprehenderit, Orationes quidem in Graecorum Euchologiis traduntur, non tamen ut per eas poenitens absolvatur, sed ut adjungantur formae Sacramentali indicativae, quae apud illos haec est, *Habeo te absolutum*, aut *veniâ donatum;* prout Arcudius Graecus Scriptor peritissimus lib. 4. de Poenit. c. 3. & Goarius in notis ad Eucholog. Graecor. p. 673. invictis testimoniis ostendunt.

305 Inst. Clemens VIII. in instructione super Ritibus Graecorum, quam edidit an. 1595. haec habet: *In casu necessitatis Presbyteri Graeci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur formâ absolutionis in Concilio Florentino praescripta, & posteà si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantùm consueverunt.* Ergo teste Clemente VIII. Graeci formam deprecativam duntaxat usurpare consueverunt, quam servare permittit, dum Graeci Graecos absolvunt; non verò quando Latinis in casu necessitatis absolutionem impendunt.

Resp. neg. cons. Nam Clemens VIII. jubet simpliciter & absolutè, ideoque pro omni casu, quo Graeci audiunt confessiones sive Latinorum sive Graecorum, ut adhibeant formam in Concilio Florentino praescriptam nempè indicativam; dicit enim simpliciter & absolutè: *Utantur formâ absolutionis in Concilio Florentino praescriptâ;* non verò dicit, cùm absolvunt Latinos, utantur formâ Concilii Florentini. Unde ex hoc Clementis VIII. textu validè confirmatur nostra sententia. Quòd autem Clemens VIII. ibidem dicat, Graecos consuevisse uti tantùm formâ deprecativâ, loquitur de aliquibus Schismaticis, qui ex ignorantia seu errore formam deprecativam adhibebant, prout id etiam in Ecclesia Latina tempore S. Thomae aliqui ex errore faciebant.

§. II.

An, & quando Absolutio Sacramentalis peccatoribus sanis eam petentibus sit deneganda? 30[illegible]

Quoniam Sacerdotes tàm ligandi, quàm solvendi potestatem à Christo acceperunt, prout definit Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 15. evidens est, absolutionem non esse omnibus indiscriminatim concedendam, sed quandoque negandam, seu potiùs differendam; sicut enim potestate sua abuteretur Confessarius, qui poenitenti verè contrito & ritè confesso reconciliationis beneficium denegaret; ita & contra Dei & Ecclesiae leges temerè se gereret Sacerdos ille, qui noxios faciliùs solveret, quàm par est. Hinc 1mo. talis Confessarius reus est apud Deum violati Sacramenti;

grave

grave quippè Sacrilegium est, sanctum dare canibus, Sanguinem novi Testamenti pollutum ducere, & tradere in manus peccatorum. 2do. Ejusmodi Confessariorum prævaricatio est Ecclesiæ adeò noxia, ut S. Cyprianus Serm. de lapsis dicere non dubitet, Ecclesiam minùs mali passam fuisse à crudelissimis Tyrannis, quàm ab infidis illis Confessariis, qui suô agendi modô cupiditatibus laxant habenas, peccandique fiduciam peccatoribus addunt. 3tio. Nihil perniciosum ipsismet pœnitentibus magis est, quàm inofficiosa illa Confessariorum indulgentia; tùm quia eorum vulnera non sanat, sed aperit, & dissimulando exasperat; tùm quia spem vitæ æternæ ipsis adimit, & ad finalem impœnitentiam certissimè inducit. De talibus ait Jeremias c. 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes pax, pax, & non erat pax quamobrèm cadent inter ruentes.*

307 Hujus autem inordinatæ indulgentiæ causæ sunt sequentes: 1ma. *Inscitia*, qua hujusmodi Confessarii ignorant rationes curandi morbos animi & tritas medicinæ spiritualis regulas. 2da. *Negligentia*; cùm enim curare animarum vulnera res sit multæ operæ, Confessarius laboris impatiens conscientias altiùs perscrutari refugit. 3tia. *Naturalis compassio*; vix enim taliter affectus vim sibi inferet, ut vulnus aperiat, putredines amputet, ne æger doloris impatiens vociferetur & conqueratur; sicque pœnitentes, qui ejus se committunt fidei, sub blando misericordiæ titulo decipit; *hoc enim non est curare, sed si verum dicere volumus, perimere*; prout scribit Clerus Romanus ad S. Cyprianum. 4ta. *Timor mundanus*; quo nihil potentius ad frangendum Confessarii animum; nec profectò graviorem multi in Sacerdotali ministerio experiuntur tentationem, quàm cùm nonnulla occurrunt improbanda, & resecanda, à quibus pœnitentes ægrè se avelli patiuntur. Et hi sunt quatuor scopuli, ad quos quamplures Confessarii salutis naufragium patiuntur; faxit Deus, ut ii, quorum gratiâ hæc scribimus, illos, qua par est, diligentiâ declinent, & deposito omni humano affectu solvant aut ligent juxta legem sibi à Deo præscriptam.

Igitur, his præsuppositis, modò exponendum nobis est, an, quando, & quibus Sacramentalis absolutio deneganda sit. 308

1mo. Falluntur ii, qui putant primis Ecclesiæ Sæculis ex disciplinæ rigore graviorum criminum reis pœnitentiâ etiam perfunctis à celeberrimis Ecclesiis, Romanâ scilicet, Carthaginensi, & Hispanicâ absolutionem fuisse denegatam. Id præstitisse Ecclesiam Romanam testatur Zephirinus Papa, qui ab an. 201. usque ad 219. rebus Ecclesiæ præfuit, cujus hoc solemne decretum refert Tertullianus lib. de pudicitia c. 1. *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Quo sanè decreto sanctus hic Pontifex non novam invexit disciplinam, sed veterem Ecclesiæ Romanæ doctrinam confirmavit. Pro Ecclesia Carthaginensi testem damus S. Cyprianum Ep. 52. ubi, *miror*, ait, *quosdam sic obstinatos, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam. Neminem putamus à fructu satisfactionis & spe pacis arcendum.* Quantùm ad Ecclesiam Hispanicam res etiam aperta videtur: licèt enim in multis Canonibus Concilii Eliberitani legamus communionem etiam in fine aliquorum criminum reis denegari, in nullo tamen, quod apprimè notandum, reperietur illius Canone eis denegatam fuisse pœnitentiæ copiam: imò potius Can. 21. cavetur, ne Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus claudatur janua pœnitentiæ. Per *Communionem* igitur, quam dicta Synodus nonnullis peccatoribus denegat, intelligitur vel participatio Eucharistiæ, ut ex Can. 47. eruitur, in quo adversùs relapsum adulterum statuitur his verbis: *Placuit ulterius*

riùs eum non edere de communione pacis, ſeu, prout alii legunt, *panis*. Vel nomine *Communionis* intelligitur ſolùm Canonica ac cæremonialis reconciliatio cum Eccleſia per manûs impoſitionem, prout Veteres nonnunquam intellexerunt, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. Can. 78. non verò Sacramentalis à peccatis abſolutio.

309 2do. Iis differenda eſt abſolutio, qui præcipua Catholicæ Religionis myſteria, v.g. SS. Trinitatis, & Incarnationis, aliaque ad Chriſtianè vivendum neceſſaria, ut ſunt Oratio Dominica, Symbolum Apoſtolorum, Decalogi & Eccleſiæ præcepta ignorant. Hinc Innocentius XI. an. 1679. hanc propoſitionem damnavit: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini.* Hinc etiam Concilium Mediolanenſe V. præcipit, ut Confeſſarius, antequam rudiorum confeſſiones excipiat, ab iis exigat, ut recitent Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum; *ita ut*, inquit S. Carolus in inſtruct. pœnit. *explicitè & intelligenter ſciant*, non autem quaſi recitantes tantùm. Si verò rudiores ea de re, inquit idem S. Carolus (*o*), nusquam anteà moniti fuerint, ipſos abſolvant, præmiſſa ſemper inſtructione de his rebus neceſſaria, ut ſint inpræſentiarum abſolutionis capaces. Similiter abſolutionis indigni ſunt ii, qui ſæpiùs admoniti liberos aut domeſticos ſuos iisdem fidei aut morum rudimentis imbuere negligunt; ut ait laudatus S. Carolus in inſtruct. Confeſſ.

310 3tio. Abſolutio denegari debet iis, qui artes profitentur illicitas, ut ſunt Lenones, Comœdi, Uſurarii, & quicumque artibûs per ſe licitis utuntur ad illicita, ut pictores, qui pingunt tabellas obſcœnas & ad libidinem provocantes, Bibliopolæ, qui libellos famoſos, obſcœna tractantes, Hæreticos, &c. divendunt; & denique ii, qui ſtatum honeſtum & profeſſionem licitam exercentes, tamen muneris ſui obeundi ſunt incapaces.

4to. Abſolutio deneganda eſt iis, qui 311
cum proximo ſecretas vel publicas exercent inimicitias, nequeuntque reconciliari. Vel qui, cùm æs alienum detineant, aut proximi famam læſerint, reſtituere vel ſatisfacere detrectant. Quòdſi polliceantur ſe facturos ſatis (niſi ſint in periculo mortis conſtituti) nihilominùs remitti debent ſine abſolutione, usque dum ſatisfecerint, quando in prioribus confeſſionibus bis ſaltem moniti, Confeſſario non paruerunt. *Caveant Confeſſarii*, ait laudatum Concilium Mediolanenſe, *ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus cùm facultas adſit aliena reſtituendi, illisque, ut id facerent, ſuperiori confeſſione præceptum ſit, præſtare tamen neglexerunt, exceptis iis, qui periculosè ægrotant, quos tamen moneant, ut, quæ debent, quamprimùm ſolvant.* Idem judicium feret Confeſſarius de iis, qui debita ſolvere negligunt, unde creditores, artifices, mercatores grave damnum patiuntur; aut qui nimio veſtium ornatu, luxu, & aliis ſuperfluis ſumptibus debita contrahunt, quibus ſolvendis pares non ſunt. Huc etiam referri poſſunt ii, qui aliis gravi ſunt ſcandalo, illudque removere refugiunt.

5to. Ab abſolutione omninò excludi 312
debent ii, qui proximas peccandi occaſiones deſerere nolunt; ut conſtat ex Cenſura, qua Innocentius XI. an. 1679. perſtrinxit ſequentem propoſitionem: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt & non vult omittere; quin imò directè & ex propoſito eam quærit, aut ei ſe ingerit.* Dixi-

(*o*) In inſtruct. Confeſſ.

Diximus, *qui proximas peccandi occaſiones &c.* ad diſtinctionem occaſionum peccandi remotarum. Alia igitur eſt occaſio peccandi *remota*, alia *proxima*. *Remota* dicitur illa, ad quam interdum ex mera peccantis fragilitate, aut libera malitia peccatum ſequitur. Et hujusmodi occaſio peccandi ubique eſt in toto mundo; quam proinde ſi quis vitare vellet, è toto orbe exire deberet. *Occaſio* autem *proxima* peccandi dicitur illa, in qua quis conſtitutus, perpenſis omnibus circumſtantiis, ordinariè in peccatum ruit.

Occaſio proxima peccandi alia eſt, quæ ex natura ſua quemlibet in peccatum inducit, alia quæ per accidens tantùm & ex infirmitate pœnitentis, qui in ea ſcilicet poſitus ita peccare conſuevit, ut fermè certum ſit illum in eadem peccata lapſurum, ſi in illa perſeveret. Alia demùm occaſio proxima eſt evitabilis, alia verò moraliter vitari non poteſt.

Qui in ea peccandi proxima occaſione verſantur, quæ ex natura ſua quemlibet hominem in peccatum impellit, non debent abſolvi, niſi tali occaſioni renuntiaverint; tales ſunt, qui concubinam ſuo vel alieno nomine apud ſe retinent: qui ſoli cum ſola aliqua puella vel muliere in frequentia colloquia, ex quibus peccatum ortum eſt, venire non ceſſant: qui obſcœnos libros, turpesve picturas aut ſtatuas aſſervant: qui iis cœtibus, choreis, jocisve interſunt, in quibus communiter periclitatur virtus & innocentia.

Qui autem in ea ſunt peccandi occaſione, quæ non omnibus, ſed ſibi ſolis, propter ſuam infirmitatem aut pravam conſuetudinem, eſt occaſio peccandi, ii primùm probandi ſunt eo modo, quo pœnitentes, qui ex conſuetudine peccaverunt; id eſt, proponenda ſunt ipſis quædam remedia, quibus efficiatur, ut quod ipſis eſt occaſio peccandi, non ampliùs ſit peccati occaſio. *Sic pleriſque*, ait S. Carolus Borromæus in inſtruction. Confeſſ. *ſunt hodie* (occaſio peccandi) *Sæculi noſtri vitiô bellum, negotiatio, Magiſtratûs, Judicis, Advocatorum, Procuratorumque profeſſio.* Judici igitur, v. g. qui juſtitiam commendatitiis litteris venalem reddit, injungenda eſt in judiciis æquitas, quæ nulli faveat, propriaque commoda deſpiciat; nec priùs abſolvendus erit, quàm ſe emendaverit. Idem erit de diverſis aliis profeſſionibus, quæ ex ſe bonæ ſunt & licitæ. Si tamen tanta eſſet horum hominum fragilitas, ut inutiles evaderent probationes, eosque in eadem peccata relapſuros prudenter judicet Confeſſarius, niſi ſtatum ſuum & profeſſionem deſerant, non debent abſolvi, quin eisdem nuntium remiſerint: leve eſt enim, ipſo Chriſto Domino definiente Matth. 18. damnum quantumcumque grave, ubi ſalvanda eſt anima, vitandaque æterna damnatio.

Major eſt difficultas, ubi moraliter tolli non poteſt illa occaſio, v. g. Si frater ſorori &c. ſit peccati occaſio, & à ſe invicem ſeparari nequeant. In hujusmodi occaſionibus pœnitenti injungendum erit, ut nunquam ſolus cum ſola, vel ſola cum ſolo colloquatur; ut ejus aſpectum declinet; ut ab omnibus amoris impudici incentivis abſtineat; aliundè verò ſæpè ſæpiùs orationi vacet, carnis macerationibûs refrænet concupiſcentiam &c. & ſic priusquàm abſolvatur probandus, donec occaſio, quæ hactenùs proxima fuit evadat remota.

6to. Abſolutione ſunt indigni, qui 313
continuò in eadem peccata mortalia recidunt. Hi igitur ſi bis ſaltem à Confeſſario admoniti cum iisdem peccatis ſemper recurrunt, nec numerum eorum minuerunt, ſed potiùs auxerunt, neque mediis ipſis à Confeſſario præſcriptis uſi ſunt &c. niſi extraordinaria ſigna veræ contritionis exhibuerint, abſolvi non debent, ſed interim variis probationibus exerceri, quibus omnis peccati cauſa, quantùm humana ſinit fragilitas, à pœnitentibus

removeatur. Sacerdos eis consulat orationem, quæ divinam impetret gratiam; piaque præscribat opera, ea maximè, quæ extirpando vitio contraria sunt. Ipsis injungat turpitudinis peccati considerationem & meditationem, illius verò præsertim in specie, quod admisêre. Jubeat, ut saltem semel in die particulari examine conscientiam suam discutiant; & quoties ex prava consuetudine se peccasse animadverterint, pœnam gravem sibi imponant, eamque continuò expleant. Hæc & similia ubi per tempus aliquod sufficiens fideliter præstiterint pœnitentes, eosque notabiliter emendatos recognoverit Confessarius, tùm pro sua prudentia ipsis absolutionis beneficium impertiri poterit, & post alias probationes, si eas judicaverit necessarias, Sacram permittere communionem: sinceram enim morum conversionem consolidabit suscepti cum fide & pietate Dominici virtus Sacramenti.

314 7mo. Absolutio jure eis denegatur, qui in ipsa peccatorum declaratione minùs sinceri videntur, vel qui præscriptam & peccatis convenientem satisfactionem adimplere recusant; verbô, qui nulla, aut insufficientia demonstrant signa conversionis; quia in Sacramentis conficiendis non licet uti materiâ dubiâ, prout jam sæpiùs observavimus.

Iis ergo omnibus tamdiu dénegetur absolutio, usque dum sinceræ eorum conversionis moralem aliquam certitudinem consecuti sint Confessarii. Et nequidem sub conditione iis conferri debet Absolutio, v. g. *Si habeas veram voluntatem restituendi*, aut *si habeas veram contritionem, ego te absolvo &c.* licèt enim absolutio sub conditione de præsenti aut præterito collata valeat, si nempè conditio re vera subsit, est tamen illicita extra casum necessitatis, utpotè contra reverentiam Sacramenti & usum Ecclesiæ. Absolutio verò sub conditione de futuro data omninò nulla est; quia tunc intentio absolvendi & absolutio non existunt absolutè sed suspenduntur, ac proindè nihil efficiunt, cùm non sit in potestate Sacerdotis Sacramenti effectum suspendere; quia Sacramenta producunt id, quod significant, significant autem gratiam actu & præsentem dari: hinc non valet absolutio sic data, *Si restitueris, si pœnitentiam impleveris, absolvo te &c.*

Cùm autem Sacerdos pœnitenti denegandam esse absolutionem prudenter judicat, ipsi cum summa mansuetudine suas agendi rationes aperiat; exponat, nec divinæ Majestati, nec Evangelicæ disciplinæ (sunt verba S. Cypriani Ep. ad Mart. & lib. de lapsis) nec ipsius pœnitentis saluti congruere, ut gravia delicta facilè remittantur; apud Deum non solam Sacerdotum sententiam, sed etiam reorum vitam quæri, id est, emendationem; quod corporibus est Medicus, hoc animabus esse Pœnitentiæ Ministros; de manu eorum requirendas esse animas, quarum vulneribus opportuna medicamenta non apposuerint, ideo differri absolutionem, ut dignos pœnitentiæ fructus faciat peccator, sicque meliùs à peccandi consuetudine se subducat, & per vitæ reliquum faciliùs à peccatis abstineat, & in sancto proposito perseveret, &c. His aut similibus dictis medicinales ei injungat pœnas; jubeat, ut intra paucas hebdomades ad Pœnitentiæ Tribunal se sistat, pugnas suas, lapsus, & victorias ingenuè expositurus: Si eum negligentem deprehenderit, corripiat; si fragilem, consoletur; si emendatum, absolvat.

§. III.

Utrum moribundis pœnitentibus absolutionem petentibus unquam denegata fuerit, aut deneganda sit Sacramentalis à peccatis absolutio? 315

Denegatam moribundis pœnitentibus & petentibus fuisse primis Ecclesiæ Sæculis,

culis, ad finem usque persecutionum, absolutionem à peccatis contendit Morinus lib. 10. c. 1. 2. & 3. cui tamen paucissimi duntaxat hac in parte adstipulantur.

Inter moribundos alii sunt, qui præ morbi violentia inchoatam confessionem perficere non possunt; alii, qui subitò obmutescunt, nec voce possunt confiteri, sed nutu duntaxat, vel aliquo signo suum testantur, aut saltem testati sunt desiderium; alii verò, qui tanta morbi vi subitò corripiuntur, ut planè stupefacti, & omni sensu destituti, nec voce, nec ullo signo suum de peccatis dolorem significare valeant; & inter istos sunt nonnulli probatæ ac cognitæ pietatis; alii verò peccatores publici denuntiati & excommunicati; alii, qui in ipso criminis actu omnem vocis & sensûs usum amiserunt. De his omnibus & singulis quæritur, sitne ipsis concedenda Sacramentalis absolutio. Certa ab incertis hîc secernemus, & tùm demùm quoad incerta id, quod nobis probabilius videtur, proferemus. Igitur circa moribundos

316 Certum est 1mo. Absolutionem impertiendam esse ei, qui vel coram Sacerdote, vel coram aliis, ex quibus Sacerdos id rescire potest, signa doloris nutu, suspiriô, &c. dederit. Ita enim præcipit Concilium Carthaginense IV. annô 398. Can. 76. ubi, *Is*, inquit, *qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Eadem habet Concilium Arausicanum I. an. 441. Can. 12. & omnes libri Rituales. *Si Sacerdoti confitendi desiderium sive per se sive per alios ostendit, absolvendus est*, inquit Paulus V. in suo Rituali Romano de hujusmodi ægrotante.

Certum est 2do. Si quis excommunicatus aut peccator publicus, vel in ipso criminis actu, v. g. duello, ebrietate, &c. sensibus destituatur, nec ullo signo dolorem suum manifestare possit, talem absolvendum non esse; quia tales crimen suum manifestum non retractârunt per pœnitentiam, nec eorum voluntas præsumitur mutata. Undè meritò sacra Facultas Parisiensis annô 1665. contrariam opinionem declaravit falsam, temerariam, scandalosam, &c. 317

Hisce tanquam certis præsuppositis, quæstio hîc procedit 1mo. An olim aliquibus peccatoribus moribundis pœnitentiam petentibus ex rigore disciplinæ fuerit denegata absolutio? 2do. An Absolutio concedenda sit ei, qui Christianam vitam duxit, sed subitò in extremum vitæ discrimen conjectus, nullo signo dolorem manifestare potest? Sit

CONCLUSIO I. 318

Infirmis in ultimo vitæ discrimine positis & absolutionem Sacramentalem petentibus, eam prioribus Sæculis nunquam denegavit Ecclesia.

Prob. 1mo. Ex Canone 13. Concilii Oecumenici Nicæni I. cujus hæc sunt verba: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur è corpore, ultimò & maximè necessariò viaticô minimè privetur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter*, seu, ut alii vertunt, *postquam probaverit, dare debebit.* Novam legem hîc non statuunt Patres Nicæni, sed antiquam duntaxat renovant ac confirmant, & quidem generalem, quæ comprehendit pœnitentes, sive qui sani, sive qui in infirmitate duntaxat positi absolutionem & ultimum viaticum efflagitant.

319 Prob. 2do. Cæleſtinus Papa Ep. 2. ad Epiſcopos Galliæ c. 2. graviter reprehendit eorum abuſum, qui moribundis abſolutionem denegabant, ac declarat, *ſe tantam impietatem exhorreſcere, qua morienti mors additur, ejusque anima occiditur.* Porro veriſimile non eſt, tantam impietatem Eccleſiæ aliquando probatam fuiſſe. Hinc etiam Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 7. occaſione reſervationis caſuum ſic loquitur: *Piè admodùm, ne hac occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.* Non excipit Synodus tria priora Eccleſiæ Sæcula, ſed indefinitè pro omni tempore loquitur.

320 CONCLUSIO II.

Probabilius concedenda eſt abſolutio ei, qui Chriſtianè vixit, ſed ſubitò in extremis poſitus nullum doloris ſignum edere poteſt.

Prob. 1mo. Ex S. Auguſtino, qui lib. de adult. Conjug. cap. 26. ſic loquitur: *Catechumenis in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbô, ſi caſu aliquo ſic oppreſſi ſunt, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen ſibi Baptismum non poſſint, proſit eis, quod eorum in fide Chriſtiana nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Rationem reddit S. Doctor ibidem: *quia nempè incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle.* En ipſiſſimam ſententiam noſtram; eadem quippe ratio eſt de abſolutione moribundis impertienda, ac de Baptismo moribundis Catechumenis conferendo.

321 Prob. 2do. Ex Sacerdotali Romano Venetiis annô 1560. excuſo, ubi dicitur: *Talis infirmus aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis, aut non? in primo caſu, ſi benè vivebat ut bonus Fidelis, & frequentabat confeſſionem & communionem; quamvis non petierit Sacramenta . . . Sacerdos faciat abſolutionem ab omni peccato.* Item ex Statutis Synodalibus Eccleſiæ Lemovicenſis annô 1610. cap. 21. in quo hæc leguntur: *Poterit quoque idem applicari abſolutionis remedium ei, qui judiciô, omnium ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petitâ pœnitentiâ, nulloque ſigno contritionis edito.* Denique ex memoriali Confeſſariorum Bononiæ juſſu Archi-Epiſcopi Bononienſis, poſteà Papæ ſub nomine Gregorii XV. edito, in quo illa eadem habentur.

Prob. 3tio. Ratione. Quoties adeſt 322 materia dubia vel probabiliter præſumpta in moribundo ſenſuum uſu deſtituto, ſi deſit materia indubitata, hic abſolvi poteſt; nam tunc nulla infertur irreverentia Sacramento: in tali autem moribundo non deeſt ejusmodi materia, nempe contritio & confeſſio generica & confuſa ex aliquo ſigno externo præſumpta vel dubia; nam vita Chriſtianè acta eſt ſignum externum probabile vel ſaltem dubium contritionis & voluntatis confitendi nunc vel paulò ante privationem usûs ſenſuum elicitæ, & ad abſolutionem in hac neceſſitate ſufficienter directum; ſeu eſt ratio præſumendi moribundum illum re vera dediſſe in hoc morbo aliquod ſignum externum doloris in ordine ad abſolutionem, v. g. pectus tutudiſſe, oculos in cœlum ſuſtuliſſe, Deum oraſſe, &c. imò eſt etiam ratio præſumendi moribundum iſtum etiamnum contritionem & voluntatem confitendi elicere, & conari manifeſtare omnibus, quibus poteſt, externis ſignis, omnibus videlicet motibus corporis ſui. Sicut igitur Sacerdos, qui conjecturaret adeſſe panem, qui re vera adeſt, proferretque verba conſecratoria, validè conſecraret, quamvis nec viſu nec tactu panem perciperet. Ita à pari taliter infirmus ob rationabiliter præſumptam contritionem & confeſſionem confuſam ac generalem validè abſolvi poterit.

Rituale

Rituale noſtrum Argentinenſe noſtram probat ſententiam, dum in procœmio num. 4. *Si qui Fidelium*, inquit, *ſubitò obmuteſcerent, vel omni rationis uſu deſtituerentur, iis ultimo caſu correptis non negandæ Abſolutio & Extrema Unctio, modo cùm ſani eſſent, vitam duxerint homine Chriſtiano dignam.*

323 # CAPUT VI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

POteſtatem remittendi vel retinendi peccata Apoſtolis à Chriſto conceſſam fuiſſe, eamque adhuc in Eccleſia perſiſtere jam 1mo. hujus Tractatus Capite oſtendimus. Quæritur ergo hîc 1mo. Penes quem reſideat hæc poteſtas? 2do. An in Miniſtro hujus Pœnitentiæ Sacramenti præter Ordinis poteſtatem etiam jurisdictio requiratur? 3tio. An etiam approbatio Epiſcopi? 4to. Quid de caſibus reſervatis. 5to. Quid de ſigillo Miniſtri ſeu Confeſſarii dicendum? 6to. Denique de virtutibus Confeſſario neceſſariis. Quæ ſingulis paragraphis expedimus.

§. I.

324 *Penes quem reſideat poteſtas remittendi vel retinendi peccata?*

Waldenſes, teſte Reinero lib. 5. ſentiebant, Laicum probum, non verò improbum Sacerdotem habere poteſtatem abſolvendi.

Wiclefus eundem errorem amplexus eſt. Indè eſt, quòd Martinus Papa V. voluerit eos, qui erroris Wiclefi erant ſuſpecti, interrogari, num crederent, *quòd Chriſtianus, habitâ copiâ Sacerdotis idonei, teneatur de neceſſitate ſalutis confiteri Sacerdoti, & non Laico, ſeu Laicis quantumcumque bonis & devotis.*

Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 23. exiſtimat, olim Diaconis conceſſum fuiſſe & audire pœnitentes confitentes, & eos Sacramentaliter abſolvere, dum vel urgebat neceſſitas, vel nullus aderat Epiſcopus aut Sacerdos. Sit

CONCLUSIO. 325

Solis Epiſcopis & Sacerdotibus, non verò Diaconis, nec Laicis data eſt à Chriſto poteſtas abſolvendi à peccatis.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Joan. 20. Chriſtus non alios alloquitur quàm Apoſtolos, cùm ait: *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Ergo ſoli Apoſtoli, & eorum ſucceſſores Epiſcopi & Sacerdotes acceperunt à Chriſto poteſtatem dimittendi peccata. Et, prout Tridentina Synodus Seſſ. 14. c. 1. teſtatur, *ita univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.*

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 2. *Jus hoc remittendi peccata*, inquit, *ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus.* S. Leo Epiſt. 82. aliàs 91. cap. 2. ait divinitùs eſſe ordinatum, *ut indulgentia Dei nonniſi ſupplicationibus Sacerdotum obtineri poſſit. &c. &c.*

Prob. 3tio. Ex Ratione convenientiæ. Conveniens quippè fuit, ut illi ſoli poteſtatem haberent in corpus Chriſti myſticum, ſeu Fideles, ut eos in foro poli, ut ajunt, judicent; qui ſoli habent poteſtatem in verum Chriſti corpus, ſcilicet Sacerdotes.

Meritò igitur Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Can. 10. ſic definit: *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſolvendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros Abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Fidelibus eſſe dictum, Quorum remiſeritis peccata, &c. anathema ſit.*

Solvun-

326 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Jacobi 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergo omnes Fideles habent potestatem dimittendi peccata.

Resp. neg. conf. Nam vel hic textus intelligitur de confessione Sacramentali, & tunc sensus est, confessionem faciendam esse non soli Deo, sed hominibus ad hoc ab ipso deputatis & potestate absolvendi instructis: vel si intelligitur de confessione non Sacramentali, sensus est, confessionem prudenter fieri aliis ad sui humiliationem aut ad poscendum consilium, &c.

327 Ob. 2do. S. Cyprianus Ep. 12. permittit Diaconis, absente Presbytero, etiam absolvere; permittit enim ipsis *Exomologesim seu confessionem excipere, manus imponere, pacem & communionem impertiri.* Ergo saltem Diaconis data est potestas absolvendi.

Resp. Dist. ant. Permittit Diaconis absolvere pœnitentes à pœnis canonicis, eosque communióni Ecclesiæ restituere, conc. Absolvere à peccatis & Sacramentaliter, neg. ant. & conf. Nec refert, quòd juxta S. Cyprianum Diaconis etiam permittatur *Exomologesim* facere; *Exomologesis* quippe nomine non raró integra pœnitentia & actio illa solemnis, qua pœnitentes dimittebantur à stadio pœnitentiæ & Ecclesiæ reconciliabantur, intelligitur, prout in proœmio hujus Tractatus jam observavimus; & hoc sensu usurpatam Exomologesim Diaconis permittit laudatus S. Doctor.

328 Ob. 3tio. Cap. *Fures.* de furtis, dicitur de furibus, *Si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Ergo Diaconi etiam potestatem habent absolvendi.

Resp. neg. conf. Nam Canon iste est mendosus; non enim legi debet *Presbytero vel Diacono*, sed *Presbytero & Deo*, sicut legitur in Can. 31. Concilii Triburiensis, ex quo Capitulum istud *Fures* desumptum fuisse notatur.

Ob. 4to. Concilium Eboracense annô 329
1194. *Decrevimus*, inquit, *ut nonnisi summa urgente necessitate Diaconus baptizet, vel pœnitentiam confitenti imponat.* Ergo &c.

Resp. neg. conf. Nam Concilium istud concedit quidem Diaconis, ut in extrema necessitate confessiones excipiant, & imponant pœnitentiam, at jus absolvendi minimè concedit; imò Odo Episcopus Parisiensis ejusdem temporis Auctor jus illud ipsis competere omninò negat, licèt eis in tali necessitate confessiones audire permittat; valent quippè ad humiliationem confitentium, ad significandum desiderium Sacramenti, & ad manifestandum fervorem contritionis, quamvis non valeant ad Sacramentalem absolutionem. Et hoc sensu dicit S. Thomas in 4. Dist. 17. q. 3. a. 2. ad 2. etiam Laico fieri posse confessionem. Adde Concilium istud Eboracense particulare fuisse, atque, etsi intelligeretur hoc suô Decretô Diaconis potestatem absolvendi etiam tribuisse, in errore hac in parte fuisse, nec proinde universalis Ecclesiæ praxi & doctrinæ præjudicium aliquod afferre potuisse.

Ob. 5to. Simplex Sacerdos potest esse 330
Minister extraordinarius Sacramenti Confirmationis. Ergo etiam Diaconus Sacramenti Pœnitentiæ.

Resp. neg. conf. Nam in hujusmodi rebus, quæ pendent à libera voluntate Christi instituentis paritas ab uno ad alterum ducta non valet. Ratio autem disparitatis hæc afferri potest; quia character Sacerdotalis jam inchoatam potestatem Episcopatûs continet, non verò character Diaconi sic potestatem Presbyteratûs continet.

§. II.

§. II.

331 *An in Ministro præter Ordinis potestatem etiam requiratur jurisdictio?*

Potestas *Ordinis* ea est, quæ confertur per ordinationem Presbyteri his verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Potestas *jurisdictionis* verò est potestas regendi & gubernandi plebem subjectam; seu, prout hîc sumitur, est potestas ligandi, solvendi, &c. in Tribunali pœnitentiæ. Duplex distinguitur, una *ordinaria*, quæ iis omnibus competit, quibus ex officio aut titulo Beneficii incumbit cura animarum: altera *delegata*, quæ ex commissione habetur. Utraque à potestate Ordinis distinguenda est. Priorem habent, servatis Canonum regulis, Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopi in propriis Diœcesibus, Prælati seu Abbates exempti in suis territoriis, Religionum Abbates, Ministri Generales, & Provinciales erga Religiosos sibi subditos, ac tandem Parochi in suos parochianos.

Jurisdictionem delegatam obtinent alii Sacerdotes Sæculares Regularesve ab eo, qui ordinariam habet; & acquiritur per tacitam vel expressam concessionem. Ad consensum tacitum verò requiritur scientia ejus, quod agitur; undè non est tacita concessio sine notitia Prælati.

Jurisdictio *ordinaria*, amittitur, cùm quis officium aut titulum Beneficii, cui annexa est cura animarum, deserit, aut eo destituitur.

Jurisdictio *delegata* cessat, cùm vel data revocatur, vel expletum est tempus in ea definitum; non verò expirat morte concedentis seu delegantis; nam delegatio est gratia facta Confessario, gratia autem morte concedentis non extinguitur; nam gratia seu beneficium Superioris *debet esse mansurum* juxta reg. 16. in 6.

Qui habet jurisdictionem delegatam non potest eam subdelegare, nisi hoc ei specialiter concessum sit; quo casu non suo, sed Delegantis nomine censetur subdelegare. Ratio est, quia Delegatus eam solam potestatem habet, quæ ei conceditur. Atqui ei conceditur solùm quoad suam personam potestas exercendi suam jurisdictionem, non item alteri eam committendi. Excipitur tamen 1mo. Legatus Papæ, qui propter excellentiam Delegantis subdelegare potest, ex Cap. 62. *De appellat.* 2do. Is, qui ab Ordinario delegatus est ad exercendum vicarium aliquod officium, cui jurisdictio annexa est, v. g. officium Parochi absentis aut ægroti; quia tunc is habet jurisdictionem annexam officio quasi ordinariam. His præmissis fit

CONCLUSIO. 332

Ad Sacramentum Pœnitentiæ validè administrandum præter potestatem Ordinis Sacerdotalis requiritur jurisdictio vel ordinaria vel delegata.

Prob. 1mo. Ex Concilio Lateranensi IV. Can. 21. *Si quis*, ait ibi, *alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipse illum non possit absolvere aut ligare.* Item ex Tridentino Sess. 14. c. 7. ubi, *Quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Prob. 2do. Ex iis omnibus momentis, 333 quibus Cap. 1. probavimus Sacramentum Pœnitentiæ esse à Christo institutum in ratione judicii reconciliativi. Atqui ad judicii valorem essentialiter requiritur jurisdictio in Judice, & subjectio in reo, &c.

Hic tamen benè animadvertendum eſt, Eccleſiam aliquando ſupplere defectum jurisdictionis in Sacerdote; modò hæc duo adſint: 1mo. *Titulus coloratus*, hoc eſt, titulus habens ſpeciem veri tituli, cùm tamen re ipſa nullus ſit; qualis eſt collatio Beneficii parochialis, ſed invalida, propter occultum aliquem defectum, v. g. propter occultam Simoniam. 2do. *Error communis*, ita ut communiter ac publicè quis exiſtimetur habere verum titulum & jurisdictionem: ſi enim ex errore unius alteriusve tantùm putaretur Sacerdos habere jurisdictionem, quam tamen non habet, invalida eſſet abſolutio.

Eccleſia autem ſupplet illum occultum defectum concedendo extraordinariè hujusmodi Sacerdoti jurisdictionem tranſeunter pro ſingulis actibus; eò quòd bonum commune id exigat ad impedienda multa gravia damna, & ſcandala, quæ ex invaliditate actuum orirentur. Arg. leg. *Barbarius* ff. de Offic. Prælat.

Diximus ſuperiùs, *Modò hæc duo adſint*, ſcilicet *titulus coloratus*, & *communis error*: nam an communis error ſine omni titulo ſe ſolo ſufficiat, controvertitur inter Doctores. Cæterùm ſermo ſemper eſt de Sacerdote; nam ſi non Sacerdos ſe fingeret Parochum, aut communi errore putaretur Parochus, vel habens jurisdictionem, nihil pœnitentem communis error juvabit.

334 ## *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Quilibet Presbyter in ſua inauguratione accipit poteſtatem dimittendi peccata; non enim fruſtrà Epiſcopus ei manus imponens dicit: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis.* Ergo vel poteſtas jurisdictionis non eſt quid diſtinctum à poteſtate ordinis, vel ſimul cum ea in Ordinatione confertur, adeoque &c.

Reſp. Diſt. ant. Accipit poteſtatem incompletam & inchoatam, conced. Completam & perfectam, neg. ant. Neque enim cenſetur illa poteſtas ultimò completa, niſi accedente jurisdictione, & aſſignatis ab Eccleſia ſubditis, in quos illa poſſit exerceri; eo ferè modo, quo quis à Rege Judex inſtitutus, nondum tamen ipſi aſſignatis ſubditis, quorum lites dirimat, ſed Provinciæ Gubernatori hanc ei ſubditos hujusmodi aſſignandi curam demandaret; profectò Judex ille accepiſſet à Rege poteſtatem judicandi inchoatam duntaxat, quæ completa non evaderet, niſi cùm Provinciæ Gubernator ſubditos ipſi deſignaſſet.

Inſt. 1mo. Poteſtas remittendi peccata, quam Sacerdotes accipiunt in Ordinatione eſt inutilis, ſi jurisdictio non ſimul conferatur; nec enim ſine jurisdictione poteſtas ejusmodi ad actum reduci poterit. Ergo &c. 33

Reſp. Neg. ant. ad ejus prob. dicimus, quamvis illa poteſtas, ſi ſola remaneat, ad actum reduci non poſſit, poteſt tamen, ubi jurisdictio acceſſerit: per jurisdictionem enim ſubditi aſſignantur, in quos poteſtas dimittendi peccata exerceatur.

Inſt. 2do. Eam Sacerdotes in ordinatione ſua abſolvendi poteſtatem accipiunt, quam acceperunt ipſi Apoſtoli. Atqui Apoſtoli vi verborum Chriſti: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis &c.* abſque ulla ulteriori jurisdictione perfectam habuerunt poteſtatem abſolvendi à peccatis. Ergo &c. 3

Reſp. Neg. min. Nam ſpeciali miſſione opus habuêre Apoſtoli, quam re vera acceperunt his verbis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* En poteſtas jurisdictionis. Ergo præter poteſtatem Ordinis his verbis comprehenſam *Quorum remiſeritis &c.* indigent Sacerdotes Miſſione, hoc eſt, jurisdictione. Et verò ſanè non ſatis quoad omnia videtur accurata paritas

ritas Apostolorum cum aliis omnibus Sacerdotibus.

337 Inst. 3tio. Ex nostra sententia sequeretur, Sacerdotes ab Ecclesia suam habere absolvendi potestatem, non verò à Christo. Atqui hoc est absurdum. Ergo &c.

Resp. neg. seq. maj. Sequitur enim duntaxat, Ecclesiam assignare subditos iis, qui à Christo derivatam habent absolvendi auctoritatem, quæ accedente jurisdictione completur & perficitur in ordine ad usum seu exercitium acceptæ potestatis, eo fermè modo, quo in exemplo primùm adducto Provinciæ Gubernator non confert Judici auctoritatem judicandi, quam à Rege acceptam habere supponitur; sed ipsi certos assignat subditos, in quos potestatem illam hîc & nunc valet exercere.

338 Ob. 2do. Sacerdotes falsò dicuntur accipere ab Ecclesia jurisdictionem. Ergo &c. Prob. ant. Si ab Ecclesia jurisdictionem acciperent, Summus Pontifex absolvi non posset; nam non potest dare alteri jurisdictionem in se ipsum, cùm sit jure divino Caput Ecclesiæ. Absurdum consequens. Ergo &c.

Resp. neg. seq. maj. Nam Summus Pontifex aliquem Sacerdotem eligendo in Confessarium, hoc ipso ei dat jurisdictionem in se ipsum in foro interno, & ut peccator tali jurisdictioni subjicitur: nam potestati absolvendi in foro interno, quæ divina est, omnes omninò baptizati mortaliter lapsi subjiciuntur.

339 Ob. 3tio. Sine potestate jurisdictionis potest Sacerdos absolvere eum, qui venialia duntaxat confitetur. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Contrarium enim declaravit Innocentius XI. in Decreto an. 1679. edito his verbis: *Non permittant,* Episcopi, *ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Si Confessarii quicumque secùs egerint, sciant Deo rationem reddituros esse.*

§. III.

An præter Ordinis potestatem & jurisdictionem requiratur approbatio in Confessario tam Regulari quàm Sæculari non habente Beneficium curatum ut validè absolvat? 340

Approbatio est judicium authenticum de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones factum ab Episcopo aut habente potestatem Episcopalem.

Quamvis inter approbationem & jurisdictionem istud occurrat discrimen, quòd scilicet *approbatio* consistat in actu intellectûs, quo Superior judicat, hunc Sacerdotem esse idoneum ad excipiendas confessiones: *jurisdictio* autem in actu voluntatis, quo idem Superior, Episcopus videlicet, vult actu conferre potestatem absolvendi Fideles Sacramentaliter confessos; nunc tamen jurisdictio & approbatio indiscriminatim sumi solent, ita ut Episcopus eo ipso jurisdictionem conferre dicatur, quo approbat &c.

Antehac ad valorem absolutionis sufficiebat jurisdictio delegata concessa à quolibet Ordinariam habente, putà à Parocho non contradicente Episcopo. His positis sit

CONCLUSIO. 341

Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ præter potestatem Ordinis & jurisdictionis, requiritur in Confessario tùm Regulari tùm Sæculari non habente Beneficium Parochiale, approbatio Episcopi.

Prob. Ex Concilio Tridentino Sess. 23. de Reform. cap. 15. ubi hæc habentur: *Decernit sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ*

gratis detur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.

342 Circa hocce Decretum sequentia nobis veniunt observanda. 1mo. Nullus Parochus potest ullum Sacerdotem delegare ad excipiendas confessiones suorum Parochianorum, nisi fuerit ab Episcopo approbatus.

343 2do. Decretum hoc non spectat habentes Beneficium, cui cura animarum est annexa; quia censentur eo ipso approbati, quo Episcopus ipsis ejusmodi Beneficium contulit. Iidem tamen Parochi vi solius Parochialis muneris jus non habent alios, qui proprii parochiani non sunt, absolvendi. Usus tamen est in Diœcesi nostra Argentinensi, ut, nisi aliud jubeat Episcopus, possint in sua Ecclesia illorum quoque confessiones audire, qui sui parochiani non sunt, necnon alios in tota Diœcesi Parochos, modò illi consenserint, ex charitate fraternitatis in ministerio adjuvare. Si tamen Parochus Beneficium suum dimisit, jam indiget Episcopi approbatione ad validè audiendas confessiones in eadem parochia, quia tunc nullam ampliùs ex officio jurisdictionem habet; & Concilium Tridentinum loc. cit decernit, ut Sacerdotes approbatione indigeant, nisi parochiale Beneficium obtineant.

344 3tio. Decretum istud restringitur ad confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum, non verò Religiosorum. Quare ad audiendas confessiones Religiosorum non requiritur approbatio Episcopi, sed illi possunt iisdem confiteri, quibus ante Tridentinum per sua statuta vel vi juris communis poterant confiteri; cùm Tridentinum circa illos nihil innovet. Hodie tamen ex Constitutione Gregorii XV. quæ incipit *Inscrutabili*. Et Constitutione septima Clementis X. ad audiendas confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum requiritur approbatio Episcopi Diœcesani.

4to. Ut hæc approbatio obtineatur, 345 non sufficit, ut eam Sacerdos ab Episcopo expetierit; sed requiritur ut eidem expressè scriptô, aut saltem verbô concedatur. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

5to. Requiritur approbatio Episcopi 346 loci, in quo audiuntur confessiones, ita ut approbatus in una Diœcesi non possit in alia audire confessiones sine approbatione Episcopi Diœcesani. Constat ex Ecclesiæ praxi, quæ est optima legum interpres; & ratio est, quia approbatio est actus auctoritatis & jurisdictionis. Atqui actus talis non excedit sphæram jurisdictionis, nec proinde limites Diœcesis; nulla enim Episcopi unius in alterius Diœcesim auctoritas & jurisdictio.

6to. Non sufficit approbatio sub rati- 347 habitione futura præsumpta seu interpretativa; quia ex Tridentino ad valorem absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ datæ seu dandæ à Sacerdote requiritur approbatio actu & absolutè existens, & jam obtenta, ad quam requiritur consensus actualis Episcopi seu Ordinarii signo aliquo declaratus. Et verò Approbatio requiritur ad substantiam absolutionis; nulla autem res existit, nisi actu existant omnia, quæ ad ejus substantiam pertinent.

7mo. Approbatio probabilis tantùm 348 (ut quæ probabiliter tantùm habetur) non sufficit ad licitè absolvendum, sed requiritur certa; quia extra casum extremæ necessitatis non licet administrare Sacramentum cum opinione tantùm probabili circa ea, quæ ad ejus valorem requiruntur; alioqui Sacramentũ sine necessitate exponeretur periculo nullitatis,

quod

quod est grave Sacrilegium. Imò Approbatio probabilis tantùm neque sufficit ad validè absolvendum, si re ipsa non existat; nam tunc deest aliquid ad valorem absolutionis requisitum; nec tunc Ecclesia supplet hunc defectum, sed solùm dum adest titulus coloratus & error communis, ut suprà diximus.

349 8vo. Parochus potest subditum absolvere in aliena Diœcesi, in qua non est approbatus, modò id fiat absque scandalo; quia habet ordinariam in proprium subditum jurisdictionem ab approbatione non pendentem: jurisdictio autem in foro Pœnitentiæ, cùm sit voluntaria, non contentiosa, nec requirat strepitum fori, exerceri potest extra proprium territorium. Regularis verò aut Sæcularis Sacerdos approbatus in una Diœcesi non potest validè absolvere in alia Diœcesi subditum Diœcesis, in qua ipse est approbatus, ex Constitutione Clementis X. quæ incipit *Superna*. Et ratio est, quia jurisdictio delegata pendet in sui exercitio ab approbatione Episcopi loci, in quo audiuntur confessiones.

350 9no. Ad audiendas confessiones Monialium requiritur specialis approbatio Episcopi, ex citata Constit. Clementis X. Et qui approbatus est pro uno earum conventu, non censetur approbatus pro alio. Pariter qui una vice Confessarius, ut ajunt, extraordinarius ad illas missus est, non potest absque nova missione earum confessiones alia vice extraordinariè vel ordinariè excipere.

351 10mo. Non debent Sacerdotes Sæculares Regularesve aliàs approbati, nisi in ipsa Parochia sint Vicarii, inconsultô Parochô, ægrotorum audire confessiones: hanc tamen licentiam facilè concedant Pastores, nisi eam denegandi gravis intercedat causa. Quòd si Sacerdos aliquis ante confessionem Parochum invisere ex æquo non posset, seu quia nocte ad ægrotum vocatus fuisset, seu quia Parochus ejusque Vicarius domo absentes essent, alterutrum post ægroti confessionem auditam &c. adeat.

11mo. Quilibet Sacerdos in mortis articulo potest quemlibet pœnitentem; in eo enim casu necessariam jurisdictionem cuilibet Sacerdoti concedit Ecclesia. 352

12mo. Episcopus potest validè limitare approbationem quoad tempus, locum, & personas. Constat ex praxi Ecclesiæ, & oppositam opinionem damnavit Alexander VII. Imò Episcopus potest approbationem semel datam etiam sine justa causa revocare; quia Approbatio ex natura sua est revocabilis, & talis revocatio nullo jure irritatur: deinde approbatio potuit ab initio absque causa validè negari; ergo semel data potest etiam absque causa validè auferri. 353

13tio. Ecclesia optimo jure potuit inducere necessitatem hujus approbationis, cujus defectu invalidum redderet Sacramentum; nam cùm jurisdictio ad valorem Sacramenti necessaria conferatur ab Ecclesia, & ab illa pendeat, potuit ipsa varias conditiones apponere ut necessarias ad jurisdictionem accipiendam & validè exercendam. Ergo inter has conditiones potuit apponere approbationem maximè utilem, ne in administrationem Sacramenti Pœnitentiæ irruerent Ministri minùs idonei. 354

14to. Hujusmodi Approbatio gratis dari & concedi debet ab Episcopo seu Ordinario; *gratis detur*, inquit laudatum Concilium Tridentinum. Ratio est, quia secus Simoniam redoleret hæc approbatio. Unde non videmus, qua ratione in aliquibus Diœcesibus Regulares Parochias administrantes pro hujusmodi approbationibus quotannis, quibus denuò confirmantur & prorogantur, pecunias Ordinario solvere cogantur. 355

§. IV.

356 *De Casibus Reservatis.*

Peccatorum seu casuum reservatio est subtractio potestatis absolvendi à certis peccatis, salva potestate absolvendi ab aliis. Extare in Ecclesia potestatem reservandi aliquos casus, nisi in foro exteriore, seu externâ, ut ajunt, politiâ, negant Acatholici. Eos propterea damnat Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 11. his verbis: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam, atque idèò casuum reservationem non prohibere, quò minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.*

Magnopere autem, inquit idem Concilium cit. Sess. c. 7. *ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur.* Hac enim reservatione efficitur, ut cognita talium facinorum gravitate, ea Fideles præ timore & pudore diligentiùs præcaveant ac devitent; vel si illa admiserint, condigniorem de iis agant pœnitentiam.

Praxim hanc à primis Ecclesiæ Sæculis traxerunt Episcopi; His enim antiquitùs reservata erat publicè pœnitentium reconciliatio; nec à peccatis pœnitentiæ publicæ subjectis absolvere poterant secundi Ordinis Sacerdotes, nisi absente Episcopo, vel de ejus licentia, aut instante mortis periculo. Cùm autem publica pœnitentia in desuetudinem abiisset, Episcopi nihilominùs quorumdam criminum cognitionem sibi reservârunt, & Sacerdotibus facultatem ab hujusmodi sibi reservatis criminibus seu peccatis absolvendi raró, nec sine delectu, communicârunt.

357 Porro circa casuum reservationem notandum venit 1mo. Ad eos spectat reservare peccata, ad quos spectat conferre jurisdictionem. Itaque potestas reservandi sibi peccata habent Summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ; Episcopus respectu suæ Diœcesis; Superiores Regulares respectu suorum subditorum.

2do. Ut peccatum sit verè reservatum quatuor requiruntur: 1mo. Ut sit *mortale*, & quidem sufficienti rationis advertentiâ admissum; nam venialia inutiliter reservarentur, cùm non sint materia necessaria confessionis; peccatum autem ex se & natura sua mortale, si non cum sufficienti rationis advertentia admissum sit, veniale duntaxat reputatur: illudque mortale debet certò constare; nam in dubio probabili, num peccatum aliquod sit lethale necne, reservatum censeri non debet; secùs verò, si de peccato certo commisso quis dubitaret, an reservatum sit necne, tunc pro reservato haberi debet. 2do. Ut sit *externum*; quia Ecclesia, cùm non judicet de internis, non reservat, nec censuris percellit peccata, quæ ex corde non exeunt, putà Hæresim sola mente conceptam. Necesse tamen non est, ut actus exterior in alicujus notitiam venerit; reservatio enim & censuræ cadere possunt in actus exteriores etiam occultissimos. Porro ut peccatum externum censeatur reservatum non sufficit, quòd habeat mortalem malitiam ex actu interno, sed insuper requiritur, ut ipsa actio externa habeat malitiæ gravitatem; nam reservatio præcipuè cadit in actum malum externum. Hinc si furtum in loco sacro reservatum esset, & aliquis tantùm quid leve haud sufficiens ad mortale surripuisset in eo, ex voluntate aliquid notabile surripiendi, si occurrisset, tale furtum, etsi mortale, non esset reservatum. 3tio. Ut peccatum sit *opere completum*, nisi aliter in statuto expressum fuerit; quia reservatio, cùm sit quid odiosum seu onerosum, est strictæ inter-

interpretationis. Hinc reſervatô homicidiô, vel inceſtu, nomine homicidii non intelliguntur vulnera inflicta animô occidendi, niſi mors ſequatur ex illis; nec nomine inceſtûs actus propudioſi & infandi contra caſtitatem, ſed ipſamet carnalis copula ad prolis generationem apta & ſufficiens. Diximus, *niſi aliter in ſtatuto expreſſum fuerit.* Nam Superiores nonnunquam expreſsè ſibi reſervant etiam actus non conſummatos: ſic procuratio abortûs, etiamſi hic non ſequatur, expreſsè reſervatur. 4to. Ut peccatum ſit à pubere commiſſum: cùm enim ætatis & ingenii imbecillitas ex parte impuberes excuſet, eorum peccata inter caſus reſervatos non comprehenduntur. Hinc in pueris ante annum ætatis decimum quartum, & in puellis ante annum duodecimum (quod intelligitur de annis completis) nullum peccatum reſervatur. Cæterùm, prout jam primùm annotavimus, peccatum cenſetur reſervatum, etiamſi peccator reſervatum ignoraverit; quia gravitas peccati eſt cauſa ſufficiens reſervandi ejus abſolutionem, nec requiritur contumacia in peccante, quemadmodum requiritur ad incurrendam cenſuram.

359 3tio. Jurisdictione ordinaria à caſibus, quos ſibi reſervavit Epiſcopus, abſolvere poteſt Vicarius ejus Generalis, & Pœnitentiarius; delegatâ verò quilibet Sacerdos ab ipſis ſpecialiter deputatus.

360 4to. In articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris reſervatis. *Piè admodùm,* ait Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 7. *ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo*, id eſt, in gravi ac morali periculo *mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* Ex quibus Tridentini Concilii verbis eruitur 1mo. Omnes Sacerdotes approbatos tunc æquè poſſe ab omnibus mortalibus abſolvere, & ſic, per ſe loquendo, quoad valorem abſolutionis nullum inter eos ordinem eſſe ſervandum; quia *in articulo mortis nulla eſt reſervatio.* Eruitur 2do. Quemlibet Sacerdotem etiam non approbatum, excommunicatum ſaltem toleratum, imò, ut multi docent, etiam excommunicatum non toleratum, Hæreticum aut Schismaticum, in defectum alterius, poſſe validè abſolvere moribundum; quia Tridentinum dicit, *omnes Sacerdotes abſolvere poſſe*, nec ullum excipit.

5to. Epiſcopi abſolvere poſſunt à peccatis & cenſuris Summo Pontifici reſervatis ſubditos ſuos, qui de jure Romam ire non tenentur, ut ſunt Moniales; fœminæ; illi, qui labore manuum tenentur alere familiam ſuam; ii denique, qui hoc iter agere nequeunt absque periculo vitæ, libertatis, fortunarum amiſſionis; aut ob aliud legitimum impedimentum; ex Cap. 6. de Sent. Excom. Id ipſum Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum duntaxat ſubditorum, in quos poſſident jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, variis SS. Pontificum indultis permiſſum eſſe oſtendit Suarez. Iidem Epiſcopi vi Concilii Tridentini Seſſ. 14. c. 6. poſſunt ſubditos ſuos in foro conſcientiæ abſolvere ab omnibus peccatis Papæ reſervatis occultis, nec ad forum contentioſum deductis. 361

6to. Absque licentia Epiſcopi à caſibus eidem reſervatis abſolvere non poſſunt Sacerdotes aliàs approbati ſive Sæculares, ſive Regulares; horum (Regularium ſcilicet) privilegia namque à Concilio Tridentino & multis ſubindè Pontificibus, ut Gregorio XIII. an. 1577. Clemente VIII. annô 1601. Urbano VIII. annô 1628. Alexandro VII. annô 1659. Clemente X. in Conſtitutione, quæ incipit, *Superna.* revocata ſunt. Ex ſpeciali autem Epiſcopi noſtri privilegio, in Diœceſi noſtra poteſt quilibet Sacerdos aliàs approbatus abſolvere à quolibet caſu 362

Epi-

Episcopo reservato & censura 1mo. Eos, quos gravis morbus lecto affixit. 2do. Eos, qui proximè Matrimoniô sunt jungendi. 3tio. Mulieres prægnantes partui proximas. 4to. denique eos, qui pro prima vice sacram Communionem debent percipere.

363 7mo. Sacerdotes, qui à casibus reservatis absolvendi facultatem non habent, non possunt pœnitentes, qui inter alia peccata non reservata quædam reservata sibi confitentur, à non reservatis absolvere, & deinde eos pro absolutione à reservatis ad Superiorem seu eum, qui à reservatis absolvendi potestatem habet, remittere; tùm quia ita fert praxis hodierna Ecclesiæ; tùm quia confessio Sacramentalis jure divino debet esse integra. Similiter qui facultatem habent absolvendi à casibus reservatis, sed non à censuris reservatis, nec à reservatis, nec à à non reservatis absolvere possunt pœnitentes, quando in illorum confessione occurrit peccatum aliquod, quod annexam habet censuram excommunicationis reservatam; quia absolutio ab excommunicatione semper præcedere debet absolutionem à peccatis. Excipiunt aliqui circumstantias, in quibus pœnitens non potest sine sua infamia & aliorum scandalo ad Superiorē remitti; tunc, inquiunt, potest Sacerdos aliàs approbatus, etsi à casibus reservatis absolvendi facultate carens, nihilominùs indirectè saltē à reservatis, & directè à non reservatis talem pœnitentē absolvere, cum onere tamen adeundi Superiorem aut Delegatum facultatem habentem absolvendi à reservatis: nec enim sine fundamento præsumitur Superiorem non tantùm excepturum fuisse, si prævidisset, sed re vera excepisse hunc necessitatis articulum, qui non est ita extraordinarius: potestas enim reservandi casus concessa est in ædificationem & utilitatem Fidelium. Superior quoque non potest audire sola reservata, & ab illis pœnitentem absolvere, atque deinde eum remittere ad alium, à quo à non reservatis absolvatur; quia omnium mortalium confessio est jure divino præcepta. Quòd si ei non vacet omnia audire, potest, auditis solis reservatis, pœnitentem remittere ad inferiorem Sacerdotem de omnibus ab eo absolvendum: quo casu propriè loquendo non absolvit, sed tantùm tollit reservationem.

8vo. Non pauci affirmant, quòd, si quis confessus habenti jurisdictionem in reservata ex oblivione omiserit aliquod peccatum reservatum, hoc ipso peccati obliti reservatio sublata sit, adeoque possit posteà de illo directè absolvi à Confessario non habente potestatē in reservata; quia Confessarius censetur velle pœnitentē benè dispositum absolvere ab omni vinculo & gravamine, à quo potest illum liberare. Quia tamen id videtur incertum, saltem quando pœnitens non significat se ad eum accedere, ut à reservatis absolvatur, ideò in praxi recurrendum est ad Superiorem pro habenda absolutione ab illo peccato reservato per oblivionem omisso, si posteà memoriæ occurrat; videturque id exigere finis reservationis, qui est, ut conveniens medicina & satisfactio à Superiore vel ejus Delegato pro tali peccato imponatur. Excipe si tempore Jubilæi omnia præstitisset, quæ ad illud consequendum præscribuntur; nam tunc Papa Jubilæi gratiâ tollit omnem reservationem respectu illorum, qui volunt illud lucrari. 364

9no. Absolutio vel virtute Jubilæi vel auctoritate Superioris aut ejus Delegati data non tollit reservationem, si fuerit irrita defectu dispositionis in pœnitente; nec opposita sententia satis firmô nititur fundamentô. De Absolutione in cassum data virtute Jubilæi patet; quia ejusmodi Indulgentia non conceditur nisi verè pœnitentibus. De alia verò probatur; nam Superior ordinarius absolvendo intra Sacramentum non intendit absolvere à reservatis nisi per absolutionem Sacramentalem, quæ, cùm defectu disposi- 365

ſpoſitionis in pœnitente nulla ſit, nihil quoque efficit: de Delegato adhuc certius eſt, quia Delegatus reſervationem auferre nequit niſi intra Sacramentum, ac proindè per ſolam abſolutiõnem validam.

366 10mo. Quando alicui generatim à Summo Pontifice conceditur facultas abſolvendi à caſibus ipſi reſervatis, illa etiam ad cenſuras iisdem annexas extenditur, cùm nullus ſit caſus ipſi reſervatus, qui non habeat annexam cenſuram. Circa caſus verò, quos Epiſcopi ſibi reſervant, & quorum plures cenſuram non habent annexam, ſaltem in hac noſtra Argentinenſi Diœceſi, quando alicui conceditur poteſtas ab iis abſolvendi, is inde inferre non debet, ſe poſſe abſolvere à cenſuris reſervatis, niſi ab iis, quæ prædictis ab Epiſcopo reſervatis caſibus à jure annexæ ſunt. Idem quando alicui præter poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis inſuper tribuitur poteſtas abſolvendi à cenſuris reſervatis in genere, is pariter indè arguere non debet, ſe poſſe abſolvere ab hæreſi, aut à cenſuris latis ab homine, ſeu per ſententiam inflictis, aut vota commutare, aut in irregularitatibus diſpenſare, &c. Hæc omnia enim ſpecialem Epiſcopi conſenſum requirunt.

367 11mo. Si aliquis Confeſſarius, quod Deus avertat, cum pœnitente contra caſtitatem quoquo modo peccaret exteriùs, tunc, etiamſi pro caſibus reſervatis approbatus eſſet, vel impoſterùm approbandus foret, non poterit ab illo peccato complicem abſolvere validè, niſi in articulo mortis, & ne tunc quidem licitè, ſi alius Sacerdos reperiatur. Ita ſpecialiter Rituale noſtrum Argentinenſe de Pœnit. tit. 5. de caſibus reſerv. p. 133.

368 12mo. Si nulla cenſura caſibus reſervatis ſit annexa, una eſt omnium ſententia eum, qui in articulo mortis, id eſt, in gravi infirmitate, ex qua imminet periculum mortis, ab illis per Sacerdotem pro reſervatis non approbatum abſolutus fuiſſet, ſi poſteà convaluerit, non teneri adire Superiorem; quia in articulo mortis nulla eſt caſuum reſervatio. Qui autem ſic in extremis abſolutus eſt à cenſuris reſervatis, ſi ſanitatem recuperet, & Superiori, à quo aliàs eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cùm primùm poterit id faciat, quidquid debet, præſtiturus.

Præſtat hìc ex Rituali noſtro Argentinenſi attexere catalogum caſuum tùm Summo Pontifici, tùm Argentinenſi Epiſcopo noſtro reſervatorum. Priùs tamen notandum, quòd hìc non omnes caſus Summo Pontifici reſervatos adſcribamus, ſed illos tantùm, qui in his regionibus frequentiùs accidere poſſunt. 370

Caſus Reſervati Summo Pontifici, qui omnes annexam habent Cenſuram. 371

I. Exuſtio Templorum, necnon domorum prophanarum procurata, dùm incendiarius eſt publicè denuntiatus.

II. Effractio & ſpoliatio ſacrarum Ædium, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, poſt Effractorum & Spoliatorum publicam denuntiationem.

III. Simonia realis in Ordinibus & Beneficiis, & Confidentia, dummodò ſit publica.

IV. Occiſio, mutilatio, vel atrox percuſſio Clerici vel Religioſi Clericali vel Religionis habitu induti.

V. Percuſſio, etiam non atrox, Epiſcopi ſeu alterius Prælati, id eſt, Superioris vel Paſtoris.

VI. Falſificatio Bullarum ſeu Litterarum Apoſtolicarum. &c. &c.

Caſus Reſervati Epiſcopo Argentinenſi. 372

I. Blaſphemia publica in Deum, Beatam Virginem Mariam, alioſve Sanctos, cum attentione & ex impietatis animo prolata.

Not. 1mo. Peccatum Blaſphemiæ committi poſſe tam ſcriptô, quàm voce. 2do. Hac in reſervatione non comprehendi juramenta ſeu *Sacramenta per Deum, Dei vitam, mortem, & ſimilia, quæ ex conſuetudine peſſima certè & abolenda inter loquendum ſæpiſſimè proferuntur, niſi qui ea profert, intentionem expreſſam habeat Deo maledicendi & renuntiandi, quod dijudicandum Confeſſariis relinquitur.*

II. Prophanatio, aut impius uſus ſpecierum SS. Euchariſtiæ, vel etiam Chriſmatis & alterius Olei ſancti, Catechumenorum ſcilicet & Infirmorum.

III. Divinatio, Sortilegium, Incantatio, atque omne Magicum exercitium.

IV. Violenta & atrox percuſſio in Eccleſia, aut in alio loco ſacro & benedicto. Item furtum rei ſacræ, atque etiam non ſacræ depoſitæ in loco ſacro vel benedicto. Item Fornicatio, Adulterium, & alia graviora crimina contra ſextum præceptum in Eccleſia, aliove loco ſacro aut benedicto commiſſa.

V. Simonia & Confidentia occulta tam quoad committentes, quàm quoad Mediatores.

VI. Sacrilegium cum Sanctimoniali. Item Sacrilegium Parochi aut Vicarii cum ſua Parochiana, & Confeſſarii cum pœnitente, & vice verſa.

VII. Raptus Virginum, vel Mulierum honeſtè viventium; quo caſu non raptor ſolus, ſed & qui auxilium & conſilium præbent, comprehenduntur.

VIII. Inceſtus in primo & ſecundo gradu conſanguinitatis vel affinitatis. Item ſtuprum violentum & Lenocinium.

IX. Deteſtabilia Beſtialitatis aut Sodomiæ crimina.

X. Homicidium voluntarium.

XI. Duellum, quo nomine intelliguntur omnes certantes in duello, qui ad illud provocant ſcienter, aut cooperantur.

XII. In vitam conjugis inſidioſa machinatio, licèt mors non ſequatur.

XIII. Procuratio abortûs, ſive fœtus ſit animatus, ſive non, opere, conſiliô vel auxiliô, etiamſi abortus non ſequatur. Item ſumptio remediorum eo fine, ut procuretur ſterilitas.

XIV. Oppreſſio parvulorum ex propoſito, vel ex gravi negligentia.

XV. Percuſſio Patris, vel Matris, vel aliorum aſcendentium.

XVI. Perjurium factum in judicio ſive Eccleſiaſtico ſive Laico.

XVII. Peccatum falſariorum tàm monetæ, quàm Litterarum Publicarum Eccleſiaſticarum: Falſificatio aut Bullarum ſeu Litterarum Apoſtolicarum, cùm notoriè denuntiata eſt, reſervatur S. Pontifici. Ita Rituale noſtrum Argentinenſe.

Ex eodem Rituali noſtro adjungere hîc placet catalogum Cenſurarum Epiſcopo noſtro Argentinenſi reſervatarum.

Cenſuræ Reſervatæ Epiſcopo noſtro Argentinenſi. 371

I. Excommunicatio annexa crimini hæreſis.

II. Excommunicatio annexa gravi percuſſioni Clerici, vel Religioſi, Clericali aut Religionis habitu induti. *Si percuſſio ſit atrox, reſervatur S. Pontifici.*

III. Excommunicatio annexa incendio Templorum, necnon domorum prophanarum voluntariè procurato, opere, conſiliô, auxiliô, mandatô; ſicut & effractioni ac ſpoliationi ſacrarum Ædium, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, ante publicam denuntiationem. *Poſt denuntiationem enim reſervatur Summo Pontifici.*

IV. Excommunicatio annexa contractui Matrimonii clandeſtino.

V. In eadem cauſa Matrimonii Excommunicatio annexa falſo teſtimonio, à contrahentibus, aut ab aliis, mala fide, ſive ſcriptô, ſive viva voce præſtito, ut à Miniſtris Eccleſiæ Matrimonium in ſe nullum benedicatur & celebretur.

Suſpen-

374 *Suspensionem reservatam* ipso facto *incurrunt*

I. Qui, absque licentia Episcopi, scienter absolvunt Pœnitentem aliquem ab hæresi, extra mortis periculum.

II. Qui absque licentia Episcopi, scienter absolvunt Pœnitentem à Censuris & Casibus reservatis, extra mortis periculum, nisi Pœnitens positus sit in aliqua circumstantiarum illarum, quas suprà num. 5. circa finem recensuimus. (*p*)

III. Qui Matrimonio jungunt Catholicum cum Hæretica, vel Hæreticum cum Catholica.

IV. Qui alienæ Parochiæ Parochianos, non obtentâ proprii Parochi, vel Episcopi licentia, Matrimoniô jungunt.

V. Qui deferunt SS. Eucharistiam ad extinguenda incendia, arcendasve tempestates vel tonitrua, &c.

VI. Qui ad Benedictiones vel Exorcismos alias à præscriptis in Rituali hoc Argentinensi (vel Missali, Pontificali, aut Rituali Romanis) formulas, inconsultô Episcopô, adhibent.

VII. Qui, absque Episcopi licentia, Exorcismos, etiam in hoc Argentinensi Rituali præscriptos faciunt ad expellendos Dæmones sive è corporibus, sive è domibus, aut locis, quæ ab ipsis obsideri, vel infestari dicuntur.

Hæ duæ posteriores suspensiones ab ipsis etiam, qui se exemptos dicunt, incurruntur, si in locis non exemptis talia audeant, aut in loco exempto circa personas non exemptas.

Observandum hos septem casus, modò enumeratos, reservatos non esse; sed suspensionem ipsis annexam esse reservatam, à qua nullus Sacerdos absolvere potest; nisi facultatem habeat absolvendi à Censuris reservatis.

In casibus sequentibus suspensio *ipso facto* non incurritur, sed infligetur vi præsentis Statuti Episcopalis semper commonentis.

I. Qui Matrimonio junxerint castra sequentes vel vagabundos absque Episcopi licentia.

II. Qui celebrant Missam sine veste talari, vel sine illa Sacramentum aliquod, extra necessitatis casum, administrant.

III. Qui absque necessitate cibum potumve sumunt apud caupones in locis non unâ leucâ integrâ domicilio suo distantibus.

IV. Qui aleâ, quivè in nundinis, & aliis in locis ad usus publicos destinatis, ludunt.

V. Qui tonsuram, qui linteos colli amictus Clericales non gestant, quivè habitu non nigro induti in publicum prodeunt.

VI. Qui suis in ædibus famulatui adstrictas retinent fœminas, quæ ad quadragesimum ætatis annum non pervenêre; aut mulieres alias à Matre, Sorore, Avia, Amita, Matertera, & Filia Fratris vel Sororis apud se habitare sinunt.

§. V.

De Sigillo Confessionis. 376

Secretum confessionis vulgò *Sigillum* appellatur, metaphorâ ductâ à Sigillo, quo claudi solent & obsignari ea, quæ secreta esse debent.

Communiter definitur *Religiosa obligatio servandi in quovis casu secretum circa ea, quæ ex confessione Sacramentali cognita sunt.* Circa quod Secretum sequentia veniunt observanda.

1mo. Jure naturali, Divino, & Ec- 377 clesiastico tenetur Confessarius ad arctissimum Secretum eorum, quæ in confessione

(*p*) Recensentur sup. n. 362. scilicet si gravi morbo decumbat; si proximè Matrimonio sit jungendus; si sit mulier prægnans partui proxima; & denique si prima vice sacram Communionem debet percipere. Ex Rituali Argentinensi Tit. *de Pœnitentia* N. V. pag. 153.

fessione audivit. Jure quidem naturali: enimverò est Secretum. Aliundè autem ex revelatione confessionis plerumque Pœnitentes dedecorarentur, quod ne eveniat, jus naturale vetat. Jure etiam divino ipsi Sacramento intrinsecô, & ex ejus institutione necessariò consequente, ne scilicet secreti revelatione confessio reddatur onerosa & odiosa, & sic ab illa homines avertantur; & quia Sacerdos hac in parte gerit vices Dei, qui quod homo detegit, tegit, nec ea, quæ peccator celat, revelabit, nisi in ultimo judicio. Jure etiam Ecclesiastico; nam authenticis certè Decretis sancitum est, præsertim in Concilio Lateranensi IV. c. 21. Ne Sacerdos de peccatis sibi confessis aliquid sub quolibet prætextu recitet, & si hoc fecerit, gravi pœnâ mulctandus est, ordinante sapienter Ecclesia, ut Sacramento servetur debita reverentia, & ne odiosa reddatur confessio.

Hinc in violatione Sigilli confessionis reperitur malitia injustitiæ erga Pœnitentem, & Sacrilegii ob irreverentiam in Sacramentum, quæ Sacrilegii malitia ex se semper mortalis est, nec potest, ex levitate materiæ esse venialis (etsi possit esse talis ob defectum advertentiæ) ita ut sit peccatum mortale vel unum veniale in particulari revelare; cùm etiam hoc confessionem reddat odiosam, & ab illa avertat.

378 2do. Tanta est hæc obligatio, ut nullo prorsus casu vel ad tormenta quælibet & mortem vitandam liceat Secretum confessionis revelare sine expresso consensu Pœnitentis, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ: & verò, si liceret aliquo casu detegere cognita ex confessione, confessio fieret odiosa, & ab ea homines averterentur, quod est maximum commune malum gravius damnô vitæ, cùm confessio sit medium salutis omninò necessarium; semper enim Pœnitens timeret, ne occurreret ille casus, vel ne Confessarius eam necessitatem apprehenderet, & sic peccatum ejus revelaret. Posset autem Confessarius, si fortè à Judice vel Tyranno interrogaretur de facto aliquo criminoso, quod sibi per confessionem innotuisset, sine læsione conscientiæ dicere, vel etiam juramentô affirmare, si opus esset, se factum illud ignorare; ipsi enim à Pœnitente revelatum est non ut homini, sed ut Deo; & quamcumque Judex subjungeret interrogationem, Sacerdos priori responso semper insistere deberet, nihil aliud addendo.

Diximus 1mo. *Sine consensu Pœnitentis:* Nam eo consensu spontè dato (secùs si vi, minis, aut precibus nimis importunis extorqueatur) licet justa de causa uti notitiâ in confessione acquisitâ: imò Pœnitens aliquando tenetur dare hunc consensum, v. g. ad avertendum damnum Reipublicæ, vel tertii alicujus; ac proindè, si eam deneget, non debet absolvi, cùm sit indispositus.

Diximus 2do. *Expressô.* Nam non sufficit consensus præsumptus vel interpretativus, ut cùm Confessarius judicat, Pœnitentem concessurum facultatem illam, si peteretur; quia si non requireretur talis expressus Pœnitentis consensus, confessio redderetur odiosa & onerosa; sæpè enim multi Confessarii ex imprudentia putarent, ejusmodi revelationem Pœnitenti gratam esse, cùm tamen ei summè displiceret: Sicque meritò timerent Pœnitentes, ne aliquo casu ex simili præsumptione peccata sua proderentur.

3tio. Oritur obligatio Sigilli ex omni 379
& sola confessione Sacramentali, id est, facta animô se accusandi in foro Pœnitentiæ, quamvis ex aliquo defectu sive Pœnitentis, sive Confessarii non sequatur absolutio. Hinc etiam oritur ex confessione per errorem facta Laico gerenti se pro Sacerdote: item ex comparitione coram Superiori pro reservatis sive ante, sive post confessionem; quia si fiat ante, est quædam inchoatio confes-

confessionis, & si fiat post, est illius consummatio. Non tamen contrahitur obligatio sigilli ex confessione facta Sacerdoti animô tantùm irridendi, aut tentandi ipsum; quia talis confessio non est Sacramentalis. Neque etiam ex eo, quòd aliquis committens alteri aliquod Secretum dicat, se illud ei committere sub sigillo confessionis; quia obligatio sigilli annexa est soli confessioni institutæ à Christo: itaque tunc tantùm habetur obligatio secreti naturalis.

380 4to. Sub Sigillo continentur ea omnia, quæ per confessionem deteguntur, scilicet omnia peccata tùm mortalia tùm venialia, tàm interna & occulta, quàm externa & publica, eorumque circumstantiæ: item tentationes, vitia, cupiditates, indispositio, imperfectiones, defectus naturales etiam inculpabiles, scrupulositas & ignorantia Pœnitentis, defectus natalium, peccatum complicis, materia ac Objectum peccati: item quæcumque à Pœnitente prolata ad pleniorem peccatorum, conscientiæ ac dispositionis suæ manifestationem pertinent, vel utilia sunt, etiamsi alios spectent, & alia quælibet, quæ Pœnitens non vult, ut detegantur: imò etiam ea, quæ in colloquiis privatis cum Pœnitente occasione confessionis factæ vel faciendæ ad cognitionem Confessarii deveniunt, sub sigillo comprehenduntur. Ratio est, quia revelatio quorumvis istorum redderet confessionem odiosam, cùm nata sit Pœnitenti molestiam, infamiam, vel dedecus inferre.

381 5to. Præter Confessarium ad Sigillum servandum tenentur etiam alii, qui hominem quempiam se accusantem audierint, sive culpabiliter propiùs accedendo audiendi animô, quod est mortale ob gravē injuriam Sacramento & Pœnitenti illatam; sive inculpatè seu fortuitò: item qui alicujus scriptam confessionem casu perditam invenerint, vel qui ipsi in confitendo sunt interpretes. Observandum autem, eos, qui confessionem scriptam repererint, peccare graviter, si ubi primò eis apparuit chartam inventam esse quoddam memoriale peccatorum, ex curiositate eam legant; debent ergo illam citò comburere. Pœnitens verò licèt respectu Confessarii non obligetur ad Sigillum confessionis, obligatur tamen ad sigillum naturale circa ea, quæ revelare nequit sine injusto Confessarii damno, aut contra rationabilem ejus voluntatem.

6to. Sigillum confessionis duplici modô potest à Confessario violari, *directè* scilicet, revelando expressè aliquid ex sola confessione cognitum; & *indirectè*, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum vel defectum Pœnitentis, aut quævis per solam confessionem cognita, ex quibus Pœnitenti pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen sequi posset, etsi audiens id jam aliundè sciat; quia hæc omnia reddunt confessionem odiosam. Hinc sigillum confessionis violat imo qui dicit de aliquo, etiam mortuo, quòd commiserit aliquod peccatum mortale, vel plura venialia, vel tale veniale in particulari, v. g. mendacium: Non tamen qui dicit præcisè Petrum sibi confessum esse aliquod veniale indeterminatè; nam hoc ex ipso actu confessionis patet. Ad violationem autem sigilli non sufficit, quòd reveletur peccatum in confessione auditum, sed insuper requiritur, ut aliquo modo determinetur persona, quæ illud commisit & confessa est. Quòd si tamen designetur locus aut parva communitas dicendo v. g. tali locô audivi in confessione multa adulteria, aut in tali Monasterio aliquem esse fornicatum, violaretur sigillum. Cæterum hoc certum est & indubitatum, non facilè loquendum esse de auditis in confessione, etiam abstrahendo à persona, præsertim coram rudioribus, ne scandalizentur putantes violari Sigillum; & gene- 382

generaliter coram omnibus, ne posteà per inadvertentiam aliquæ addantur occurrantque circumstantiæ, ex quibus deveniatur in suspicionem personæ. Quòd si in audiendis confessionibus aliqua occurrat difficultas, quæ eruditorum consilium requirat, illos ita de casu illo consulat Confessarius, ut nullatenùs Pœnitens ab ipsis cognosci possit. Si verò sine periculo revelationis concilium peti nequeat, tunc illicitum est, sine expressa Pœnitentis venia, illud expetere. 2do. Violat Sigillum, qui unum præ aliis, quorum audivit confessiones, laudat, dicens eum sola venialia admisisse; nam indè alii, qui pariter ipsi confessi sunt, facilè in suspicionem adducuntur admissæ culpæ mortalis. 3tio. Qui auditis paucorum confessionibus dicit se tale peccatum audivisse, jam enim singuli ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. 4to. Qui dicit se non absolvisse talem: hinc Confessarius interrogatus, an pœnitentem absolverit, respondere debet, *se officiô suô functum esse*, non autem, *se absolvisse*; alioquin id affirmando de uno & non de altero, indicaret huic denegatam absolutionem ab ipso fuisse, & sic indirectè revelaret Pœnitentis indispositionem. Unde cùm danda sunt testimonia confessionis auditæ, debet Confessarius solùm testari, se audivisse confessionem. 5to. Violant sigillùm duo Confessarii, qui inter se colloquuntur de peccatis Pœnitentis, si uterque peccata ex sola confessione novit. 6to. Denique, qui alta voce, vel alio modo à circumstantibus intelligibili arguit Pœnitentem; nam hoc ipso indicat gravitatem materiæ, quam audit.

383 7mo. Non licet Confessario extra confessionem sine Pœnitentis licentia de auditis in ipsius confessione cum eo loqui: eam tamen dare tenetur Pœnitens, cùm id necessum est ad supplendum aliquem defectum, vel errorem dedocendum. Hanc licentiam dare censetur Pœnitens, quando ipse interrogat vel loquitur cum Confessario de aliquo, quod in confessione dixit. Potest tamen idem Confessarius sine Pœnitentis licentia in sequentibus Confessionibus eum admonere de defectu aliquo in prioribus admisso, de frequentia lapsuum, &c. quia loquitur in eodem foro Sacramentali, & tunc agit ut Dei Vicarius, ac proinde uti potest notitiâ, quam ut talis habet.

8vo. Nunquã licet sine expressa licentia 384 Pœnitentis uti scientiâ in confessione acceptâ, sic, ut illius usus sit aliquo modo directa vel indirecta peccati à Pœnitente confessi revelatio; quia omnis revelatio sive directa sive indirecta, sive fiat verbis sive gestu, sive alio quocumque modo semper est aliqua violatio sigilli confessionis, quæ nunquam licita est.

9no. Nunquam Confessarius uti potest cognitione, quam ex confessione consecutus est, ad aliquid agendum dicendumve cum aliquo Pœnitentis gravamine, seu quod Pœnitenti directè vel indirectè injuriosum aut nocivum esse possit; quia si talis usus licitus esset, redderet confessionem graviter odiosam. Hinc 1mo. Non potest Parochus, qui ex sola confessione novit impedimentum dirimens esse inter eos, qui Matrimonio jungi postulant, Matrimonium denegare: sicut nec Sacerdos excommunicatum, quem ex sola confessione talem novit, devitare. 2do. Non licet Parocho denegare testimonium bonæ vitæ & probitatis ei, cujus vita exteriùs est rectè instituta, sed quem ex confessione scit esse improbum: nec monere parentes, ut diligenter invigilent filiæ, cujus libidinem ex sola confessione novit. 3tio. Nequit Superior notitiâ per confessionem comparatâ uti, ut Pœnitentem sibi subditum exteriùs puniat, malè habeat, torvis oculis aspiciat, ab aliquo officio arceat, aut suum ipsi suffragium pro aliquo munere deneget (limitationem apponunt aliqui, si

si nempè suffragium publicè ferendum sit, secùs si occultè) uno verbo non possunt Superiores uti notitiâ illâ ad exteriorem gubernationem; ut expresśè Clemens VIII. in Decreto suo annô 1594. die 26. Maji prohibuit.

386 10mo. Ex communi licitus est usus notitiæ ex confessione acquisitæ, qui fit sine ullo Pœnitentis gravamine, & sine qualicumque revelatione tùm directâ tùm indirectâ cognitorum in confessione. Hinc licet Confessario sæpiùs orare pro Pœnitente, consulere libros, Doctores, emendare suam negligentiam aut nimiam severitatem, quam intelligit aliis nocere. Item licet fugere locum, ubi insidias sibi parari ex confessione didicit, modò præter Pœnitentem nemo advertere possit id fieri ex usu notitiæ per confessionem partæ; quia hoc nullum gravamen afferre potest Pœnitenti, nec reddere Sacramentum odiosum: secùs si alter indè colligat, Pœnitentem ista declarasse, ac ideo ei succenseat & noceat. Denique sine violatione sigilli potest quis diligentiùs custodire res suas, clavem abstrahere, &c. ob servum suum, quem ex confessione scit infidelem, &c. modò Pœnitens apud alios non veniat in suspicionem infidelitatis; quia hæc omnia saltem rationabiliter confessionem odiosam reddere nequeunt.

387 11mo. Antiquitùs, qui vel levissimè contra inviolabile Sacramentalis silentii pactum peccaverant Sacerdotes gradu excidebant, & perpetuò peregrinabantur. Eos subindè ad finem vitæ pœnitentiam in Monasterio agere decrevit Concilium Lateranense IV. locô perpetuæ peregrinationis, quæ jam non est in usu; quod etiamnum servatur in foro Ecclesiastico. Præter has canonicas pœnas autem subjacent Sacerdotes revelantes pœnis civilibus; & non solùm ad compensationem damni aut scandali ex eorum improbitate orti aut oriundi tenentur, sed & cogit eos justa Tribunalium Laicorum severitas sacrilegam suam revelationem gravissimis pœnis expiare.

§. VI.

De dotibus & obligationibus Confessarii. 388

Quia Confessarius Christi personam gerit, debet eum imitari in zelo, mansuetudine, prudentia, sancto vigore, & vitæ perfectæ innocentia.

1mo. *Zelum ministret charitas, informet scientia*, ait S. Bernardus Serm. 49. in Cant. Cùm triplex sit Confessarii munus, Judicis, Medici, & Doctoris, tenetur sub mortali scire ea, quæ ad hæc munera rectè obeunda requiruntur. *Væ vobis duces cæci*, ait Christus Matth. 23. *Cæcus si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.* Matth. 5. Ut ergo apta cuique remedia conferre sciat, ex probatis auctoribus, & præsertim ex Scripturis, sacris Canonibus, Diœcesanis Constitutionibus, & prudenti peritorum consiliô multam scientiam sibi comparare studeat. Ita præcipit Concilium Mediolanense I. part. 2. tit. de Administ. Sacram. Pœnitent. *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare*, ait Cœlestinus Papa Cap. *Nulli*. Dist. 38. Porro major scientia requiritur pro uno loco, quàm pro alio, pro urbe mercatoria, aulica, &c. quàm pro pago: major pro audiendis viris Judicibus, hominibus forensibus, quàm pro fœminis, pueris, &c. Hinc Confessarii, qui quoslibet Pœnitentes audire sunt parati, majori scientiâ, quàm alii, pollere debent.

Undè non solùm Confessarius, qui prædictâ scientiâ caret, sed etiam Superior, qui ei tribuit facultatem confessiones audiendi, atque etiam ipsum Pœnitentem, qui scienter eligit Confessarium ignarum, peccant mortaliter; & talis Pœnitens est indispositus, absolutionis incapax, & consequenter ad reiterandas confessiones obligatus. Confessio tamen bona fide facta Sacerdoti ignaro est valida; quia ex parte Pœni-

Pœnitentis intervenit integra confeſſio, & debita diſpoſitio; ex parte Sacerdotis autem aliqua cognitio & perceptio illius, quæ licèt non ſit accurata, tamen ſufficit ad validam abſolutionem.

389 2do. Neminem ſubterfugiendi laboris causâ à ſacro Tribunali rejiciat, ne nutu quidem, nedum verbis; ſed ſemper benignum facilemque ſe præbeat; ſciat infirmari cum infirmis, flere cum flentibus, condolendi & compatiendi noſcat diſciplinam; diligentiam omnem adhibeat in dignoſcendo Pœnitentium ſtatu; obſervet, ad quæ magìs propenſi ſint vitia, remediaque ad expianda facinora & vitam in meliùs emendandam convenientia eis ſuggerat; Abundet in ſalutaribus monitis, opportunas correctiones paterna charitate adhibeat; ſi eos ita animô affectos viderit, ut verè de criminibus ſuis doleant, ſalutarem & proportionatam ipſis injungat ſatisfactionem, & eos abſolvat; ſi verò imparatos, aut non ſatis diſpoſitos reperiat, nulla ratione flectatur, minisvè aut promiſſis, ut eis beneficium abſolutionis conferat; ne dum alios ſolvere vult, ſe ipſum alliget.

390 3tio. Attendat Confeſſarius, quòd nonnunquam teneatur Pœnitentem interrogare tùm ante confeſſionem, tùm in ipſa confeſſione, tùm poſt confeſſionem. Ac 1mo quidem ante confeſſionem quandoque inquirendum eſt, quis ſit ejus ſtatus & conditio? à quo tempore non ſit confeſſus? an injunctam ſibi in ultima ſua confeſſione pœnitentiam impleverit? an & quomodò conſcientiam ſuam diſcuſſerit? an dubitet de præcedentium confeſſionum validitate? &c. Diximus, *Quandoque.* Confeſſioni enim præmitti non debent illæ interrogationes, ſi pœnitens probè notus ſit Sacerdoti, vel ipſi videatur ſufficienter eruditus; aut cùm prudenter timetur, ne earum aliquæ ipſum offendant: in eo caſu opportuna data occaſione ſagaciſſimè hujusmodi interrogationes fiant in confeſſionis decurſu: caveat autem Confeſſarius, ne inquirat nomen, domicilium, &c. Pœnitentis; hæc enim nullatenùs ſunt de ratione Sacramenti Pœnitentiæ. 2do. In ipſa confeſſione, quamvis Pœnitentem debeat patienter audire Confeſſarius, aliquando tamen opus eſt, interpoſita brevi aliqua interrogatione de numero peccatorum; de circumſtantiis neceſſariò declarandis; de obligationibus peccatum conſequentibus v. g. bona reſtituendi, cum inimico ſe reconciliandi; de peccati conſuetudine, hanc enim Pœnitens Sacerdoti interroganti fateri debet juxta damnationem propoſitionis contrarium aſſerentis ab Innocentio XI. factam. Nunquam autem Confeſſarius Pœnitentem objurget, niſi facta confeſſione peccatorum, ne fortè perterrefactus aliqua taceat; imò etiam prædictæ breves interrogationes nunquam meliùs quàm usque ad finitam peccatorum enumerationem differuntur, ne ſcilicet Pœnitens interpellatus cætera obliviſcatur. 3tio. Denique poſt confeſſionem de iis ſolùm, quæ veroſimiliter omiſit vel non ſatis explicuit, Pœnitens interrogetur, quantumvis doctus & abundè pius appareat; quando ſcilicet grave aliquod peccatum ſilet, quod ipſum admiſiſſe certò novit Confeſſarius alterâ, quàm confeſſionis, viâ, vel ſaltem prudenter dubitat. Imò ſi Pœnitens rudis, vel ſalutis immemor confeſſionem fecerit confuſim absque ullo ordine, ſine ulla numeri vel circumſtantiarum declaratione, is perinde interrogandus eſt, ac ſi non fuiſſet confeſſus. Uno verbo, tot & tantas diſcretè præmittat, interſerat, ſubjungat Confeſſarius interrogationes, quot & quantæ ſibi videbuntur neceſſariæ vel utiles ad integritatem confeſſionis, ſalutemque Pœnitentis: abſtineat autem à variis & indiſcretis quæſtionibus, quibus Pœnitens defatigari poſſet vel offendi.

Hoc maximè in materia lubricitatis & caſtitatis, ne, junioribus præſertim, infirmis & ſimplicibus incautæ quædam inter-

interrogationes ſcandalo vertantur & exitio, utpote qui eos multa, quæ forſan ignorarent, edocendo ad peccatum illiceret. Si ergo Pœnitens aliquis obſcurè quædam turpia confiteatur, ſenſim & ſine ſenſu progrediatur à cogitationibus ſimplicibus ad moroſas, à moroſis ad deſideria, à deſideriis ad conſenſum, à conſenſu ad actus peccaminoſos: cautè autem vulnus detegat, ne dum ſaniem vult eradere, plagas alias jam alligatas & ſanatas mortiferè refricet.

391 4to. Confeſſarius monere & docere debet Pœnitentem de eo, quod culpabiliter ignorat; quia quamdiu talis ignorantia perſeverat, pœnitens eſt indiſpoſitus; ipſa quippè eſt peccatum & cauſa peccati. Imò Pœnitens etiam docendus eſt, ſi error vel ignorantia invincibilis eſt, 1mo. Si indè ſequatur aliquod grave malum vel ſcandalum publicum, etiamſi indè timeatur malum Pœnitentis; nam malum privatum permitti debet, ut vitetur publicum. 2do. Si error vergat in damnum injuſtum proximi. 3tio. Si Pœnitens dubitet de ſuo errore, vel interroget Confeſſarium; nam tunc taciturnitas Confeſſarii eſſet tacita erroris approbatio. 4to. Quandò ea monitio profutura videtur, nec ex ea ſcandalum timetur; quia Confeſſarius eſt Dei Miniſter, Judex, Doctor, ac Medicus Pœnitentis: ergo debet inſtruere Pœnitentem, & impedire peccatum etiam materiale, dum nullum majus malum timetur; nam error per ſe eſt quoddam malum, & plerumque alia mala invehit. Quòd ſi probabile periculum ſit, ne ex admonitione ſequatur peccatum formale, vel grave ſcandalum, aut aliud grave damnum proprium vel alienum, differenda eſt admonitio, donec hoc periculum ſublatum ſit; ut patet ex Cap. 6. de conſang. & affinit. ubi Innocentius III. conſultus de Matrimonio invincibiliter invalidè contracto reſpondet: *Diſſimulare poteris, ut remaneat in copula ſic contracta, cùm ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.*

5to. Confeſſarius non poteſt ſe conformare ſententiæ pœnitentis evidenter minùs probabili & minùs tutæ contra propriam probabiliorem & tutiorem; quia Confeſſarius in Tribunali Pœnitentiæ eſt Superior, Doctor, & Judex; Pœnitens verò inferior & reus: ac proindè Confeſſarius debet judicare ſecundùm propriam ſententiam prudentem, non ad arbitrium Rei, quem tunc judicat. 392

6to. Si Confeſſarius invalidè Pœnitentem abſolvit à cenſuris vel peccatis reſervatis, tenetur, ſaltem ſi comodè poteſt, illum monere, ut ſibi remedium ab alio quærat, vel obtenta à Superiore facultate illum abſolvendi, Pœnitentem præſentem poſt iteratam contritionem abſolvere. Similiter ſi Pœnitentem vel per expreſſa verba, vel per ſilentium ſuum induxit in aliquem errorem, ex quo ſequitur violatio alicujus præcepti, tenetur illum hunc errorem dedocere; alioquin eſſet cauſa, cur is præceptum violaret. 393

7mo. Si Confeſſarius ſine ſua culpa deobligavit Pœnitentem à reſtitutione, ad quam tenebatur, vel obligavit, ad quam non tenebatur, tenetur ex juſtitia eum errorem ſuum dedocere; nam quilibet ex juſtitia obligatur impedire, ne alteri ſua etiam inculpabili actione damnum pariat. Si ex malitia aut errore culpabili hoc fecit, tenetur errorem revocare, & ſic cauſam damni inferendi tollere; quòd ſi id omittat, & Pœnitens intereà factus ſit impotens ad reſtituendum, tenetur ipſemet Confeſſarius, ſi aliunde dominii alicujus capax ſit, illi tertio reſtituere locô Pœnitentis; quia violavit jus, quod ille tertius habebat, ne Confeſſarius ille impediret reſtitutionem ei debitam, & conſiliô ſuô eſt cauſa efficax ejus damni. Si verò Confeſſarius ſolummodò omiſit admonere Pœnitentem de obligatione reſtituendi, tenetur qui- 394

dem eum posteà obligationis suæ admonere; quòd si tamen Confessarius id omittat, aut Pœnitens intereà factus sit impotens ad restituendum, non tenetur ipsemet Confessarius restituere; quia Confessarius præcisè ut Confessarius non tenetur ex justitia damnum ejus, cui debetur restitutio, resarcire; nullam enim justitiæ obligationem habet in ordine ad creditorem, sed tantùm in ordine ad Pœnitentem. Si Confessarius culpabiliter aliquem obligavit ad restitutionem, ad quam non tenebatur, tenetur ex justitia errorem revocare; quòd si Pœnitens jam restituit, damnum ipsi resarcire debet, quia suô consiliô illius fuit causa injusta & efficax.

395 CAPUT VII.
De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

EA, quæ ad effectus Sacramenti Pœnitentiæ pertinent, quatuor quæstionibus exponit S. Thomas in Tertia Summæ suæ parte. Nos proindè ea tribus paragraphis hîc prosequemur. In 1mo. Agemus de effectu Pœnitentiæ circa peccata mortalia, & venialia. In 2do. De virtutum & meritorum per Pœnitentiam reviviscentia. In 3tio. denique De reditu peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.

§. I.
396 *De effectu Pœnitentiæ circa peccata mortalia & venialia.*

Effectus Sacramenti Pœnitentiæ, præter gratiam sanctificantem omnibus Sacramentis communem, & gratias actuales Sacramentales ad recidivum in peccata lapsum vitandum suo tempore concedendas, est remissio peccatorum tùm mortalium tùm venialium; circa quam notanda veniunt sequentia.

1mo. Nullum peccatum est, quantumcunque grave, quod per Pœnitentiam remitti nequeat; ut jam initiô hujus Tractatus, & in Tractatu de peccatis observavimus.

2do. Nullum peccatum mortale remitti potest absque Pœnitentia, quatenùs est virtus includens odium & detestationem vitæ prioris, & propositum futuræ melioris. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, ait Christus Luc. 13. licèt lethale peccatum remitti queat per contritionem perfectam absque Sacramento re ipsa percepto, sed non sine ordine ad illud; prout ex dictis de contritione perfecta constat.

3tio. Unum peccatum mortale remitti non potest sine alio; quia non tollitur unum peccatum nisi per gratiam sanctificantem. Atqui hæc stare nequit cum actuali peccato mortali, utpotè reddens hominem Dei filium adoptivum, & hæredem vitæ æternæ, ut loquitur Concilium Tridentinum; peccatum verò mortale constituit hominem Dei inimicum & æternæ damnationis reum. Ergo unum peccatum mortale remitti nequit sine alio.

4to. Per Sacramentum Pœnitentiæ remittuntur peccata quoad culpam & pœnam æternam. Constat ex Concilio Trid. Sess. 14. c. 3. ubi, *Effectus hujus Sacramenti*, inquit, *quantùm ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Atqui reconciliatio cum Deo fieri nequit sine remissione peccati mortalis quoad culpam & pœnam æternam; homo quippe justificatus seu cum Deo reconciliatus est ejus amicus filius, & hæres vitæ æternæ, ut primùm insinuavimus.

5to. Remissâ culpâ non semper tolluntur omnes peccati reliquiæ: sicut enim post Baptismum remanet adhuc concupiscentia & fomes peccati ad agonem & virtutis exercitium; ita post dimissam vi Pœnitentiæ culpam superest certa quædam animæ dispositio, seu habitus & infirmitas, qua adhuc inclinatur ad similes peccaminosos actus, quæ tamen propensio

seu

ſeu inclinatio culpæ non imputatur, quamdiu non erumpit in actum.

6to. Peccata venialia absque Pœnitentia vel formali vel virtuali remitti non poſſunt; quia peccatum veniale eſt vera Dei offenſa, quæ dimitti non poteſt ſine voluntaria ejus retractatione ſaltem virtuali. Hæc vero virtualis Pœnitentia, non debet eſſe contritio perfecta, ſed ſufficit attritio ex motivo ſupernaturali concepta; quia peccata venialia faciliùs remitti debent per Pœnitentiam quàm mortalia, minora enim ſunt quovis peccato mortali, &, qui amicus Dei eſt, faciliùs à levi culpa veniam obtinere debet, quàm qui inimicus ejus eſt. Atqui ſi ad eorum remiſſionem neceſſaria foret perfecta contritio, faciliùs non remitterentur venialia quàm mortalia. Inde eſt quòd S. Auguſtinus ſæpiùs affirmet, peccata venialia per ſolam orationem Dominicam deleri.

7mo. Venialia per Sacramentū Pœnitentiæ directè & ex opere operato remittuntur; cùm nempe ſic clavibus Eccleſiæ ſubjiciantur, & in confeſſione Sacramentali declarentur, prout ſolet fieri à viris piis & ſanctis. Ratio eſt aperta; quia Sacramenta ſunt cauſæ effectrices gratiæ, per quam venialia perinde ac mortalia condonantur.

§. II.

397 *De bonorum operum, meritorum, & virtutum per Pœnitentiam reviviſcentia.*

Triplex vulgò à Theologis operum genus diſtinguitur: alia ſcilicet ſunt *mortifera*, alia *mortua*, alia *mortificata*. Opera *mortifera* ſunt peccata mortalia, quæ ſeparant à Deo, & charitatem excludunt, qua anima vivit. Opera *mortua* ſunt ea, quæ tametſi ex objecto ac fine bona ſint & per gratiam elicita, quia tamen fiunt ſine habituali gratia ſeu charitate, quæ animæ vita eſt, *mortua* appellantur: talia ſunt omnia opera bona in ſtatu peccati mortalis facta. Opera denique *mortificata* dicuntur ea, quæ ex gratia facta ſunt ab homine juſto, priusquam lapſus eſſet in peccatum mortale, quo ſubſequente hujusmodi operibus vita omnis intercluditur, vis & energia obtunditur.

Non eſt hìc quæſtio de operibus *mortiferis*, quæ cùm vitæ ſpiritualis omninò ſint incapacia, proindè nec reviviſcere poſſunt. Neque etiam de operibus *mortuis*; quod enim nunquam vixit, reviviſcere non poteſt. De ſolis igitur operibus juſtorum per ſubſequens peccatum mortificatis movetur quæſtio, utrum nempe illa per ſubſequentem pœnitentiam reviviſcant? non quidem quaſi iterùm accipiant ſuum eſſe, quod in actione duntaxat poſitum eſt, ac jam deſiit; ſed quoad ſuum effectum ſeu jus illud, quod contulerant ſuo auctori ad condignè obtinendam vitam æternam. Qua de re ponitur

CONCLUSIO. 398

Bona juſtorum opera & virtutum merita per peccatum mortificata beneficiô ſubſequentis Pœnitentiæ reviviſcunt.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Joel 2. ait Deus: *Convertimini ad me in toto corde veſtro & reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Quæ verba S. Hieronymus exponit de reſtitutione bonorum ſpiritualium, quæ per peccatum deperdita fuerant. Galat. 3. ait Apoſtolus: *Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? Si tamen ſine cauſa.* Quibus verbis ſignificat Apoſtolus, Galatas, qui à fide Chriſti ad Judaismum defecerant, præmium priſtinorum laborum recepturos, ſi ad meliorem mentem redirent, ac veram agerent pœnitentiam; prout advertit S. Hieronymus in hunc locum.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. Pro om- 399
nibus ſint S. Ambroſius lib. 1. in Luc. ubi, *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, & facilis indul-*

indulgere peccatis, non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Et S. Hieronymus in c. 3. ad Galat. *Quicumque,* ait ibid. *ob fidem Christi laboravit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse sine causa, dum peccat, sic rursùs non perdet ea, si ad pristinam fidem, & ad antiquum studium revertatur.*

400 Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. 1ma. Juxta Concil. Trid. Sess. 6. Cap. 16. & Can. 32. Tres duntaxat conditiones requiruntur, ut opera nostra sint meritoria, ac suum præmium consequantur, scilicet 1mo. Ut sint opera hominis justificati. 2do. Ut facta sint in Deo, id est, gratiâ & auxiliô Dei. 3tio. Ut homo, quia ea fecit, tandem in gratia decedat, sive dein acceptam gratiam perpetuò conservaverit, sive amissam reparaverit. Atqui hæ conditiones reperiuntur in bonis operibus & meritis mortificatis post actam pœnitentiam: certum quippe est, merita nostra, antequam per peccatum mortificentur, duas priores habere conditiones, tertiam verò à pœnitentia mutuantur, per quam gratia sanctificans conceditur homini, qui in ea finaliter perseverare potest. 2da. Ratio est, quia circa bona hominis opera plus virium non habet culpa, quàm gratia. Ergo si per culpam mortificantur, necesse est, ut per gratiam, quæ & ipsam culpam perimit, denuò excitentur & reviviscant.

401 Ex dictis sequitur, meritis per remissionem peccati reviviscentibus, etiam recuperari gratiam sanctificantem meritis illis respondentem: nam gratia sanctificans est semen gloriæ, & proximum fundamentum juris ad illam. Item sequitur recuperari etiam simul omnes virtutes infusas meritis illis reviviscentibus respondentes: nam sunt individuæ comites gratiæ sanctificantis. Et utrumque significatur parabolâ filii prodigi, cui Pater jussit restitui stolam primam, & annulum, & calceamenta, Luc. 15.

Porro merita per peccatum mortificata ope pœnitentiæ reviviscunt non modò ad præmium aliquod accidentale, nec solùm ad partem aliquam essentialis præmii; sed etiam ad totum essentiale, & quidem adæquatè distinctum ab eo, quod debetur actui pœnitentiæ, per quem reviviscunt; quia alioquin 1mo. contra dictum Ezechiel. 33. *Impietas impii ei noceret*, etiam quando *conversus fuerit ab impietate sua.* 2do. Quia conditiones ex Concilio Trid. suprà relatæ, ut bona opera prosint ad vitam æternam, conveniunt meritis in ordine ad totum præmium, quod ipsis, ante lapsum in mortale, debebatur.

Denique merita illa reviviscunt ex sola Dei misericordia; ex mera quippe misericordia peccatorem ad pœnitentiam excitat, cùm justificat, decrevit meritis etiam peccatô mortificatis præmium concedere &c. Meritis verò reviviscentibus præmium debetur ex justitia, quia gloria est merces & corona justitiæ.

Solvuntur Objectiones. 402

Ob. 1mo. Ezechielis 18. dicitur: *Si averterit se justus à justitia sua, omnes justitiæ quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo merita post subsequens peccatum non ampliùs reviviscere possunt.

Resp. Dist. ant. *Si averterit se &c.* & impœnitens in iniquitate sua moriatur, prout ibidem dicitur, conc. *Si averterit se*, & postmodùm facti pœnitens ad Deum convertatur, neg. ant. & cons. Habetur enim ibidem v. 22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, in justitia sua, quam operatus est, vivet.*

Ob. 2do. Homo per peccatum amisit 403
jus ad gloriam. Ergo merita per peccatum penitùs extinguuntur, & consequenter reviviscere nequeunt.

Resp. Dist. ant. Amisit jus, quod tamen per pœnitentiam recuperari potest, conc. Amisit jus irrecuperabile per remissionem

ſionem peccati, neg. ant. & conſ. Cùm opera meritoria à Deo acceptentur ad gloriam ſuo tempore retribuendam ſub ſola conditione mortis in ſtatu gratiæ, quamdiu homo poteſt à peccato reſurgere & in ſtatu gratiæ decedere, poteſt recuperare jus priſtinum ad gloriam ſuis prioribus meritis reſpondentem ac debitam.

404 Ob. 3tio. Ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 26. requiritur perſeverantia in gratia usque ad mortem tanquam conditio neceſſaria ad conſequendam mercedem per bona opera. Ergo qui poſteà peccat, nihil præmii conſequitur propter bona opera ante peccatum facta.

Reſp. Diſt. ant. Requiritur perſeverantia usque in finem, id eſt, deceſſus in ſtatu gratiæ, conſ. Id eſt, continua permanentia in ſtatu gratiæ nunquam amiſſæ, neg. ant. & conſ. Perſeverantia usque in finem dicit tantùm deceſſum in ſtatu gratiæ, ſive gratia illa nunquam gravi peccatô amiſſa ſit, ſive amiſſa poſtmodùm recuperata fuerit. Quare laudatum Concil. Trid. eadem Seſſ. Can. 32. docet ad conſequendam per bona opera gloriam ſufficere ſimplicem in gratia deceſſum.

405 Ob. 4to. Peccata ſemel dimiſſa non redeunt per peccatum ſubſequens. Ergo nec merita mortificata per ſubſequentem pœnitentiam reviviſcunt.

Reſp. neg. conſ. & parit. Diſparitas eſt, quia eſt quædam juſtitiæ ſpecies, ut non redeant peccata dimiſſa, tùm quòd *dona Dei ſint ſine pœnitentia*, ut ait Apoſtolus Rom. 11. tùm quia pro illis peccatis ſatisfactum fuit per applicationem meritorum Chriſti. Verùm quòd reviviſcant opera bona & merita virtutum, ex pura Dei miſericordia profluit, quæ nobis in Scripturis & SS. Patribus manifeſtè declaratur. Deindè peccata dimiſſa ſunt penitùs abolita ac deleta; merita verò per peccatum duntaxat mortificata ſemper manent in acceptatione Dei quoad præmiũ ipſis debitum ſuo tempore retribuendum, quamdiu is, cujus ſunt, reſurgere poteſt à peccato, & decedere in gratia.

Ob. 5to. Amiſſa ſemel innocentia nunquam redit. Ergo nec amiſſa gratia. 406

Reſp. neg. conſ. & parit. Diſparitas eſt, quia innocentia non eſt gratia nudè & ſimpliciter ſumpta, ſed ea, quæ nusquam per peccatum mortale interrupta & amiſſa fuit: impoſſibile autem eſt, eum, qui ſemel amiſit gratiam, hanc nunquam amiſiſſe.

Ob. 6to. Virginitas ſemel amiſſa nunquam reparari poteſt ex S. Hieronymo. Ergo neque gratia. 407

Reſp. Diſt. ant. Nunquam reparari poteſt quoad materiale, conc. violata namque ſemel carnis integritas non reſtituitur. Quoad formale, nempè propoſitum abſtinendi ab omni voluptate venerea, neg. ant. & conſ. Cùm autem S. Hieronymus ſcribit, Deum non poſſe ſuſcitare Virginem lapſam, mens ipſius eſt, Deum efficere non poſſe, ut Virgo, quæ lapſa eſt, re ipſa lapſa non fuerit.

Ob. 7mo. Adamus juſtitiam originalem, à qua per peccatum excidit, non recuperavit per pœnitentiam. Ergo &c. 408

Reſp. Diſt. ant. Juſtitiam originalem connotativè ſumptam, prout includit perfectam ſubjectionem appetitûs inferioris parti ſuperiori, conc. Entitativè ſumptam, quatenùs ſcilicet eſt ipſamet gratia ſanctificans, neg. ant. &c.

Ob. 8vo. Dici nequit, quandonam merita per peccatum mortificata reviviſcant. Ergo non reviviſcunt. 409

Reſp. neg. ant. Nam reviviſcunt eo inſtanti, quo remittitur peccatum; tunc enim tollitur obex, quo merita impediebantur, ne haberent vim perducendi ad vitam æternam; undè, ſublatô hoc impedimentô, ſtatim vim illam totam recuperant.

§. III.

410 *De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.*

Quæritur hic, an, quemadmodùm bona opera per peccatum mortificata revivifcunt per pœnitentiam, ita quoque peccata per pœnitentiam dimissa redeant per subsequentia peccata, sive quoad culpam sive quoad pœnam?

Gratianus Dist. 4. de pœnit. multis congestis auctoritatibus opinionem affirmativam probare conatur reclamantibus undequaque doctissimis viris, cum quibus sit

411 CONCLUSIO.

Peccata per pœnitentiam dimissa non redeunt per peccata subsequentia.

Prob. 1mo. Ex Scripturis, in quibus remissio peccatorum absoluta est, nec ulli de futuro conditioni alligata, si nempe in justitia perseveremus. Ezech. 18. simpliciter dicitur: *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Porro si iniquitates illæ redirent quantùm ad reatum culpæ & pœnæ, essent in ruinam. Confirmatur eo modo, quo Scriptura mundationem à peccatis describit: ut Isai. 1. peccata per pœnitentiam *dealbari* dicuntur *ut nix*. Psal. 50. *Mundari, deleri.* Mich. 7. *Projici in profundum maris.* Joan. 1. *Per Christum tolli.* quibus verbis Scriptura certè innuit, nihil esse in homine justificato, undè redire possint & imputari eadem peccata semel dimissa.

412 Prob. 2do. Auctoritate Patrum. Gelasius Papa relatus Can. ult. Dist. 4. de Pœnit. *Divina clementia*, inquit, *remissa peccata in ultionem ulteriùs vivere non patitur.* S. Prosper in Respons. ad 2dam Gallorum objectionem, *Qui recedit à Christo*, inquit, *& alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est, recidit.*

Prob. 3tio. Ex Concil. Trid. quod Sess. 5. in Decreto de peccato Originali docet, peccatum originale (eadem est ratio de actualibus) ita per Baptismum tolli, ut nihil ejus remaneat: quod autem semel absolutè remissum est, non potest redire per subsequens peccatum, cùm per illud non iteretur; neque Deus, utpotè immutabilis, propter illud revocare possit absolutam prioris peccati condonationem. 413

Prob. 4to. Ratione. Remittere peccatum est ipsum non ampliùs imputare ad vindictam juxta illud Psal. 31. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo pecca semel verè remissa, ampliùs imputari nequeunt. Deinde si peccata remissa iterùm redirent, ea denuò clavibus Ecclesiæ subjicienda forent, quod tamen Ecclesiæ praxi contrarium est. 414

Porro peccata per pœnitentiam remissa aliquo nihilominùs sensu sed valdè improprio redire dici possunt per subsequentia peccata 1mo. quia qui post condonatum peccatum iterùm peccat, recidit in priorem damnationis statum. 2do. quia posterior culpa priori quodammodò gravior est ob vitium ingratitudinis, quo peccator gratiæ primùm acceptæ parùm memor esse videtur. 3tio. Ratione subtractionis auxiliorum abundantium, quæ Deus novis peccatis offensus ita subindè negat, ut homo relabatur in peccata prioribus similia aut graviora. 4to. Ratione pœnarum temporalium, quas Deus mensurâ per subsequens peccatum impletâ infligit, aliàs non inflicturus.

Solvuntur Objectiones. 415

Ob. 1mo. 3. Reg. 17. Mulier Sareptana Eliam sic alloquitur: *Quid mihi est tibi vir Dei, ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ?* Ergo reatus peccatorum remissorum integrè reviviscit per peccatum subsequens.

Resp. neg. cons. Namque verba illa commodè intelligi possunt de peccatis quoad

quoad pœnam nondum dimissis, quo[illegible]n pœna fuerat dilata, sicut Deus ad preces Moysis distulit vindictam peccati idololatriæ Hebræorum Exod. 32. Hinc etiam David Psal. 78. Deum orat, *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.*

416 Ob. 2do. Psal. 108. dicitur: *In memoriam redeat iniquitas Patrum ejus in conspectu Domini.* Ergo peccata jam dimissa reviviscunt per subsequens peccatum.

Resp. neg. conf. Nam hoc dicitur ratione pœnarum temporalium peccatis debitarum, quas Deus mensurâ per subsequens peccatum impletâ infligit, aliàs non inflicturus.

417 Ob. 3tio. Matth. 18. Dominus debitum jam à se dimissum repetit à servo crudeli in conservum suum, minaturque Christus, cœlestem Patrem suum idem nobis præstiturum, nisi fratribus condonemus culpam. Ergo peccatorum debita, licèt extincta, denuò redeunt. &c.

Resp. neg. conf. Parabolæ sensus non aliò tendit, quàm ut intelligamus, teneri nos condonare omnem injuriam, quam proximus nobis intulit; adeò ut nullam ab æterno Patre veniam sit accepturus, quisquis erga inimicum suum implacatum gesserit animum: en præcipuus Parabolæ hujus scopus. Cùm igitur Dominus ab immiti servo debitum, quod remiserat, repetiit, circumstantia hæc est quoddam Parabolæ ornamentum: in Parabolis nempè, non secùs ac in humano corpore, duo sunt partium genera; quædam enim partes sunt ad usum, quædam verò ad ornamentum; priores sunt necessariæ, aliæ adjectitiæ. In præsenti Parabola Rex, duo servi, remissio decem millium talentorum, debitum centum denariorum, cujus debiti solutionem duriùs exigebat servus, partes sunt necessariæ: cætera verò adjecta sunt ornatûs gratiâ, prout rectè observat Maldonatus in hunc locum; quæ quidem observatio apprimè notanda venit, quia multùm confert ad explicanda varia Scripturæ testimonia, & ad solvendas difficultates, quæ in aliis Theologicis argumentis occurrunt.

Inst. S. Gregorius Magnus lib. 4. Dial. 418
cap. ult. postquam citatam Parabolam retulit, sic concludit: *Ex quibus constat, quia si hoc, quod in nos delinquitur, non dimittimus, & illud rursùs à nobis exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Eadem loquitur S. August. Serm. 83. aliàs 15. de verbis Domini c. 6. Ergo &c.

Resp. Dist. ant. A nobis exigitur &c. virtualiter & æquivalenter, seu sensu valdè improprio, conc. Formaliter & sensu proprio, neg. ant. & conf. Exigitur itaque à Deo debitum jam dimissum sensu improprio, vel quia post condonatum peccatum aliquod mortale quis fratrem suum odiô habet, & consequenter peccat mortaliter, atque in priorem damnationis statû recidit; vel alio modo sup. explicato.

Caput VIII. 419
De Indulgentiis.

Beneficii, de quo hîc sumus acturi, varia sunt apud Veteres nomina. 1mo. A S. Cypriano, quem Indulgentiarum Doctorem meritò nuncupare possumus, vocatur *relaxatio.* 2do. A posteriorum Sæculorum Patribus & Conciliis plerumque dicitur *remissio, donatio, condonatio.* 3tio. Appellatur *Indulgentia.* Usus est eo nomine Gregorius Papa VII. in variis suis Epistolis. Usus est quoque ante ipsum Pacianus Ep. 3. contra Novatianos, ubi asserit Apostolum his verbis: *Nam & ego quod donavi &c.* per indulgentiam proprias sententias temperasse. 4to. Denique à Concilio Trid. Sess. 21. c. 9. *Cœlestis Ecclesiæ thesaurus* nuncupatur.

Generatim *Indulgentiæ* nomen signifi- 420
cat juris alicujus remissionem, vel relaxationem. Hîc propriè sumitur pro relaxatione pœnæ temporalis, quæ luenda

super-

superest post condonatum culpæ ac pœnæ æternæ reatum.

Definitur ergo *Indulgentia*, quòd sit *remissio pœnæ temporalis, quæ post condonatam culpam & pœnam æternam luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui potestatem habet spiritualem Ecclesiæ thesaurum dispensandi.*

Dicitur 1mo. *Remissio pœnæ temporalis*, ut intelligatur per indulgentias neque culpam neque pœnam æternam remitti, sed tantùm pœnam temporalem.

Dicitur 2do. *Extra Sacramentum*, ut distinguatur ab ea remissione pœnæ, quæ fit virtute Sacramenti Pœnitentiæ.

Dicitur 3tio. *Ab eo, qui habet potestatem spiritualem Ecclesiæ thesaurum dispensandi.* Quia bona Communitatis propria, & Reipublicæ thesaurus, dispensari nequeunt, nisi ab eo, vel auctoritate illius, qui præest Communitati aut Reipublicæ.

421 Circa Indulgentiam sic definitam sequentia nobis exponenda & tractanda veniunt: 1mo. De existentia Indulgentiarum. 2do. De fundamento Indulgentiarum, seu de Ecclesiæ thesauro. 3tio. De natura & valore Indulgentiarum. 4to. De iis, à quibus concedi possunt Indulgentiæ. 5to. De iis, quibus prodesse possunt. 6to. De requisitis dispositionibus ad lucrandas Indulgentias. 7mo. De causis, propter quas dari possunt Indulgentiæ. Et 8vo denique, de variis Indulgentiarum speciebus.

§. I.

422 ### *De existentia Indulgentiarum.*

Montanistæ quondam negârunt, Ecclesiam posse Indulgentias largiri. In eundem errorem lapsi sunt Sæculô Ecclesiæ 12mô Waldenses teste Reinero, & Sæculô 15tô ineunte seu potiùs sub finem Sæculi 14ti Wiclefus & Joannes Hus. Lutherus initium suæ ab Ecclesia defectionis sumpsit à doctrina Indulgentiarum; atque à reprehensione abusuum earumdem progressus est ad illarum ipsarum reprehensionem. Invidiâ scilicet percitus, quòd Leo Papa X. provinciam publicandi indulgentias, non suæ Augustinianorum, sed Dominicanorum familiæ demandasset, eas pias Ecclesiæ fraudes esse primò dixit; cùm eas non Ecclesiæ fraudes duntaxat, sed meras vocitavit Pontificum imposturas, Fidelibus noxias nedum utiles & salutares, quibus illi deluduntur falsa spe consequendi remissionem pœnæ temporalis, quæ non ab Ecclesia, sed à solo Deo remitti potest. Lutherum secuti sunt Zwinglius & Calvinus. Contra quos sit

CONCLUSIO. 423

Existit in Ecclesia potestas concedendi & dispensandi Indulgentias.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Matth. 18. dicit Christus Apostolis, ac proinde per eos legitimis illorum successoribus: *Amen dico vobis quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Nihil excipit Christus, non culpam, quæ in Sacramento, non pœnam temporalem, quæ extra Sacramentum dimittitur. Deindè cùm, ut ex iis quæ de Satisfactione à nobis suprà C. 4. dicta sunt, constat, hac sententia: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis*, Christus Ecclesiæ suæ fecerit potestatem quosvis peccatores sive publicos sive occultos addicendi pœnitentiæ laboribus, constare debet istâ aliâ, quæ priori opposita est, *Quæcumque solveritis &c.* eum fecisse facultatem peccatores eximendi ab iisdem pœnitentiæ laboribus, aut saltem eorum partem minuendi; in qua quidem remissione vel adæquata, vel imminuente saltem, Indulgentiarum natura posita est, prout infrà docebimus.

Prob. 2do. Ex perpetuo usu hujus 424
largiendi indulgentias potestatis, qui usus Apostolis coævus est, ac semper in Ecclesia viguit, quique certissimum signum

gnum est, hanc potestatem à Christo Ecclesiæ concessam fuisse; neque enim Ecclesia sibi eam arrogasset, nisi illam à Christo accepisset.

Prob. itaque hic usus 1mo. Ex facto S. Pauli Apostoli, qui Corinthio incestuoso, quem ab anno & ampliùs pœnitentiâ damnârat, veniam seu indulgentiam concessisse, atque à prolixiori pœna indulgentiùs eum liberasse se dicit *in persona Christi*, hoc est, auctoritate à Christo accepta, *ne abundantiori tristitiâ absorberetur.* 2. Cor. 2. A Christo igitur derivatur potestas relaxandi beneficiô indulgentiæ pœnas temporales, quæ post dimissam culpam luendæ supersunt.

2do. Sæculô 2dô & 3tiô Episcopi exemplô S. Pauli pœnas Satisfactorias vel minuerunt, vel comutârunt, urgente scilicet morte pœnitentis, aut persecutione. Item libellos supplices in gratiam pœnitentium à Martyribus vel Confessoribus in carcere detentis benignè excipiebant, & horum Martyrum seu Confessorum voluntati & precibus morem gerentes, veniâ indignos non judicabant eos, quibus ex miseratione patrocinabantur eximii illi Christianæ fidei milites horum pœnitentium satisfactionis locô tormenta & pressuras, quibus cruciabantur, offerentes & substituentes. Hac de re legi possunt Tertullianus lib. 1. ad Martyr. c. 1. S. Cyprianus Ep. 10. 11. 12. &c. Et de lapsis §. 10. 11. &c.

3tio. Sæculô 4tô. Concilium Nicænum I. Ancyranum, Neocæsariense, &c. de severitate pœnitentiæ impositæ remittunt, pro majori pœnitentium fervore ac studio in adimplenda eâ, quæ imposita fuerat, satisfactione. Omittimus momentum istud ulteriùs ex usu Ecclesiæ probare; cùm enim hæc quatuor priora Ecclesiæ Sæcula Novatoribus nostris puriora videantur, sufficere ipsis debent ad confirmandam Ecclesiæ potestatem in concedendis indulgentiis.

Meritò igitur Concilium Constantiense Sess. 15. damnavit hanc Joannis Huss propositionem: *Indulgentiæ Papæ sive Episcoporum concessæ nihil prosunt.* Et Tridentinum Sess. 25. in Decreto de Indulgentiis ait in hæc verba: *Cùm potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitùs sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum auctoritate Conciliorum probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant abusus verò, qui in his irrepserunt, quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab Hæreticis blasphematur, emendatos, ac correctos cupit, &c.* 425

Solvuntur Objectiones. 426

Ob. 1mo. Exemplum Corinthii incestuosi nihil hìc causam nostram juvat; debitam enim pœnam jam per annum integrum dederat; undè nihil erat, quod ipsi posset condonari. Ergo &c.

Resp. Dist. ant. prob. Debitam pœnam per annum integrum jam dederat, sed non, quam debebat, integram, conc. Integram, & quam ad æqualitatem gravitatis delicti debebat, neg. ant. Quapropter S. Paulus quod supererat pœnæ ex indulgentia relaxavit.

Ob. 2do. S. Cyprianus variis in locis 427 indulgentiarum concessionem impugnat, ut Ep. 11. 40. Item lib. de lapf. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam S. Cyprianus non damnat ipsasmet Indulgentias, sed tantùm abusum, qui in earum usum & applicationem irrepserat, quas contendebat non omnibus indiscriminatim, sed iis duntaxat, qui exemplô incestuosi Corinthii pœnitentiæ laboribus strenuè defungerentur (prout ex iisdem citatis locis patet,

patet, ubi indulgendum censet iis, qui ubi convenientem satisfactionem magna ex parte obiissent, proferrent Martyrum seu Confessorum libellos) conferendas esse.

428 Ob. 3tio. Martyres pacem pro lapsis, non indulgentias postulabant. Ergo ex facto Martyrum non potest probari usus indulgentiarum.

Resp. Pax, quam Martyres pro lapsis petebant, erat reconciliatio, qua communioni Ecclesiæ, & participationi Eucharistiæ restituebantur pœnitentes relaxatâ eis pœnitentiâ injungendâ, vel injunctâ, nec integrè persolutâ; ac proindè Ecclesia pacem lapsis Martyrum rogatu concedere non poterat, nisi simul illis relaxaret residuam pœnitentiam justitiæ divinæ pro peccatis debitam. Ergo dum Martyres pacem pro lapsis postulabant, simul postulabant indulgentias: unde neg. ant. & conf.

429 Ob. 4to. Ecclesia dispensare non potest à jure divino. Atqui dispensaret à jure divino, si pœnas temporales justitiæ divinæ debitas relaxaret. Ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Ecclesia ex sese & propria auctoritate independenter à Christo non potest dispensare à jure divino, conc. Nomine & auctoritate Christi, neg. maj. &c. *Quod donavi*, inquit Apostolus 2. Cor. 2. *propter vos in persona Christi donavi.*

430 Porro hîc notandum, quòd, licèt potestas concedendi indulgentias eadem semper in Ecclesia fuerit, illius potestatis usus tamen non semper idem omninò extiterit: nam cùm usus ille ad disciplinam Ecclesiæ pertineat, potuit Ecclesia varietatem aliquam admittere, v. g. majorem severitatem adhibere primis Sæculis, quàm hisce posterioribus, quibus major est populi Christiani infirmitas: potuit pariter certas conditiones seu pietatis opera Indulgentiarum concessioni adjicere, &c. eas pluribus vel paucioribus applicare, &c.

§. II.

De fundamento Indulgentiarum seu Ecclesiæ Thesauro. 431

Thesaurus Ecclesiæ hîc appellatur per metaphoram cumulus seu collectio divitiarum vel bonorum spiritualium, quorum dispensatio Ecclesiæ credita est. Thesaurum appellat Clemens VI. Extrav. *Unigenitus.* de pœnit. & remiss. Item Synodus Tridentina Sess. 21. de Reform. cap. 9.

Fide Catholica certum est, thesaurum Ecclesiæ præcipuè ac primariò coalescere ex meritis & satisfactionibus Christi infinitis ac superabundantibus; quia Christus omnia sua merita & satisfactiones (quæ sunt valoris infiniti) pro Ecclesia obtulit, seque suaque omnia nobis tradidit. *Qui* (Pater æternus) *etiam proprio filio suo non pepercit*, inquit Apostolus Rom. 8. *sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ergo infinitum satisfactionum thesaurum Ecclesiæ acquisivit, communicavit, ejusque dispositioni reliquit; prout laudatus Clemens Papa VI. cit. loc. expressè docet his verbis: *In ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse quantùm ergo exindè, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum Ecclesiæ militanti acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus. ... Quem quidem thesaurum per beatum Petrum cœli Clavigerum ejusque successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ pro peccatis debitæ applicandum.*

Hoc, ut jam diximus, Fide Catholica certum est. An autem etiam concurrant

currant ad eundem Ecclesiæ thesaurum merita Sanctorum, non ita constare visum est aliquibus, sed illud omninò in dubium revocârunt. Contra quos sit

432 CONCLUSIO I.

Thesaurus Ecclesiæ etiam conflatur ex meritis Sanctorum.

Prob. 1mo. Ex Articulo Symboli de communione Sanctorum, quæ significat quamdam communicationem bonorum & meritorum, necnon orationum, quæ fiunt in Ecclesia, ut quod ab uno agitur, ad alios etiam quodam jure pertineat, &, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. 8. aliorum abundantia aliorum inopiam suppleat: membra scilicet ejusdem corporis sese mutuò juvant. *Ecclesia*, ait S. Ambrosius lib. 1. de Offic. c. 29. *in commune orat, in commune operatur.*

433 Prob. 2do. Certum est ex Scripturis, Deum Sanctorum precibus moveri & excitari ad condonandas debitas pœnas. Pepercit Loth propter fidem Abrahæ; pepercit Israelitis propter Moysem, &c. Firmiter etiam semper tenuit Ecclesia, *Dei filios*, id est, *Apostolos & Martyres auferre peccata Sanctorum, seu Fidelium*, sunt verba Origenis Homil. 10. in lib. Num. c. 18. quippe qui gratam Deo vim inferunt, eumque ad misericordiam efficaciter flectunt.

434 Prob. 3tio. Ex libellis indulgentiarum olim à sanctis Martyribus in gratiam pœnitentium concessis, qui sua merita, ac passiones in relaxationem pœnarum canonicarum, ad quas pœnitentes damnati erant, offerebant.

435 Prob. 4to. Ex Extravag. *Unigenitus.* suprà laudata, ubi Clemens VI. sic loquitur: *Ad cujus quidem thesauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, omnium electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur.* Hinc Leo X. hanc Lutheri propositionem damnavit: *Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.*

Prob. 4to. argumentô ad hominem. 436 Si Thesaurus Ecclesiæ non etiam conflaretur ex meritis & satisfactionibus Sanctorum, tunc vel maximè ideò, quia per hanc meritorum & satisfactionum Sanctorum communicationem ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus nostris peccatis debitis juris aliquid justitiæ divinæ detrahitur. Atqui hoc falsum est; quin potiùs eidem divinæ justitiæ persolvitur ab Ecclesia ex satisfactionibus Christi & Sanctorum. Ergo &c.

Sed jam oritur quæstio, quomodò merita Sanctorum concurrant ad thesaurum Ecclesiæ, an per modum *impetrationis*, an verò *solutionis*, id est, an reatus pœnæ temporalis immediatè per merita Sanctorum nobis applicata expungantur; an autem eadem merita tantùm ab Ecclesia offerantur, ut Deus propitietur peccatoribus, eosque dignos reddat, quibus merita Christi applicentur per Indulgentias. Sit

CONCLUSIO II. 437

Merita & Satisfactiones Sanctorum ad Ecclesiæ thesaurum concurrunt non modò viâ suffragii sed etiam solutionis.

Prob. 1mo. Eorum passiones seu satisfactiones, qui plus solvunt quàm debent, aliis ad pœnæ temporalis relaxationem viâ solutionis prodesse possunt. Atqui multi sunt inter Sanctos, qui suis satisfactionibus & bonis operibus plus solvunt pro temporali pœna, quàm re ipsa debeant, ac eorum peccata mereantur. Sic B. Virgo plus passa est in hac mortali vita, quàm debuerit, quandoquidem omninò nulli peccato ne quidem levi obnoxia fuit. Apostoli plura dura & acerba sustinuerunt, quàm eorum noxæ merebantur: de se ipso ait S. Paulus 2. Cor. 11. *Plùs ego in laboribus plurimis, in carceribus*

ribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, &c. SS. Martyres haud dubiè ultra menſuram pœnæ peccatis eorum debitæ paſſi ſunt; unde pro iis non orat Eccleſia, ſed potiùs ſe ipſam illis commendat. *Injuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre*, ait S. Auguſtinus Serm. 159. aliàs 17. de verb. Apoſt. Ergo merita Sanctorum viâ ſolutionis proſunt, ſeu concurrunt ad theſaurum Eccleſiæ.

438 Prob. 2do. auctoritate Pii V. & Gregorii XIII. qui hanc Baji propoſitionem damnârunt: *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui pretiô ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

439 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 1mam Concluſion. Chriſti Satisfactio eſt infinita, nec unquam exhauriri poteſt, proinde ſola ſufficit omni debito pœnæ temporalis extinguendo. Ergo ſatisfactiones Sanctorum non ſolùm inutiles ſunt, ſed quodammodò Chriſto injurioſæ.

Reſp. neg. conſ. Inutiles Sanctorum ſatisfactiones non eſſe, nec Chriſto injurioſas, imò planè neceſſarias privatas noſtras ſatisfactiones ſuprà ex profeſſo probavimus; cur ergo Sanctorum merita & ſatisfactiones aut quidquam detraherent meritis Chriſti, aut inutiles forent ad ditandum Eccleſiæ theſaurum? Eas meritis Chriſti non adjungimus, quaſi hæc non ſufficerent, abſit; ſed ut illæ otioſæ non ſint, ut Sancti hoc honore gaudeant, imò ut vis & efficacia meritorum Chriſti magis eluceat & commendetur, utpotè quæ ipſis etiam Sanctorum bonis operibus, ut nobis aliquid mereantur, virtutem & efficaciam communicant.

Ob. 2do. Injurioſum eſt Chriſto, 440
quòd merita Sanctorum cum ejus meritis miſceantur. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ant. Si in eodem ordine collocarentur, conc. Si collocentur in ordine longè inferiori ac ſubordinato & ſecundario tantùm, neg. ant. & conſ. Ingens ſtatuimus diſcrimen inter merita Chriſti & merita Sanctorum, quamvis ex utrisque theſaurus Eccleſiæ conſtet: ſcimus hæc finita eſſe, illa verò infinita, hæc ſecundariò duntaxat & per accidens ad theſaurum Eccleſiæ concurrere, illa verò primariò & eſſentialiter.

Inſt. Si Chriſti & Sanctorum merita 441
ſimul ad commune ærarium Eccleſiæ referuntur, eodem loco etiam habentur. Falſum conſequens. Ergo &c.

Reſp. Neg. ſeq. maj. propter rationes mox allatas. Sic etiam Scriptura nonnulla exempla ſuppeditat rerum, quæ uniuntur, tametſi aut naturâ aut dignitate longè diſpares ſint: ſic cùm Iſraelitæ Exod. 14. dicuntur *credidiſſe Deo & Moyſi*, Moyſem Deo non æquabant: ſic cùm Apoſtoli Act. 15. dicebant, *Viſum eſt Spiritu ſancto & nobis*, non ſe ſimiles Spiritui ſancto jactitabant. &c.

Ob. 3tio. Vix explicari poteſt, quo- 442
modò paſſiones Sanctorum nobis per Indulgentias applicentur, an ſimul cum meritis Chriſti, an ſeorſim ab iis? an partim ex meritis Chriſti, partim verò ex meritis Sanctorum? Ergo merum figmentum eſt, merita Sanctorum concurrere ad theſaurum Eccleſiæ.

Reſp. Inutiles prorsùs & otioſas videri hujusmodi quæſtiones. Probabile tamen eſt, ex toto theſauro illo meritorum Chriſti & Sanctorum fieri ſolutionem per modum unius pretii indiſtinctè concurrentibus meritis Chriſti & Sanctorum, Chriſti quidem meritis velut causâ primariâ & principali dante vim & efficaciam ſatisfactionibus Sanctorum; nam cùm ſatisfactiones Chriſti, licèt infinitæ, finitô modô nobis applicentur, absque

absque ulla injuria potest aliquid addi ex satisfactionibus Sanctorum.

443 Ob. 4to. Contra 2dam Conclus. Ut merita Sanctorum possent esse pretium, quo pro aliis pœna temporalis peccatis debita redimeretur, oporteret, ut æquale suis meritis præmium Sancti non recepissent; neque enim quod abundè remuneratum est, potest esse pretium, quo aliud redimatur. Atqui Sancti æquale suis meritis præmium, imò infinitè majus consecuti sunt, juxta illud Apostoli Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Ergo &c.

Resp: Dist. min. Atqui Sancti æquale præmium suis meritis consecuti sunt, quatenùs opera eorum erant meritoria, conc. Quatenùs satisfactoria, neg. min. & conf. Opus bonum laboriosum simul est meritorium, utpote ex charitate factum, & satisfactorium, utpotè pœnale. Sic v. g. eleemosyna delet peccatum, quia est opus satisfactorium, Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Et tamen eadem eleemosyna, quia est opus bonum & Deo gratum, meritoria est vitæ æternæ. Itaque Sancti gloriam & felicitatem suis operibus, quatenùs meritoria erant, æqualem consecuti sunt, non verò quatenùs satisfactoria erant, quia plus aliquando justitiæ divinæ solverunt, quàm debuerant; ut patet in Deipara Virgine, quæ ex pluribus operibus pœnalibus fructum quoad pœnæ remissionem non accepit, cùm ne venialiter quidem unquam peccaverit. Idem de Martyribus dicendum, quippe qui multa passi sunt, quæ pati non meruerant, &c.

444 Ob. 5to. Quidquid passi sunt ac fecerunt Sancti, pati ac facere debuerant: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt, dicite, servi inutiles sumus . . . quod debuimus facere fecimus.* Luc. 17. Ergo nihil ipsis residuum superest, quod aliis conferre possint.

Resp. neg. conf. Christus eo loci loquitur de præceptis Decalogi, quæ servare tenemur, & cùm ea servamus, gloriandum nobis non est, quia nonnisi auxiliô Dei planè gratuitô ea observavimus. Verùm præter observationem præceptorum, quæ est ad meritum, plura alia sunt, quæ ex consilio observare possumus, atque non tantùm sunt ad meritum, sed etiam ad satisfactionem: ex istis autem nonnihil redundans esse potest, quod aliis conferatur.

Ob. 6to. Opera bona condignum esse non possunt pretium alienæ satisfactionis, nisi ex distincta & formali intentione operantis. Atqui non ea fuit Sanctorum mens ac intentio, dum bonis operibus incumbebant, ut satisfacerent pro aliis; præ sua humilitate enim vix se pares putabant satisfaciendo pro levioribus etiam culpis. Ergo &c. 445

Resp. Prodesse Fidelibus Sanctorum merita, quamvis ea Deo Patri in eum finem non obtulerint, ut Ecclesiæ thesaurum augerent: sed satis est, quòd coram Deo seu in acceptatione divina, ac Ecclesiæ potestati tanquam commune bonum subjecta maneant.

Dici etiam potest, Sanctis implicitam adfuisse intentionem, exhibitas à se satisfactiones, aliaque pietatis opera conferendi in Ecclesiæ thesaurum: congruum scilicet fuit charitati, qua flagrabant, ut si quæ Deo digna ex gratia Christi operarentur, secundùm divinæ providentiæ regulas, iis vellent publico Ecclesiæ bono consulere.

Ob. 7mo. Sequitur ex nostra sententia Indulgentias defunctis prodesse non posse; quia illi clavibus ac jurisdictioni Ecclesiæ non ampliùs subjacent. Ergo &c. 446

Resp. Dist. ant. Sequitur &c. prodesse non posse viâ solutionis, conc. viâ suffragii & impetrationis neg. ant. & conf. vid. inf. §. 5. Conclus. 2.

 §. III.

§. III.

447 *De natura & valore Indulgentiarum.*

Præsuppositâ definitione Indulgentiarũ suprà jam data & explicata, circa earum naturam hæc communiter docentur à Theologis:

1mo. Indulgentiæ nec culpæ, nec pœnæ æternæ reatum tollunt; quia culpa & pœna æterna non remittuntur nisi aut per Sacramenta, aut per contritionem perfectam extra Sacramentum. Atqui Indulgentia nec est Sacramentum, nec perfecta contritio. Hinc quando nonnulli è SS. Pontificibus in suis Indulgentiarum Diplomatibus ajunt, *se absolvere à peccatis*, intelligendi sunt de absolutione à pœnis peccatori debitis.

448 2do. Indulgentiæ remittunt pœnam temporalem aut injunctam aut per Canones injungendam peccatis debitam: tùm quia in pluribus indulgentiarum diplomatibus clausula hæc *de injunctis* expressè legitur, in aliis verò subintelligi debet, juxta regulam juris: *Favores sunt ampliandi;* tùm quia veteres Indulgentiæ, quæ lapsis intuitu passionum à Martyribus toleratarum concedebantur, non tantùm relaxabant pœnas à Sacerdote injunctas, sed etiam à Jure vel à Canone injungendas; tùm denique, quia potestas clavium, in qua fundantur Indulgentiæ, generalis est: *Quæcumque solveritis, erunt soluta, &c.* Matth. 16. & 18. Ergo potestas illa se extendit non tantùm ad pœnas injunctas sed etiam injungendas. Injuncta tamen pœna per indulgentias non directè tollitur, Sacerdotis sententiam scilicet irritando, vel ab ea dispensando; sed indirectè tollendo debitum pœnæ temporalis. Undè tenetur pœnitens eam pœnam sustinere, quam in Pœnitentiæ tribunali Sacerdos ei imposuit; quia pœnitens semper est incertus ac dubius, an omnem Indulgentiarum fructum perceperit. Item quia pœnitentia à Sacerdote injuncta non tantùm vindicativa est, sed etiam medicinalis, à qua non dispensat Ecclesia, necessaria quippe est ad reprimendas cupiditates.

3tio. Indulgentiæ liberant hominem 449
à pœna temporali non solùm coram Ecclesia, sed etiam coram Deo; ita ut per Indulgentias remittantur pœnæ, quæ justitiæ divinæ debentur, & aliàs persolvendæ essent in hoc Sæculo vel in purgatorio. Id patet 1mo ex verbis Christi Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Undè S. Paulus 2. Corinth. 2. ait, quidquid incestuoso Corinthio donavit, se in persona Christi donasse. 2do. Si Indulgentia coram Ecclesia tantùm valeret, & non etiam coram Deo, tunc plus noceret, quàm prodesset, & Ecclesia filios suos in re maximi momenti deciperet; eximeret enim illos à pœna hujus vitæ mitissima, & remitteret ad gravissimas purgatorii pœnas. Atqui tamen Concilium Tridentinum in Decreto de Indulgentiis declarat eas maximè salutares esse, illisque anathema dicit, *qui eas inutiles esse asserunt.* Deindè 3tio. Non alia mente Martyres olim Indulgentiæ libellos lapsis concedebant, quàm ut etiam coram Deo à pœnis in altera vita luendis liberarentur, *Ut cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur*, ait S. Cyprianus Epist. 14. Denique 4to. Leo Papa X. in Bulla contra articulos Lutheri hunc inter alios perstringit: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis debitæ apud divinam justitiam.*

4to. Indulgentia ex parte conceden- 450
tis est absolutio judiciaria annexam habens solutionem ex thesauro Ecclesiæ. 1ma. Pars patet tùm ex Scripturæ textibus, quibus probatur Indulgentiarum existentia: ut *Quæcumque solveritis &c.*

quæ

quæ verba significant judiciariam potestatem absolvendi. Id ostendunt Summi Pontifices. Alexander III. in Ep. ad Episcopum Cantuariensem ait, neminem posse Indulgentias concedere nisi propriis subditis: rationem adducit, *quia non potest nisi proprius Judex absolvere vel ligare.* Martinus V. in Concilio Constantiensi Indulgentiam plenariam concedens dicit, se *absolutionem plenariam concedere.* Tùm quia non alia de causa Indulgentiæ mortuis concedi non possunt nisi per modum suffragii, quàm quòd Ecclesiæ clavibus subjecti non sint. Ergo Indulgentiæ, quæ vivis conceduntur, veram & judiciariam arguunt eas concedendi potestatem.

2dam. Partem, scilicet quòd Indulgentiæ præter absolutionem contineant solutionem ex thesauro Ecclesiæ, tradit Clemens VI. in sæpè laudata Extravag. *Unigenitus*; & ratio aperta videtur, quia videlicet Judex quatenùs Judex satisfacere debet justitiæ, ejusque jura illæsa custodire. Atqui Ecclesiæ Prælati sunt à Deo constituti Judices in dispensatione Indulgentiarum. Ergo debent justitiæ divinæ satisfacere; adeoque non possunt pro arbitrio suo absque ulla compensatione condonare pœnam temporalem, sed necesse est, ut aliquid solvant ad æqualitatem ex communi Ecclesiæ thesauro.

451 Quantùm ad valorem seu validitatem Indulgentiarum attinet, tantùm ipsæ valent, quantùm sonant *clave non errante*; id est, modò concurrant hæ quatuor conditiones: 1ma. Ex parte dantis, *Causa legitima.* Indulgentiæ quippè sunt relaxatio pœnæ, quæ dum à Deo exigitur, temerè remitti non debet ab ejus Ministris. 2da. *Auctoritas.* Nullus quippe, ut fert commune axioma juris, major defectus, quàm potestatis. 3tia. Ex parte accipientis, *gratia* & *charitas.* Quia non remittitur pœna nisi remissâ culpâ. Se ipsos deciperent Fideles, qui Indulgentiarum bonô perfrui arbitrarentur nullâ præmissâ pœnitentiâ: pax talis falsa esset, ait S. Cyprianus Epist. 11. 4ta. *Executio operis* per Bullas Indulgentiarum injuncti; quia sub hac conditione illæ conceduntur. Sed de his mox recurret amplior dicendi locus.

§. IV.

De iis, à quibus dari possunt Indulgentiæ. 452

Primò. Ad Summum Pontificem jure divino spectat quaslibet Indulgentias sive plenarias sive partiales pro tota Ecclesia concedere; quia Petro dictum est: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cœlo.* Matth. 16. Jure divino quippe Summus Pontifex Petri Successor jurisdictionem habet in universa Ecclesia & primatum supra cæteros Episcopos; adeoque ad ipsum quasi innato jure pertinet publica Ecclesiæ bona per solemnes ac publicas Indulgentias dispensare. Undè Concilium Constantiense de hæresi suspectum interrogari jubet, *Utrum credat, quòd Papa omnibus Christianis verè contritis ac confessis ex causa pia & justa concedere possit Indulgentias in remissionem peccatorum.*

2do. Episcopis competit etiam jure divino Indulgentias concedere in sua Diœcesi, quia jurisdictionem immediatè à Deo acceperunt ex jam sæpiùs laudato textu Matth. 18. *Quæcumque solveritis &c.* Et Act. 20 *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Diximus, *In sua Diœcesi*; nam extra Diœcesim propriam defectu jurisdictionis nullas concedere possunt. *Volumus tuam fraternitatem tenere*, ait Alexander III. Cap. *Quod autem.* De pœnit. & remiss. *quòd, cùm à non suo Judice ligari nullus valeat,* 453

valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodò arbitramur, quibus, ut prosint, proprii Judices specialiter indulserunt.

454 3tio. Archi-Episcopus easdem Indulgentias in tota sua provincia concedere potest, quas Episcopus in sua Diœcesi. Patet id ex Cap. *Nostrô.* De pœnit. & remiss. Ubi sic loquitur Honorius III. *Nostrô postulasti certificari responsô, utrum per tuam provinciam possis concedere remissionis litteras generales. Nos igitur Fraternitati tuæ breviter respondemus, quòd per provinciam tuam liberè potes hujusmodi concedere litteras.* Hæc tamen Archi-Episcopi Jurisdictio & potestas, velut extraordinaria à jure concessa, est consideranda; nam ordinariam in suorum Suffraganeorum Diœceses non habet jurisdictionem, nisi in cursu visitationis, aut in casu appellationis.

455 4to. Cardinales etiam non Episcopi Indulgentias centum dierum concedunt ex tacita concessione Summi Pontificis. Legati verò & Nuntii Apostolici possunt quoque Indulgentias largiri intra terminos suæ Legationis ex commissione generali vel speciali Summi Pontificis.

456 5to. Abbates, Presbyteri simplices, aliique inferiores Clerici, sine speciali commissione non possunt concedere indulgentias; tùm quia Cap. *Accedentibus.* De excessib. Prælat. arguuntur Abbates, qui, suis finibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis extendunt, concedendo etiam litteras Indulgentiarum; tùm quia dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Ecclesiæ Principibus, quales sunt soli Episcopi & Sumus Pontifex, qui est supremus totius Ecclesiæ Princeps. Neque obest, quòd primis Ecclesiæ Sæculis Martyres (inter quos haud dubiè erant aliqui Sacerdotes simplices & Laici) lapsis Indulgentias concesserint; nam eas non auctoritate propria & immediatè, sed tantùm intercessione & precibus apud Episcopos interpositis largiebantur.

6to. Ad Indulgentias conferendas non 457
requiritur potestas Ordinis, sed sufficit potestas jurisdictionis. Id patet ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ permittit Episcopis electis & nondum consecratis Indulgentias conferre, quia jurisdictio jam est penes Episcopum electum. Hinc potestas concedendi Indulgentias Clerico inferiori validè potest delegari, utpotè capaci hujus jurisdictionis spiritualis. Nec obstat, si dicatur, quòd facultas concedendi Indulgentias pertineat ad potestatem clavium, quæ non tantùm est Jurisdictionis, sed etiam Ordinis. Nam facultas hæc concedendi Indulgentias pertinet quidem ad potestatem clavium, sed inadæquatam duntaxat & partialem, ratione jurisdictionis nimirùm, non verò adæquatam & totalem, & ratione etiam Ordinis.

§. V.

De iis, quibus prodesse possunt Indulgentiæ. 458

De Fidelibus viventibus nullus hîc est nobis sermo; nam quæ hactenùs à nobis de Indulgentiis dicta sunt, viventes spectant, non alios. De solis igitur defunctis hîc movetur quæstio; quibus Indulgentias æquè parùm prodesse, ac viventibus ajunt Lutherani & Calvinistæ.

Eorum errori unanimiter contradicunt Catholici, qui tamen non omninò inter se conveniunt de modo, quo Indulgentiæ animabus in purgatorio prosint, an videlicet per modum *absolutionis Judiciariæ*, an per modum *suffragii* tantùm. Indulgentia datur per modum *absolutionis*, cùm Indulgentiam concedens proximè & immediatè remittit pœnam tanquam Minister Dei, & Judex ejus tenens locum, interim solvens justitiæ

divinæ

divinæ ex thesauro sibi commisso. Indulgentia verò datur tantùm per modum suffragii, cùm Indulgentiam concedens non remittit pœnam, sed offert Deo pretium ex thesauro meritorum & Satisfactionum Christi & Sanctorum, ut ipse remittat pœnam suæ justitiæ debitam.

459 CONCLUSIO I.

Indulgentiæ prosunt animabus in purgatorio detentis.

Prob. 1mo. Ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ nonnunquam Indulgentias pro mortuis elargitur. Atqui Ecclesia in re tanti momenti errare non potest, nec Fideles decipere. Ergo Indulgentiæ prosunt defunctis. Maj. patet ex Constitutionibus Summorum Pontificum, ut Paschalis I. Sixti IV. Innocentii VIII. Pii II. &c. qui Indulgentias defunctis applicandas concessêre consentientibus & approbantibus universis Episcopis. Hinc Leo X. in Bulla contra Lutheri errores hanc damnavit propositionem: *Sex generibus hominum Indulgentiæ non sunt necessariæ nec utiles, videlicet mortuis, &c.* Min. ex alibi passim dictis etiam aperta est. &c.

460 Prob. 2do. Suffragia vivorum, id est, Orationes, Eleemosynæ, & alia bona & satisfactoria opera pro defunctis oblata, ipsis prosunt ad remissionem pœnarum temporalium, ut constat ex Scriptura & Traditione. Ergo illis quoque prosunt Indulgentiæ ab Ecclesia concessæ, cùm sint quoddam suffragium; nam eadem est ratio, nempè quòd sit communicatio bonorum spiritualium inter membra Ecclesiæ: Defuncti enim in statu gratiæ cum vivis ejusdem fidei & charitatis vinculô conjuncti unam Ecclesiam & unum Corpus efficiunt: *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia*, inquit S. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 9. Et verò si privati homines juvare possunt defunctos tanquam membra ejusdem Corporis suis propriis satisfactionibus per modum suffragii, quod alibi ostendimus; cur eosdem juvare non posset Summus Pontifex, publica auctoritate, de satisfactionibus Christi & Sanctorum, quæ sunt in spirituali Ecclesiæ thesauro, cujus supremus dispensator ipse est?

CONCLUSIO II. 461

Indulgentiæ prosunt defunctis per modum suffragii tantùm, non verò per modum absolutionis judiciariæ.

Constare videtur hæc Conclusio; quia Ecclesia judicium exercere non potest in eos, qui ejus clavibus & jurisdictioni non subjacent. Atqui tales sunt defuncti. Hinc est, quòd, cùm Summi Pontifices Indulgentias ad mortuos Fideles extendunt, ordinariè hanc addant clausulam: *Per modum suffragii.*

Quò tamen Indulgentiæ defunctis prosint sequentia veniunt notanda. 462

1mo. Debent specialiter in forma concessionis ad illos extendi. Hinc si Indulgentia generatim conceditur pro omnibus Fidelibus, in ea non comprehenduntur mortui; nam ex usu Ecclesiæ nomine *Fidelium* simpliciter soli viventes intelliguntur.

2do. Verisimilius est, Indulgentias infallibiliter valere pro iis defunctis, pro quibus à Fidelibus specialiter applicantur, idque propter pactum quoddam Dei cum Christo initum, & promissionem Christi absolutè factam Petro & ejus Successoribus Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c.* Clavis quippe semper aperit, si non errat, hoc est, si rationabiliter id intendat, alioquin inepta esset clavis, & solùm ex illius inefficacia non sequeretur effectus; quod Christi verbis planè repugnat. Deinde id omninò affirmare videtur Leo X. in Bulla *Exurge Domine.* dum dicit: Omnes tam vivos

quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pœna secundùm divinam justitiam pro peccatis suis debitâ liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet.

Nec obstat, quòd sæpiùs soleat pro una & eadem anima applicari Indulgentia plenaria; nam id fit, tùm quia non constat, an causa, ob quam Pontifex concessit Indulgentiam, sit sufficiens; tùm quia nescitur, an qui Indulgentiam plenariam alicui animæ applicavit, omnes necessarias conditiones impleverit; tùm denique, quia ignoratur, an non ob peculiarem causam Deus circa hanc vel illam animam exceptionem facere velit, &c.

463 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 1mam Conclus. Potestas concedendi Indulgentias est potestas clavium. Atqui potestas clavium non se extendit ad defunctos. Ergo nec potestas concedendi Indulgentias.

Resp. Dist. min. Atqui potestas clavium non se extendit ad defunctos, quatenùs est præcisè potestas ligandi atque solvendi, conc. Quatenùs est potestas dispensativa thesauri spiritualis Ecclesiæ, ad quam pertinent animæ defunctorum, neg. min. & cons. Potestas quippe clavium non est solùm potestas ligandi aut solvendi, sed etiam potestas dispensativa thesauri Ecclesiæ: nam potestas clavium est potestas aperiendi cœlum, ac proinde tollendi omne impedimentum consequendæ beatitudinis, qualis est reatus pœnæ temporalis retardans hanc consecutionem: hoc autem impedimentum tollitur per dispensationem thesauri Indulgentiarum.

464 Ob. 2do. Concilium Trident. nullam facit mentionem Indulgentiarum pro mortuis. Ergo iis non prosunt.

Resp. neg. cons. Quamvis Concilium Trid. expressam Indulgentiæ pro mortuis non fecerit mentionem, sufficienter tamen docuit, saltem implicitè, Indulgentias pro mortuis concessas ipsis prodesse, quando generatim definivit, Indulgentias ab Ecclesia concessas esse utiles. Atqui Ecclesia non solùm pro vivis, sed etiam pro mortuis Indulgentias concedit.

Ob. 3tio. Sententia definitiva lata est 465 de pœnis purgatorii subeundis. Ergo illæ pœnæ non possunt ampliùs remitti.

Resp. Dist. ant. Sententia definitiva conditionata, conc. Absoluta, neg. ant. & cons. Sententia de pœnis purgatorii subeundis nunquam est omninò absoluta, sed includit hanc conditionem: ut anima tamdiu pœnas patiatur, nisi ipsi applicentur alienæ satisfactiones, quibus fiat solutio divinæ justitiæ; quare, cùm anima pœnis illis liberatur, non revocatur propterea prior sententia, sed potiùs impletur, quia impleta est conditio, sub qua non diuturniores pœnæ decernebantur.

§. VI.

De Dispositionibus necessariis ad lucrandas Indulgentias. 466

Variæ à Theologis recensentur dispositiones ad fructum Indulgentiarum consequendum necessariæ.

1mo. Requiritur *status gratiæ*, saltem cùm ultimum opus completur; quia tunc applicatur Indulgentia, quæ illum exigit ex hoc generali principio; quia nempè homini Dei inimico, quamdiu in peccati statu existit, nulla fit remissio. Diximus, *saltem cùm ultimum opus completur*; nam probabilius est, quòd, ut opera injuncta valeant ad finem Indulgentiæ, necessarius non sit gratiæ sanctificantis status (nisi aliud in Bulla exprimatur) quia preces, jejunia, eleemosynæ laudem merentur & pretium habent, etiam

etiam cùm in ſtatu peccati mortalis fiunt; diſponunt enim hominem ad juſtitiam, & ad ſibi conciliandam Dei amicitiam. Hinc Confeſſio Sacramentalis neceſſaria non eſt, ut opera per Indulgentias injuncta ſint utilia; niſi fortè illa unum ſit ex injunctis operibus formaliter expreſſum his verbis: *Verè pœnitentibus ac confeſſis.* Eſt tamen neceſſaria confeſſio, priusquam effectus Indulgentiæ percipiatur tanquam medium, quo ſtatus gratiæ recuperatur, ſine quo, ex dictis, Indulgentiæ fructus non poteſt percipi. Cæterum omnis abeſſe debet actualis ad peccatum affectus, dum injuncta & præſcripta opera peraguntur; quia nemo cum affectu peccati mortalis apud Deum aliquid impetrare, aut ei ſatisfacere poteſt.

467 2do. Requiritur integra executio omnis boni operis à Pontifice præſcripti; quia Indulgentia non conceditur niſi ſub tali conditione, qua ſimpliciter non impleta, nihil obtinetur. Hinc qui etiam inculpatè, nempè vel ex abſoluta impotentia, vel oblivione aut ignorantia invincibili omittit opus aliquod injunctum, vel partem ejus ſaltem notabilem, nihil Indulgentiæ conſequitur. Quare Litteræ Indulgentiarum Sacerdotibus facultatem conferunt, ut infirmis, vel aliâ legitimâ causâ impeditis vel differant Indulgentias, vel quædam ex injunctis operibus in alia convertant.

Porro circa opera ordinariè præſcribi ſolita ad lucrandas Indulgentias, ùt ſunt confeſſio, oratio, jejunium, & eleemoſyna, ſequentia veniunt notanda. 1mo. Cùm in Bulla conceditur Indulgentia *contritis & confeſſis*, ad eam lucrandam juxta multos confeſſio non eſt neceſſaria habenti ſola venialia; quia putant eam deſignari tantùm ut medium ad gratiam & remiſſionem culpæ obtinendam. At alii plures probabiliùs contradicunt; quia tunc confeſſio requiritur tanquam unum ex præſcriptis operibus. Quare tutius eſt confiteri, idque conſentaneum eſt praxi Fidelium, præſertim tempore Jubilæi. 2do. Oratio, & quidem vocalis, pia & devota, nec voluntariis diſtractionibus admixta requiritur. Fieri debet per aliquod tempus in loco, tempore, ac cum intentione, in Bulla deſignatis. Locus eſt ordinariè, ubi Indulgentia conceditur, vel ab Epiſcopo deſignatur. Tempus eſt inter utrasque veſperas. Intentio eſt pax inter Principes Chriſtianos, extirpatio hæreſum, hæreticorum & infidelium converſio, exaltatio S. Matris Eccleſiæ, ſpirituale bonum Papæ, &, ſi quæ additur, alia. 3tio. Modus ſervandi jejunium eſt ille, quem ſingulæ provinciæ ſervant in jejuniis Eccleſiaſticis. 4to. Eleemoſyna debet eſſe corporalis: Si quantitas eleemoſynæ in Bulla non determinetur, æſtimari debet juxta regulas prudentiæ cum aliqua proportione ad dantis facultatem: undè leviſſima eleemoſyna data à divite non ſufficit. Si in Bulla dicatur, *Prout unicuique devotio & charitas ſuggeſſerint*, tunc habenda eſt ratio dictaminis interni ſuadentis plus vel minus.

3tio. Ad conſequendam Indulgentiam 468
plenariam omnium peccatorum, etiam venialium, requiritur deteſtatio illorum omnium, & depoſitio affectûs ad quodlibet eorum; nam pœna peccato debita non remittitur niſi ſimul culpa remittatur: nullum autem peccatum, etiam veniale, remittitur quoad culpam ſine deteſtatione, ſaltem virtuali, illius. Quàm pauci igitur Indulgentiam plenariam conſequuntur!

Præter has tres enumeratas diſpoſitio- 469
nes ſeu conditiones ad Indulgentiarum fructum conſequendum neceſſarias, Cajetanus, Navarrus, Reginaldus, & alii Theologi; necnon Epiſcopi in Catechismis & Indulgentiarum diplomatibus ſua auctoritate editis, adhuc requirunt propoſitum & ſollicitudinem ſatisfaciendi Deo per ſatisfactiones congruas peccatis ac

ac facultati pœnitentis proportionatas, ita ut ex proportione hujus sollicitudinis tanquam dispositionis ad Indulgentiæ effectum necessariæ percipiatur major vel minor Indulgentiæ fructus. Hanc suam opinionem probant 1mo. Quia extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, opera pia & pœnalia, quibus Deo satisfieri possit, prout explicat Concil. Trid. Sess. 14. c. 8. à quo præcepto Ecclesia dispensare nequit. Et idem Concil. Sess. 6. c. 14. docet generaliter, pœnitentiam Christiani lapsi, præter contritionem & confessionem, necessariò continere satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, &c. Atqui, inquiunt, valdè enervaretur, & ferè tolleretur illa congrua satisfactio, si Indulgentia plenaria plurimorum peccatorum obtineretur dumtaxat per pauca aliqua opera, non valdè ardua, ut per visitationem Ecclesiæ, &c. 2do. Thesaurus Indulgentiarum à Christo concessus non est ad tollenda opera satisfactoria, cùm ea præceperit, aut ad fovendum torporem Fidelium; sed ad supplendam eorum impotentiam & infirmitatem: alioquin, inquiunt, Indulgentia redundaret non in ædificationem, sed in destructionem. 3tio. Gregorius VII. Lincolniensi Indulgentiam concessit ea tantùm lege, ut pro viribus satisfaceret: *Absolutionem prætereà peccatorum tuorum*, ait, *sicut rogasti, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantùm valueris corporis tui habitaculum DEO mundum Templum exhibueris. Ut appareat*, inquit Baronius hoc referens ad annum 1073. *Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantùm suppetunt vires, benè operari, non prætermittunt: non autem ignavis, otiosis, ex negligentia torpescentibus.* Undè etiam S. Cyprianus pluribus in locis vult iis non indulgendum, pro quibus intercedebant Martyres, nisi & ipsi studerent laboriosis pœnitentiæ operibus Deum placare, & justitiæ divinæ satisfacere.

Bellarminus verò lib. 1. de Indulgentiis c. 13. Suarez Disp. 52. Sect. 11. & alii asserunt tale propositum satisfaciendi non requiri; quia, inquiunt, Indulgentiæ dantur locô satisfactionis; quando enim quis pro debito solutionem offert, creditor jus non habet exigendi ab eo, ut ex proprio ære solvat. Atqui Ecclesia in nostra hypothesi aperit suum thesaurum, ut pro pœnitentibus ex satisfactionibus Christi & Sanctorum solvat. Ergo frustrà ab iis requiritur, ut propriis operibus satisfaciant.

§. VII.

De causis, propter quas dari possint Indulgentiæ. 47

De causa finali seu motivo Indulgentiarum potissimùm hîc agitur. Causa verò generalis omnium Indulgentiarum est, ut cedant in gloriam Dei, & utilitatem Ecclesiæ.

Indulgentias sine justa causa ac rationabili concessas irritas esse, ac nullas, in confesso est apud omnes; tùm quia in Extrav. Clementis VI. cùm dicitur Summus Pontifex habere potestatem dispensandi thesaurum Indulgentiarum, additur: *Ex piis & rationabilibus causis*; tùm quia Martinus V. in Constitutione edita in Concilio Constantiensi suspectos de hæresi interrogari vult, *Utrum credant Summum Pontificem habere potestatem concedendi Indulgentias Ex pia & justa causa*; tùm denique, quia Summus Pontifex & Episcopi Ministri dumtaxat, Dispensatores, & Oeconomi sunt bonorum Ecclesiæ, non verò Domini 1. Corinth. 4. fidelis autem Dispensatoris potestas non est absoluta sed subordinata voluntati Domini, atque dissipator, non Dispen-

Diſpenſator haberi debet ille, qui contra Domini ſui voluntatem ac nulla de cauſa bona ejus diffundit ac diſperdit: Nulla ergo eſt, ſed irrita diſpenſatio, quæ fit ſine cauſa. Undè S. Cyprianus Serm. de lapſis, graviter invehitur adversùs ejusmodi Diſpenſatores: *Contra Domini ac Dei legem*, inquit, *temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, nihil profutura accipientibus.*

471 Porro cauſæ juſtæ ac legitimæ concedendi Indulgentias ſunt ſequentes: 1ma. Hæc generalis, *Ut cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas vehementiùs incaleſcat;* ut loquitur Clemens VI. in ſæpè laudata Extrav. *Unigenitus*. 2da. Magnitudo doloris & acerbitas triſtitiæ in pœnitente ob diutiùs dilatam ejus cum Eccleſia reconciliationem, quo motivo ductus Apoſtolus voluit Corinthium inceſtûs reum poſt unius anni pœnitentiam communioni reſtitui. 3tia. Ardens ſtudium exequendi pœnitentiam injunctam, cujus intuitu pœnitentiæ tempus interdùm fuit contractum. 4ta. Difficultas exequendi pœnitentiam injunctam, ſeu propter longinquum iter, ſeu propter infirmitatem; ut patet ex Concilio Tribirienſi an. 895. celebrato. 5ta. Infidelium converſio, hæreſum extirpatio, pax & tranquillitas Reipublicæ Chriſtianæ, bellum ſacrum ad recuperandam terram ſanctam, Baſilicarum conſtructio, pauperum, viduarum, Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio, &c.

Sed jam oritur quæſtio inter Theologos valdè controverſa, an ſcilicet ad valorem Indulgentiæ requiratur cauſa proportionata Indulgentiæ, quæ conceditur, ita ut pro majori Indulgentia gravior cauſa requiratur; an verò pro opere minimo dari poſſit Indulgentia maxima? Poſterius tenent graves Auctores, ut Durandus, Paludanus, & S. Antoninus 1. part. tit. 10. c. 3. §. 1. aliique. Pro priori ſtant plurimi cum Bellarmino, qui hanc ſuam ſententiam *communiorem* dicit. Cum quibus ſit

CONCLUSIO. 472

Ad valorem Indulgentiæ requiritur cauſa proportionata Indulgentiæ, quæ conceditur, nempe major cauſa pro majore Indulgentia.

Prob. 1mo. Quia abuſus videtur eſſe vocabulorum requirere ad valorem Indulgentiæ & admittere opus leviſſimum; non enim juſta cauſa dici poteſt, quæ nullum habet proportionem cum effectu.

2do. Non ſolum infidelis diſpenſator dicitur, qui nulla de cauſa donat bona Domini ſui; ſed etiam qui pro minima profundit & prodigit pretioſos Domini ſui theſauros.

3tio. Si pro quacumque pia cauſa conceſſæ Indulgentiæ ratæ forent, nullæ unquam dici poſſent *ſuperfluæ & indiſcretæ*, cùm ſemper ſit in promptu aliqua pia cauſa, quæ allegari poſſit. Atqui hoc repugnat Concilio Lateranenſi IV. Can. 62. ubi Indulgentiæ à quibusdam Epiſcopis conceſſæ reprehenduntur tanquam indiſcretæ & ſuperfluæ, id eſt, ſine juſta & proportionata cauſa conceſſæ, ac proindè inanes.

Cæterùm ad proportionem cauſæ cum Indulgentia non requiritur, ut opus injunctum ſit in ſe valdè meritorium, vel ſatisfactorium, difficile ac pœnale, necnon laborioſum (quamvis tamen hæc ſpectari debeant) ſed ut ſit medium aptum atque utile ad conſequendum finem, cujus gratiâ conceditur Indulgentia. Itaque fieri poteſt, ut per opus in ſe leve ac facile magna Indulgentia acquiri poſſit; quia tale opus medium eſt ad finem Deo gratiſſimum obtinendum. Talis eſt v. g. aſſiſtentia illa præ foribus Baſilicæ S. Petri Romæ, dum Summus Pon- 473

tifex in die Paschatis solemni cæremoniâ populo benedicit; frequentia enim populi ea in circumstantia medium est aptum & utile ad protestationem fidei de visibili Ecclesiæ Capite.

474 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Indulgentiæ non nituntur justâ causâ operis injuncti, sed infinitis Christi satisfactionibus, quæ semper sunt causa sufficiens imò transcendens omnem Indulgentiæ concessionem. Ergo ad valorem Indulgentiæ non requiritur alia causa proportionata.

Resp. Dist. ant. Indulgentiæ nituntur infinitis Christi satisfactionibus, quæ tamen non possint sine justa causa applicari per ejus Ministros, conc. Secùs Neg. ant. propter rationes in Conclusione allatas. Indulgentiæ nituntur quidem, veluti fundamentô, meritorum & satisfactionum Christi ac Sanctorum thesaurô; sed ille thesaurus non potest validè sine rationabili causa dispensari per Ministros, qui non sunt illius Domini, sed tantùm Dispensatores.

475 Ob. 2do. In veteri Ecclesia ad petitionem Martyrum concedebantur ab Episcopis Indulgentiæ sine injuncto opere. Ergo &c.

Resp. Concedebantur quidem Indulgentiæ antiquitùs sine novo opere injuncto, sed tantùm iis, qui jam aliquo tempore cum fervore pœnitentiam publicam egerant, & quam nondùm integrè impleverant: ardens autem studium exequendi pœnitentiam injunctam sufficiens causa fuit concedendi Indulgentias, prout suprà jam observavimus.

476 Ob. 3tio. Ex communi axiomate, Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant. Ergo non valent secundùm proportionem causæ, sed tantùm juxta intentionem concedentis exteriùs significatam.

Resp. Dist. ant. Tantùm valent, quantùm sonant, *clave non errante*, id est, si habeant omnes requisitas conditiones tùm ex parte concedentis, tùm ex parte suscipientis, conc. Secùs neg. ant. Ex parte autem concedentis præter auctoritatem requiritur in causa pietas & æquitas; quia potestas largiendi Indulgentias pendet à causa legitima.

Ob. 4to. Pro eadem causa interdùm 477
conceduntur inæquales Indulgentiæ, modò minores, modò majores. Atqui hoc non fieret, si causa proportionata requireretur. Ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Pro eadem causa, quæ physicè est eadem conceduntur &c. conc. Quæ moraliter & consideratis omnibus circumstantiis est eadem, neg. maj. Porro idem physicè opus potest esse diversum moraliter pro diversitate personarum, locorum, temporum, &c. Sic v. g. eadem physicè eleemosyna urgente magna necessitate est moraliter diversa ab eadem physicè eleemosyna in levi necessitate data.

Ob. 5to. Si necesse sit causam Indul- 478
gentiarum eisdem respondere, perpetua erit, Fidelium anxietas de sufficientia causæ, & consequenter de valore Indulgentiæ. Absurdum consequens. Ergo &c.

Resp. Non majorem esse debere anxietatem circa legitimam Indulgentiarum causam, quàm circa veritatem seu validitatem Sacramentorum; par enim est ratio; atque tamdiu debent inferiores præsumere æquissimum fuisse Superiorum judicium, quamdiu non deprehenditur in contrarium manifestus error.

§. VIII.

De variis Indulgentiarum speciebus. 47[illegible]

Multiplex distinguitur species Indulgentiarum: dividuntur quippe in plenarias, & partiales; temporales, & perpetuas; in eas, quæ dicuntur Jubilæi, &

& eas, quæ ad inſtar Jubilæi conceduntur. De ſingulis breviter nobis agendum. Igitur

1mo. *Plenaria* Indulgentia eſt ea, quæ ſufficit tollendæ toti pœnæ poſt culpam dimiſſam tolerandæ ſeu reſtanti. Maldonatus de Indulg. q. 4. obſervat, ſolitos non fuiſſe Veteres ante bellum ſacrum contra Turcas Hieroſolymitanos, Albigenſes Hæreticos, plenarias ac generales hujusmodi concedere Indulgentias; ſed ſpecialiter, imò ſingillatim causâ cognitâ huic vel illi, qui hoc vel illud feciſſet. Fatetur ipſe Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 12. *Veteres parciſſimos fuiſſe in Indulgentiis conferendis.* Abſit tamen, ut quis improbet uſum illum Indulgentiæ plenariæ, qui jam diu in Eccleſia obtinet, & cujus adeò illuſtre extat exemplum in Conciliis Lateranenſi & Claromontano in gratiam eorum, qui ſuis impenſis arma ſuſciperent, & Hieroſolymam tenderent, vel cum certo militum numero quadraginta diebus pugnâſſent contra Albigenſes.

480 2do. Indulgentia *partialis* ea dicitur, quæ condonat tantùm partem aliquam pœnæ peccatis debitæ, ad certum dierum vel annorum numerum condonatæ pœnitentiæ reſtringitur. Alludit ſcilicet forma illa Indulgentiarum tot dierum vel annorum ad veterem diſciplinam, quando vi Canonum pœnitentialium agenda erat pœnitentia per tot dies vel annos. Undè ſcitè obſervat Eſtius in 4. Diſt. 20. §. 10. dies illos vel annos referendos non eſſe ad pœnam luendam in purgatorio, quaſi v. g. quadragena quadraginti dierum Indulgentia tollat pœnâ quadraginta dierum futuri Sæculi, ſed ad pœnitentiam in hoc Sæculo pro peccatis ſecundũ Canones debitam. Ex quibus facile eſt intelligere, dies & annos Indulgentiarum directè referri ad pœnam in hoc Sæculo exolvendam, indirectè verò ſeu conſequenter ad pœnam purgatorii; quia omnis Indulgentia minuendo pœnam ab Eccleſia injunctam minuit etiam partem pœnæ, quæ eidem in altera vita ſecundùm menſuram ſoli Deo cognitam reſpondet.

Sed quæritur hîc, quo demùm ſenſu accipiendi ſint anni, qui in partiali Indulgentia aliquando numerantur usque ad centum, mille, aliquando etiam viginti aut triginta millia; cùm pœnitentia Canonica ad tot annos non potuerit extendi?

Quidam opinati ſunt, ejusmodi annorum exaggerationem excogitatam fuiſſe à quæſtuariis ad faciliùs emungendas Fidelium pecunias; cùm in litteris Apoſtolicis tam enormis non legatur numerus. Rectò tamen ſenſu ejusmodi numerus, quantumcumque enormis, intelligi poteſt de pœnis Canonicis, quas inſignes peccatores exolvere non poſſent etiam per mille annos, aut per viginti millia annorum; ſi enim pro peccato ſemel tantùm commiſſo, putà blasphemiâ, Sacrilegiô, homicidiô, &c. pœna canonica eſt ſeptem vel viginti annorum, qui in omnia flagitiorum genera lapſus eſt, eaque per diuturnum tempus & quàm ſæpiſſimè iteravit, reus eſt pœnæ plurium millium annorum.

3tio. Indulgentia *perpetua* conceditur 481 ſine ulla determinatione temporis, & quam quisque toties lucrari poteſt, quoties rem injunctam exequitur eo, quo par eſt, religionis ac pietatis animo. Illa verò, quæ perpetua non eſt ſed *temporalis*, datur ad tempus aliquod, quo durante percipi poteſt, & eo expleto ceſſat.

4to. *Jubilæus* omnium maxima eſt 482 indulgentia. Nomen accepit à celebri Judæorum Jubilæo, in quo generalis fiebat remiſſio, Lev. 25. 28. & ſeq. Quia Judæi quolibet anno quinquageſimo redibant ad poſſeſſiones ſuas, ſi fortè neceſſitate compulſi eas vendidiſſent; à debitis abſolvebantur omnibus; ſervi cum liberis ſuis libertate donabantur; &c.

Ad

483 Ad normam hujus veteris Hebræorum Jubilæi instituta est Christianorum Jubilæi Indulgentia, occasione data ineuntis Sæculi à Bonifacio VIII. solemniter fuit publicata annô 1300. octavô Calendas Martii, & quolibet centesimo anno in posterum concedendam Summus ille Pontifex definivit. Tunc autem tantæ Indulgentiæ fructus ab iis solùm obtinebatur, qui eo anno Romam petebant, & SS. Petri & Pauli Basilicas, aliasque à Summo Pontifice designatas in ipsa urbe Roma Ecclesias visitabant. At nunc per totum orbem conceditur Fidelibus, modò Summo Pontifici, & Ordinario Jubilæi Bullam promulganti, ut par est, obsequentes, quæ ipsis præscripta fuerint, fideliter exequantur.

484 Clemens VI. apud se reputans vitæ hominum brevitatem Jubilæum quolibet anno quinquagesimo celebrandum statuit annô 1349. Urbanus VI. subindè in honorem triginta trium annorum, quibus Salvator noster cum hominibus, prout communis fert traditio, conversatus est, Jubilæum quolibet trigesimo tertio anno celebrandum designavit annô 1389. Paulus II. autem quolibet vigesimô quinto anno publicandum definire volebat; at quod, morte præventus, executioni mandare nequivit, hoc Sixtus IV. ejus Successor decrevit annô 1473. Qui usus ab eo tempore in Ecclesia hucusque semper viguit.

Indulgentia plenaria Jubilæi, præter integræ temporalis pœnæ relaxationem, quæ omnibus plenariis Indulgentiis propria est, multis aliundè expressis in Bulla privilegiis decoratur; inter quæ illud, quod Confessarios spectat, hîc annotari meretur; ipsos scilicet hac data occasione absolvere posse Fideles ab omnibus peccatis aliàs reservatis, atque etiam à Censuris ad effectum Jubilæi tantùm consequendum; non autem possunt dispensare ab Irregularitatibus, neque etim vota commutare saltem omnia.

Porro observandum, quòd, dùm Romæ celebratur Jubilæus quolibet vigesimo quinto anno indictus, omnes aliæ extra urbem Romam concessæ Indulgentiæ etiam per modum Jubilæi datæ suspendantur, nisi ex rescripto peculiari Bullæ Jubilæi derogatum sit.

5to. Indulgentia *ad instar Jubilæi* ea 485
dicitur, quam Summi Pontifices extra annum vigesimum quintum cujuslibet Sæculi recurrentem tùm initiô sui Pontificatûs, tùm aliquibus gravibus de causis solent concedere.

Diximus suprà *Confessarios non posse commutare vota saltem omnia.* Datur quippe eis in Jubilæo facultas commutandi vota simplicia in alia pietatis opera, exceptis tamen votis ingrediendi Religionem & castitatis perpetuæ.

Quæ verò observanda sint tempore Jubilæi; quomodò Confessarii possint commutare opera injuncta, si fortè pœnitentes præ infirmitate ea perficere nequeant; aut quid observandum, si differenda sit absolutio, ne pœnitentes frustrentur Jubilæi beneficiô, superfluum est hîc exponere, cùm isthæc sigillatim in Bullis exprimantur.

Finis Tractatus quinti.

TOMI

TOMI QUARTI
TRACTATUS
SEXTUS
DE
SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

INDEX

Titulorum Tractatûs sexti Tomi quarti Theologiæ Universalis de Sacramento Extremæ Unctionis.

Procemium - - *Num.* 1.

Cap. I. An Extrema Unctio sit verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum, idque demonstrari possit tùm ex Scripturis, tùm ex usu & Traditione Ecclesiæ. - 4.

Cap. II. De Causis, hoc est, Materia, Forma, Auctore, & Ministro Sacramenti Extremæ Unctionis. - - 21.

§. I. *De Materia & Formà Sacramenti Extremæ Unctionis.* - 22.

§. II. *De Auctore Sacramenti Extremæ Unctionis.* - - 37.

§. III. *De Ministro Sacramenti Extremæ Unctionis.* - - 40.

Cap. III. De Subjecto, cui administrari debet Sacramentum Extremæ Unctionis. 49.

Cap. IV. De effectibus Extremæ Unctionis; necnon de illius proprietatibus, necessitate videlicet ac iteratione. - 59.

§. I. *De effectibus Extremæ Unctionis.* - - - 60.

§. II. *De proprietatibus Extremæ Unctionis, necessitate scilicet, iteratione, ac dispositione requisita in eo, qui eam suscipit.* 68.

TOMI

TOMI QUARTI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS SEXTUS
DE
Sacramento Extremæ Unctionis.

Proœmium.

1 SAcrum Tridentinum Concilium materiam de Sacramento Extremæ Unctionis Seff. 14. tribus capitibus & quatuor Canonibus definit: *Visum est*, inquit ibidem in proœmio, *Sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea, quæ sequuntur de Sacramento Extremæ Unctionis: quod non modò Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus.* Rectus proinde ordo debitaque methodus à nobis postulant, ut, expositis priori Tractatu iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, Sacri Concilii Tridentini vestigiis insistentes, modò de Sacramento Extremæ Unctionis Sermonem instituamus, quippè quod, prout primùm ex eodem Concilio recensuimus, Pœnitentiæ supplementum sit, perfectio & consummatio.

Sacramentum hoc communi & trita appellatione dicitur *Extrema Unctio*; 2
quia infirmis in exitu, seu in extremo vitæ periculo constitutis solet administrari, undè etiam *Sacramentum exeuntium* dictum asserit Concilium Tridentinum cit. Seff. cap. 3. Et etiam quia, cùm multæ in Ecclesia unctiones sint in usu (*a*), hæc ordine est postrema.

(*a*) Prima est unctio Catechumenorum quos Sacerdos, antequam eos baptizet, ungit in pectore, & inter scapulas, idque oleô simplici benedictô. 2da. Qua idem baptizatos ungit Chrismate in

Dicitur 2do. à Græcis *Oleum sanctum*, quia precibus & Ecclesiæ benedictione sanctum effectum est, & homines unctione reddit sanctos. Passim etiam apud ipsos dicitur *Oleum cum oratione*; eò quòd oratio hujus olei unctionem semper comitetur, juxta verba Jacobi Apostoli in sua Epistola Catholica cap. 5. vers. 14.

Dicitur 3tio. à Subjecto, cui ministratur, Unctio infirmorum. 4to. Denique, prout ex Concilio Tridentino primùm adducto retulimus, dicitur pœnitentiæ imò & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum Sacramentum.

3 Definiri verò potest Extrema Unctio *Sacramentum unctionis infirmorum à Christo Domino institutum ad sanitatem mentis & corporis precibus Sacerdotum obtinendam, per infusionem gratiæ sanctificantis; & sanationem morborum, ubi animarum saluti expedit.*

Porro de hoc Sacramento secundùm omnes suas partes & conditiones necessarias sic definito quatuor duntaxat capitibus differemus. In 1mo. definiemus, an sit verum Novæ Legis Sacramentum. In 2do. agemus de illius causis, materia, forma, auctore, & ministro scilicet. In 3tio. De Subjecto, cui administrari debet istud Extremæ Unctionis Sacramentum. In 4to. denique de effectibus & proprietatibus, necessitate nimirùm & iteratione Extremæ Unctionis. Sit igitur

4 CAPUT PRIMUM.

An Extrema unctio sit verum & propriè dictum Legis novæ Sacramentum; idque demonstrari possit tùm ex Scripturis, tùm ex usu ac traditione Ecclesiæ.

LUtherus & Calvinus primi apertè Sæculô decimô sextô negârunt Extremam Unctionem esse Sacramentum propriè dictum; de ea enim sic scribit Lutherus lib. de captiv. Babylonica: *Omitto enim, quòd hanc Epistolam* (quæ scilicet S. Jacobo Apostolo tribuitur, & ex qua argumentum pro Sacramento Extremæ Unctionis promitur) *non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam multi valdè probabiliter asserant, licèt consuetudine auctoritatem, cujuscumque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset Apostoli, dicerem non licere Apostolo*

in summo vertice. 3tia. Qua ab Episcopo unguntur in fronte ii, qui confirmantur. 4ta. Qua eodem Chrismate Sacerdotum manus, Episcoporum verò & caput & manus in sua Ordinatione inunguntur. 5ta. Qua juxta Innocentium III. Principes sæculares in humero vel brachio unguntur, non quidem Chrismate, sed oleô tantùm. 6ta. Quæ adhibetur in altaris, templi, calicis, &c consecratione, juxta eundem Innocentium III. Postrema denique, de qua hìc agimus, est ea, quæ infirmis exeuntibus datur in præsidium ac tutamen contra Dæmonis impetus.

Refert Venerabilis Beda in c. 6. S. Marci, & 8. S. Lucæ, energumenos olim sacri olei unctione curari solitos fuisse. Pariter corpora mortuorum inuncta fuisse colligimus ex Evangelio Marci 16. & aliis veteribus monumentis. At inter has omnes unctiones sola Confirmatio, & Extrema Unctio inter Sacramenta novæ Legis numerantur: reliquæ vel sunt tantùm quædam Sacramentalia, vel nudæ cæremoniæ.

lo sua auctoritate Sacramentum instituere; hoc enim ad Christum solum pertinebat.

Calvinus verò lib. 4. Institut. c. 19. §. 18. *Fictitium*, inquit, *Sacramentum est Extrema Unctio, histrionica hypocrisis, qua citra rationem & sine fructu Apostolos referre volunt* (Sacerdotes Catholici) contendit scilicet unctionem, de qua S. Jacobus, pertinuisse ad donum curationum, quod Apostoli non transmiserunt ad suos Successores; ex quo concludit Sacerdotes hodiernos nimia temeritate & arrogantia uti ejusmodi unctione ad sanandos infirmos.

Equidem nonnulli etiam inter Catholicos contendunt Waldenses Sæculô XII. Wiclefum Sæculô XIV. & post ipsum Sæculô videlicet XV. ineunte Joannem Huss, à quo Hussitæ, eo in capite Luthero & Calvino eorumque sequacibus præivisse; sed immeritò; nec enim hi hæretici Extremam Unctionem ex Albo Sacramentorum expunxerunt; quamvis propter abusus quosdam, quos in illius administratione deprehendere sibi visi sunt, ipsum Sacramentum contemnerent. Nam 1mo. Waldenses in professione fidei, quam Regi Uladislao obtulerunt septem Sacramenta confitentur: *Sacramenta*, ajunt, *septenariô inclusa numerô Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus.* Ibidem etiam duplicem agnoscunt in Extrema Unctione effectum: *Ægrotantium unctio*, inquiunt, *duo in se tenet: primum, causam facilioris ingressus ad languentes: hac re Sacramentum non est. Alterum est res ipsa signata tali unctione, quæ tribuitur à Deo in Christo. Pro qua re in recta fide, ut languenti fideli id condonetur præcipuè orandum est, Beati Jacobi præceptô, Infirmatur quis in vobis.* Et in hac fide permanserunt, donec à Calvinistis seducti fuere (*b*), prout probat Meldensis Episcopus Bossuetius Hist. variat. Eccles. Protest. lib. 11.

6 Illud autem in Extremæ Unctionis ritu præcipuè carpebant Waldenses, quod scilicet nonnisi pro pretio ab aliquibus Sacerdotibus daretur, adeoque eâ pauperes privarentur, & solùm divites eam acciperent; & quòd ab uno solo Sacerdote daretur, contra præceptum S. Jacobi, qui dixerat Sacerdotes in plurali esse inducendos ad conferendum hoc Sacramentum. Item improbabant consecrationem olei, quod, ut infrà dicemus, est hujus Sacramenti materia. Ita Reynerus lib. de Valdensibus cap. 5. Et Philedorfius lib. contra Valdenses, c. 25.

7 Et etiam nec Wiclefum nec Joannem Huss ejusque sequaces Hussitas unquam negasse Extremam Unctionem esse Novæ Legis Sacramentum, inde habetur 1mo. Quia inter articulos Wiclefi, quos Concilium Constantiense Sess. 8. specialiter & nominatim proscripsit, nihil legitur de articulo Extremæ Unctionis. 2do. Nec ipse Wiclefus errorem hunc recenset in Trialogo, licèt tamen in eo libro omnes alios, quos tuitus est, errores expresserit. Idem sanè dicendum est de ejus discipulo Joanne Huss, illiusque sequacibus Hussitis. Et certè idem Concilium Sess. 15. in qua Articulos seu errores Joannis Huss proscripsit, nihil de articulo Extremæ Unctionis meminit; meminisset utique, si ab isto Hæresiarcha ex Sacramentorum Albo expuncta fuisset; & quî ipse eam expungeret, ut qui de ea aliud non docuerit quàm Joannes Wiclefus, cujus probabat doctrinam, ut patet ex ejusdem Joannis Huss articulo 25. Sess. 15. dicti Concilii relato. Atqui, ut vidimus, Joannes Wiclefus Extremam Unctionem non expunxit ex

 Sacra-

(*b*) An, videlicet 1530.

Sacramentorum Albo. Ergo nec Joannes Hufs. Igitur contra Lutherum, Calvinum, eorumque Sectatores duntaxat hîc nobis decertandum eſt. Sit

8 CONCLUSIO.

Extrema Unctio eſt verum ac propriè dictum novæ Legis Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & à S. Jacobo Fidelibus commendatum ac promulgatum.

Pro 1mo. Ex Scriptura & quidem ex ipſo textu S. Jacobi c. 5. ſuæ Epiſtolæ (*c*), ubi, *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleô in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ex quo textu ſic conficitur argumentum: Tria ad Sacramentum propriè dictum, prout alibi paſſim inſinuavimus (*d*), requiruntur; nempe ſignum ſenſibile, promiſſio & productio gratiæ ſanctificantis, & inſtitutio divina, &c. Atqui tria hæc in Extrema Unctione reperiuntur: Et quidem 1mo. Signum ſenſibile ſeu ſymbolum externum, conſiſtens in olei unctione, & Sacerdotis oratione: *Orent ſuper eum ungentes eum oleô in nomine Domini.* 2do. Promiſſio & productio gratiæ: *Allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei,* nam peccata ſine collatione gratiæ non dimittuntur. 3tio. Inſtitutio divina ſeu Chriſti: nam ſolus Chriſtus homo Deus potuit certis rebus & verbis gratiæ promiſſionem, proindeque vim infallibilem gratiam producendi annectere.

Prob. 2do. Ex Patribus. Origenes 9
hom. 2. in Levit. recenſitis ſex modis, quibus in nova lege peccata remittuntur, ſeptimum addit poſitum in Pœnitentia completè & perfectè ſumpta, ſeu in Sacramento Pœnitentiæ ſimul & in Sacramento Extremæ Unctionis. *Eſt adhuc*, inquit, *& ſeptima, licèt dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum . . . & cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundùm eum, qui ait: Dixi, pronuntiabo adversùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei; in quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleô in nomine Domini, &c.* Duo Sacramenta, ut dictum, hîc conjungit Origenes, Pœnitentiam ſcilicet & Extremam Unctionem, quòd, prout jam in Prooemio annotavimus, iſta à Patribus ſemper habita ſit tanquam perfectio & conſummatio Pœnitentiæ; perindè ac Confirmatio dicta ab ipſis eſt conſummatio atque perfectio Baptiſmi. Atque inde fluxit Græcorum praxis, qui pœnitentes jam abſolutos in ſupplementum ſatisfactionis inungunt (*e*).

S. Joan-

(*c*) Hanc Epiſtolam eſſe Canonicam atque divina auctoritate niti demonſtravimus Tom. 1. Theolog. noſt. Tract. 1. de S. Script. part. 2. in Jacobo.

(*d*) In prooemio Tractatûs de Sacramentis in genere, ubi Sacramentum generatim ſumptum definivimus, quartum requiſitum addidimus, nempè ut ſit ſignum permanenter inſtitutum; Sacramentum autem Extremæ Unctionis eſſe permanenter inſtitutum, adeoque perpetuum & conſtans in Religione Chriſtiana, patet, tùm quia ſemper in uſu fuit, tùm quia infirmis adhibendam eſſe hanc ſacram Unctionem jubet S. Jacobus: porro inter mortales ſemper aliqui futuri ſunt infirmi, adeoque verba Apoſtoli ſpectant omnes omnium temporum Chriſtianos infirmos.

(*e*) Apud Arcudium lib. 5. de Extrema Unctione cap. 3.

S. Joannes Chrysostomus, qui Sæculô 4tô. floruit, lib. 3. de Sacerdotio sic eloquitur de potestate Sacerdotum in relaxandis peccatis: (*f*) *Neque enim solùm cùm nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur*, inquit, *quis in vobis? advocet Presbyteros Ecclesiæ, &c.* Quæ verba ex Epistola S. Jacobi deprompta sunt, quibus nostrum astruitur Extremæ Unctionis Sacramentum.

S. Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum, à quo de multis consultus fuerat, circa annum Domini 402. respondens, post cap. ult. verba S. Jacobi: *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet Presbyteros &c.* hæc subjicit: *Quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui Sanctô Oleô Chrismatis perungi possunt: quo ab Episcopo confecto non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum*, non quidem quatenus Sacramentum est, & formaliter, sed materialiter sumptô, scilicet sicut Fideles eorum temporum ad morbos curandos solebant aquam baptismalem admovere, ita & oleô per Episcopum benedictô se inungere. Sacerdotes verò eo, ut Sacramentum est, ægrotos inungebant. Et infrà: *Pœnitentibus* (publicis) *istud* (oleum Chrismatis) *infundi non potest, quia genus est Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodò unum genus putatur concedi.* Hoc testimoniô pro nostra sententia nihil clariùs afferri potest. Nec quemquam moveat, quòd S. Pontifex dicat, *Sanctô Oleô Chrismatis infirmos ungi posse*, cùm tamen nostrum oleum infirmorum simplex sit, non Chrisma; nam apud Veteres Chrisma generatim sumitur pro unctione olei sive simplicis sive compositi; *Ungi quoque necesse est*, inquit S. Cyprianus Ep. 70. ad Januarium, *eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.*

S. Augustinus in lib. quem *Speculum* nuncupat, & in quo se ea tantùm colligere ait, quæ in Novo Testamento præcipiuntur, aut vetantur, aut permittuntur, atque ad vitam piam exercendam, moresque pertinent, ex Epistola S. Jacobi ea ipsa verba commemorat, ex quibus Extremæ Unctionis Sacramentum demonstramus, nempè *Infirmatur quis &c.* Censuit igitur sua ætate Fideles advocare solitos fuisse Sacerdotes, ut ab illis inungerentur, prout præscribit S. Jacobus, ac per illam unctionem cum Sacerdotum oratione conjunctam consequerentur peccatorum remissionem, cujus S. Jacobus expresè meminit. Credidit igitur S. Augustinus unctionem illam cum oratione Sacerdotis conjunctam esse signum efficax ac practicum gratiæ sanctificantis, ac proinde verum Novæ Legis Sacramentum.

Idem S. Doctor, vel ut alii volunt, S. Cæsarius Serm. 215. de tempore veteris edit. *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat; & indè corpusculum suum ungat* (per Presbyterum) *ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis &c.*

S. Gregorius, qui floruit Sæculô 6tô. in Sacramentario, datâ operâ modum & formam præscribit, qua oleum ab Episcopo benedici, & infirmis administrari debet; atque Sacerdoti præscribit, ut ante infirmi inunctionem hanc proferat orationem: *Inungo te oleô sanctô &c.* & dum inungit infirmum, ut recitatis quibus-

(*f*) Edit. postremæ Tom. 1. pag. 384. E.

busdam Psalmis, tribus orationibus pro infirmo postulet tùm mentis tùm corporis sanitatem, &c. Atque tandem in consummatione officii de infirmorum inunctione hanc præscribit orationem ab Episcopo vel Sacerdote inungente fundendam, qua Deum precatur, *ut mittere dignetur sanctum Angelum suum, in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus suis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.*

De Thresano Sæculi 6ti. Presbytero sanctissimo refert Bollandus Tom. 2. Februarii quòd Sacramentum Extremæ Unctionis susceperit: *Oleum sanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione & humilitate suscepit.... Quæ postquam explevit, Viaticum petiit.* Ita ille ex monumentis ejusdem Sæculi 6ti. quæ præ manibus habebat.

Theodorus, qui Cantuariensis Archiepiscopus an. 668. à Vitaliano Papa ordinatus est librum Pœnitentialem edidit, ex quo Yvo Carnotensis Decreti part. 15. c. 26. hoc statutum excerpsit: *Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda confessio peccatorum.... & ... Sacra Unctione Olei inuncti secundùm statuta Sanctorum Patrum communione Viatici reficiantur.* Adjungimus hìc exemplum S. Hunegundis, quæ etiam Sæculô 7mô. vixit, de qua Surius in ejus vita cap. 14. *At illa*, inquit, *conversa ad eos, qui illic assistebant, Presbyteros, Sacræ Unctionis Oleum, & Eucharistiam sibi petiit ministrari.*

Sæculô 8vô. Grodogangus Episcopus Metensis in regula, quam Canonicis tradidit, Caput 61mum. sub hocce titulo conscripsit: *Pro infirmis orare & ungere eos præcipitur.* In eo autem capite laudat S. Jacobi sententiam: *Infirmatur quis in vobis &c.* Laudat quoque responsum Innocentii Papæ I. ad Decentium, de quo priùs egimus. Addimus hìc Excerptiones è SS. Patrum Canonibus circa an. 750. concinnatas, in quarum 21ma. hæc leguntur: *Ut secundùm definitionem SS. Patrum, si quis infirmatur, à Sacerdote oleô sanctificatô cum orationibus diligenter ungatur:* Eadem habent Capitularia Caroli Magni eodem labente Sæculô 8vô. edita. Hæc enim lib. 6. cap. 75. leguntur: *Si infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat &c.* & c. 76. hæc asseruntur: *Ut omnes Presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant Fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti, gratiâ Dei sanentur; quia oratio fidei salvabit infirmos.*

Sæculô 9nô. Paschasius Radbertus Corbeïensis Abbas lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 8. eadem comminiscitur. Et in vita Adelardi antecessoris sui de eo sic scribit: *Interim verò audiens Beatus vir Hildemanus Episcopus sanctum ægrotare Patrem, advenit illicò. Intereà cùm cœpisset idem S. Episcopus à nobis percunctari, utrum benedictionis oleô, sicut à Beato Apostolo sancitum est, deberet perungi: interrogavimus eum, utrùmne vellet? quem procul dubio sciebamus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cœlum, cominùs obsecrabat ut fieret.*

Huc etiam referri possunt Heraldi Turonensis capitula, quæ an. 856. promulgata sunt. Capitula Hincmari Remensis. Canones Isaaci Lingoniensis. Testimonium Jonæ Aurelianensis, qui librô 3. de Institut. Laicali cap. 14. sic loquitur: *Sunt item plerique, qui dum infirmantur.... non sibi Presbyteros Ecclesiæ induci, seque sanctificatô oleô, secundùm traditionem Apostolicam, & Sanctæ Ecclesiæ morem perungi non curant &c.* Quos redarguit.

Sæculô 10mô. & circa an. 940. Ælfricus Monachus jussu Wilfini Episcopi Scirburnensis in Anglia Canones edidit, quos legere est in volumine Conciliorum

Angliæ pag. 572. ubi, *Habebit,* inquit, *etiam Presbyter consecratum oleum duplex, hoc infantibus, id ægrotis præparatum: & ægrotos semper unget jacentes, &c.* Et Auctor vitæ S. Oswaldi Eboracensis Episcopi circa an. 992. demortui, de eo hæc eloquitur: *Regressus in Oratorium convocatis fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ Unctionis cum Viatico Dominici Corporis.*

Sæculô 11mô. Wibertus Archidiaconus in vita S. Leonis IX. qui obiit an. 1054. lib. 2. cap. 16. sic de eo scribit: *Perpendens non diutiùs eum retinendum carnis ergastulô, decrevit, ut, quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore, &c.* S. Lanfrancus Cantuariensis Episcopus, qui obiit an. 1089. in Decretis pro Ordine S. Benedicti cap. 23. *Si,* inquit, *infirmatus magis ad mortem, quam ad salutem tendere videatur, & se petat inungi &c. Interim dicantur collectæ usque ad unctionem: facta unctione lavet Sacerdos manus &c.*

Sæculô 12mô. Hugo à S. Victore qui obiit an. 1140. Sententiarum Tractatu cap. 5. *Est,* inquit, *& aliud Sacramentum, scilicet Unctio infirmorum, quæ fit oleô consecratô per Episcopum.* Et S. Bernardus in vita S. Malachiæ Hyberniæ Episcopi, cap. 3. *Jubet,* inquit, *se sacrô oleô ungi Ungitur; & sumptô Viaticô, fratrum se orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum revertitur.* Petrus Lombardus Magister Sententiarum dictus, qui obiit an. 1164. lib. 4. Sent. expressè agit de Extrema Unctione, variisque rationibus probat eam esse verum Novæ Legis Sacramentum. Quam sententiam omnes Patres & Doctores Seculis sequentibus ad nostra usque tempora in Ecclesia Catholica propugnaverunt.

Prob. 3tio. Ex Conciliis. Concilium Cabilonense quod an. 813. habitum est, Can. 48. hæc eloquitur: *Secundùm Beati Jacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleô, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis in vobis &c. Non est itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.* Concilium Aquisgranense, quod an. 836. celebratum est, Can. 5. sic decernit: (g) *Si autem infirmitate quis depressus fuerit, ne confessione atque oratione Sacerdotali, necnon unctione sacrati olei per ejus* (Sacerdotis) *negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo more Sacerdotali cum acceptione sacræ Communionis &c.* Concilium Moguntinum an. 847. celebratum, cap. 26. (h) *Ab infirmis,* ait, *in mortis periculo positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio. Et ideò secundùm Canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum unctione Dei animati secundùm statuta SS. Patrum communione Viatici reficiantur.* Concilium Regiaticinum an. 850. habitum, cap. 8. *Illud quoque Sacramentum,* inquit, *quod commendat Jacobus Apostolus dicens: Infirmatur quis &c. solerti prædicatione populis innotescendum est: magnum sanè ac valdè appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, & remittuntur* (peccata) *& consequenter corporalis salus restituitur &c.* Eadem veritas asseritur à Concilio Florentino an. 1438. habitô in Decreto pro Armenis.

(g) Canon iste in Capitularia Caroli Magni relatus fuit, prout suprà illum ex eis retulimus
(h) Caput istud Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus suprà citatus & ab eo Yvo Carnotensis exscripsit.

Denique Concilium Trident. Seff. 14. de Extrema Unctione Cap. 1. & Can. 1. fic definit: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.*

11 Prob. 4to. Ex perpetua & conftanti Ecclefiæ praxi in adminiftranda infirmis Extrema Unctione, quæ conftat ex hactenus adductis Patrum & Conciliorum teftimoniis.

Prob. denique Ratione ex providentia divina defumpta, quam tradit Concilium Tridentinum Seff. 14. in procemio doctrinæ de Extrema Unctione, his verbis: *Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodùm auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita Extremæ Unctionis Sacramentô finem vitæ, tanquam firmissimô quodam præsidiô munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitùs, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.*

12 Solvuntur Objectiones.

Ob. 1mo. Unctio, de qua loquitur Jacobus in fua Epiftola cap. 5. non aliud fuit, quàm fignum, quod evanuit, ex quo defiit miraculofa infirmorum curatio. Ergo non eft Sacramentum, cùm Sacramentum debeat effe fignum permanens ac ftabile, prout in procemio Tract. de Sacram. in genere illud definivimus.

Refp. neg. ant. Equidem paulò poft Apoftolorum ætatem defiit in Ecclefia externarum curationum gratia; non tamen defiit unctio, de qua hîc agimus: namque illius meminerunt Origenes, cæterique Patres, Concilia & Scriptores à nobis in Conclufione allegati.

Ob. 2do. Scriptura nullibi refert à Chrifto inftitutam fuiffe Extremam Unctionem. Ergo non eft Sacramentum &c. 13

Refp. neg. conf. Quia non omnia dicta & facta Chrifti referuntur in Scriptura, & multa ex fola traditione habemus. Chriftus autem hoc Sacramentum poft refurrectionem fuam inftituit, cùm inftituiffet Sacramentum pœnitentiæ, *cujus consummativum existimatum est à Patribus*, inquit Concilium Tridentinum Seff. 14. &c. (*i*).

Ob. 3tio. Extrema Unctio, ut in Ecclefia datur, differt à ritu, de quo loquitur Jacobus: nam Jacobus requirit plures Sacerdotes, & fidem in illis; præfcribit eandem unctionem, quam adhibuerunt difcipuli Marci 6. de quibus dicitur verf. 13. *Et ungebant oleô multos ægros, & sanabant.* quæ unctio certè Sacramentum non fuit; & ejus effectum foli orationi tribuit, conftituitque in fola curatione corporum, ad quam folam illa Unctio inftituta fuit. Ergo &c. 14

Refp. neg. ant. & totam ejus probationem. Nam 1mo. Numerus pluralis pro fingulari ab Apoftolo ufurpatur, quod fæpè contingit Sacris Scriptoribus. 2do. Ibi dicitur Oratio fidei, non quòd fine fide adminiftrari validè nequeat, fed quia fidei myfterium continet, & fola

(*i*) Vid. inf. cap. 2. §. 2.

sola fide intelligitur, & pro solis fidelibus est instituta. 3tio. Unctio, quam adhibuerunt Apostoli Marci 6. fuit tantùm figura Unctionis à Jacobo promulgatæ, ut docet Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 1. de Extrema Unctione. 4to. Jacobus effectum tribuit orationi ut formæ Sacramenti applicatæ materiæ, ideoque toti Sacramento. Præthereà sæpè in Sacra Scriptura, quod toti convenit, id parti tribuitur per Synecdochen, qua pars pro toto sumitur. 5to. Illam unctionem præcipuè institutam esse ad animæ sanctificationem & salutem, constat ex Traditione Conciliorum, & SS. Patrum aliorumque omnis ævi Scriptorum, ut suprà in Conclusione ostendimus, testimoniis roboratâ, & ex his S. Jacobi verbis, *Allevabit eum Dominus* (per gratiam scilicet) *& si in peccatis sit, remittentur ei.*

15 Ob. 4to. Extrema Unctio non habet effectum infallibilem: nam non semper, sed rarò curat morbos, ut experientiâ constat. Ergo &c.

Resp. Dist. ant. Extrema Unctio non habet effectum infallibilem primarium, si ponatur obex; secundarium, si saluti animæ non expediat, conc. secus, neg. ant. Extrema Unctio duplicem producit ex se, & quantùm est ex sua parte, effectum, primarium unum, ac principalem, qui est gratia sanctificans, & sanans animam cum auxiliis gratiæ ad superandas dæmonis tentationes idoneis, quod sufficit ad rationem Sacramenti; & alterum secundarium tantùm & minùs principalem, corporalem scilicet sanitatem, qui & conditionatus est, nempe si saluti animæ expediat. Prior est infallibilis, nisi ponatur obex; posterior etiam, si nempè animæ saluti expediat, infallibiliter sequitur, secùs minimè.

Inst. Jacobi verbis uterque effectus eodem modo promittitur. Ergo est æqualiter infallibilis, adeoque effectus sanitatis corporalis non est conditionatus tantùm.

Resp. neg. ant. Nam gratia sanctificans cum suis auxiliis absolutè promittitur infirmo, quia ei semper expedit: sanitas autem corporalis promittitur tantùm sub hac conditione, si expediat saluti animæ infirmi. Quæ conditio satis intelligitur ex natura Sacramenti, quod principaliter ad animæ sanctificationem & salutem institutum est.

Ob. 5to. Unctionis cæremonia partim ab hæreticis, nempè Valentinianis, partimi ab Ethnicis originem ducit. Ergo &c. 16

Resp. neg. ant. Nam hæreticorum illorum ritus à nostro diversissimus fuit. Valentiniani enim mortuos ungebant oleô aquâ permixtô, ut illa Unctio esset locô Baptismi; & ungendo inauditis quibusdam & horribilibus verbis hebraicis utebantur. Nos verò solos morituros ungimus oleô purô, adhibendo simul orationem simplicem à Christo, quoad sensum, institutam. Quod attinet ad Ethnicos, illi morem suum mortuos ungendi ab Israelitis sumpserunt, qui mortuorum suorum corpora ungere solebant, ut ex utraque Scriptura constat.

Ob. 6to. Veteres secundi & tertii Sæculi Scriptores & Patres, ut S. Dionysius lib. de Hierarch. Eccles. S. Clemens lib. Constit. S. Justinus in Apologia, Tertullianus in Apologetico, & Sæculô 4tô. S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus, aliique complures, quorum Opera adhuc extant, in quibus mysteria Religionis Christianæ accuratè & ad amussim exposuerunt, nullam tamen Extremæ Unctionis mentionem fecerunt. Ergo eorum ætate & prioribus Ecclesiæ Sæculis Extrema Unctio in usu non fuit. 17

Resp. neg. cons. Nam illis prioribus Ecclesiæ Sæculis Extremam Unctionem fuisse in usu testes locupletes sunt Ori-

genes Sæculi 3tii. Scriptor, S. Chrysostomus, S. Innocentius I. & Eugubinus Episcopus nomine Decentius, S. Augustinus, qui sub finem Sæculi 4ti. & initiô 5ti. floruêre, quorum testimonia superiùs in Conclusione adduximus. Nec mirari quisquam debet, quòd præter Origenem ex Scriptoribus secundi & tertii Sæculi nullum appellaverimus; nemo enim ignorat plurima eorum temporum monumenta ad nos usque non pervenisse, & in iis, quæ supersunt, non omnia Religionis nostræ capita, non omnes ritus exponi. Certè S. Dionysius, seu quisquis est Auctor libri Hierarch. Eccles. nihil de Extrema Unctione meminit, quia ei propositum non fuit de omnibus Legis Novæ Sacramentis in illo libro tractare, *quia*, ut ait S. Thomas in Supplem. q. 29. a. 1. ad 3. *ejus intentio non fuit de Sacramentis loqui, nisi quatenùs per ea innotescere posset Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinata dispositio quantùm ad Ministros, & actiones Ministrorum &c.* Idem dicendum de Auctore libri Constit. Apostolic. qui S. Clementi vulgò tribuitur, & aliis Veteribus Patribus, qui in suis libris Extremæ Unctionis mentionem haud fecêre; eisdem enim propositum non fuit in suis libris de omnibus Sacramentis agere, sed de illis solis, de quibus agendi necessitatem aliquam habebant. Id vel inde constat, quòd Auctores Constit. & Hierarch. Eccles. non meminêre Eucharistiæ, quæ infirmis in exitu dabatur; ultimus autem etiam de Pœnitentia & Matrimonio altum silet: an indè quis meritò concludet, datam non fuisse morientibus Eucharistiam, aut saltem Pœnitentiam, quam tamen plerique Acatholici nostri temporis velut Sacramentum suspiciunt, Sacramenti locô apud ipsos & eorum coætaneos habitam non fuisse? Igitur ideo Patres isti & alii priorum Sæculorum de Extrema Unctione non scripserunt; quia illis defuit scribendi necessitas, aut occasio. Nullus hæreticus Sacramentum illud impugnabat; abusus nondum irrepserant in ejus celebratione, cùm non soleat conferri nisi periculosè decumbentibus, qui tunc pro virili saluti suæ consulunt: Administratur, non in publicis fidelium conventibus, in quibus multa occurrunt ordinanda, corrigenda, ut sacriis mysteriis debita reverentia habeatur, sed in privatis ædibus; undè necessum semper fuit, ut Patres plura dicerent aut scriberent de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Pœnitentia; vixque se offerebat occasio sermonem habendi de Extrema Unctione. Profectò quando Decentius ab Innocentio I. quæsivit, an Episcopus æquè ac Presbyter infirmos ungere possit, hæc ipsius quæstio non fuit de re, quæ nunquam fuit, nec esse potest, sed de praxi, quæ in sua Eugubina Diœcesi jam à longo tempore obtinebat. Adde, quòd plures è Veteribus, prout in Conclusione ostensum, sub nomine Pœnitentiæ, Extremam Unctionem complexi fuerint tanquam ejus complementum.

Ob. 7mo. Historici sex priorum Sæculorum Scriptores, qui piorum hominum suæ ætatis obitus & mortes referunt, 18 quamvis singillatim ea referant, quæ in hujusmodi obitibus contigêre, nusquam tamen commemorant eos fuisse sacra unctione delibutos, ut S. Gregorius Nazianzenus in Orat. de Sorore sua Gorgonia, de patre suo Gregorio, de Amico suo Basilio; S. Hieronymus de obitu Marcellæ, Asellæ, Paulæ; S. Augustinus lib. 9. Confess. de iis, quæ contigerunt in morte piissimæ matris Monicæ. Ergo illorum Patrum & aliorum Scriptorum ætate nondum obtinuerat usus infirmos inungendi.

Resp. neg. cons. Nam aliundè quàm ex iis, qui sex prioribus Sæculis obierunt, constat Extremam Unctionem infirmis fuisse collatam, prout suprà ex Origene, S. Chrysostomo, Innocentio I. & aliis Patribus

tribus demonſtratum eſt; proindè ex ſilentio illorum, qui in Objectione adducuntur nihil contra nos concludi poteſt, niſi pariter quis concludere velit, morientibus Euchariſtiam eo ævo datam non fuiſſe; cùm neque Euſebius, neque uterque Gregorius, Nazianzenus videlicet & Nyſſenus, neque Ambroſius, Sulpitius, Metaphraſtes, Hieronymus, & alii, qui piorum mortes deſcribunt, referant, iis in exitu datum fuiſſe Viaticum, quod tamen dandum eſſe præceperat Concilium Nicænum Generale I. Can. 13. Imò neque in vita S. Bernardi, cujus ætate nihilominùs infirmorum Unctionem in uſu fuiſſe non negant Adverſarii, legimus, eum oleô infirmorum fuiſſe unctum, quamquàm ex vita S. Malachiæ, quam ipſe conſcripſit, manifeſtum ſit, ſummo apud S. Bernardum in pretio fuiſſe Sacramentum iſtud; teſtimonium ipſius ſuprà Prob. 2. Concluſionis noſtræ retulimus. Si verò quis ſcire velit cauſas hujus ſilentii, hæ poſſunt reddi: 1mo. Scriptores ea, quæ communia ſunt & vulgata, nec non uſu quotidiano trita, ut plurimùm omittere ſolent. 2do. Cùm, ut in fine prioris ad Ob. 6. Reſponſionis jam dictum, Extrema Unctio ſit perfectio atque conſummatio Pœnitentiæ, eâ delibutos & inunctos præſupponimus, qui intra Pœnitentiæ gemitus ac labores ex hac vita diſceſſiſſe memorantur. 3tio. Cùm iſtud Sacramentum non ſit abſolutè neceſſarium, & aliundè plures eorum, quorum obitus narratur, ſubita morte rapti fuerint, non eſt, quòd ſollicitè adeò quæramus, cur de tali Unctione in hiſtoriis, quæ ſanctorum virorum vitam & mortem nobis deſcribunt, frequens non occurrat mentio.

19 Ob. 8vo. Laudati à nobis Patres de unctione locuti ſunt, quæ Euchariſticæ communioni præmittebatur, prout apertè manifeſtum ſit ex adductis ipſorum teſtimoniis. Atqui è contrà unctio, quæ eſt in uſu apud Eccleſiam Romanam, primùm poſt Euchariſtiam diſpenſatur. Ergo illa unctio, de qua memorati Patres locuti ſunt, non eſt illa Extrema Unctio, quæ apud nos Sacramenti locô venit.

Reſp. Diſt. min. Et hoc eſt de eſſentia Sacramenti iſtius, neg. min. Non eſt de illius eſſentia ſeu ſubſtantia, conc. min. & neg. conſ. Certè apud Græcos Sacramentum Extremæ Unctionis Euchariſticæ communioni præmittitur; & poteſt etiam præmitti apud Latinos in iis locis, in quibus à multis abhinc annis viget uſus ille. Igitur Unctionis hujus ſacræ ſubſtantia ſeu eſſentia nequaquam mutatur, ſivè præmittatur communioni, ſive eam ſubſequatur; proindeque Unctio, cujus laudati à nobis Patres meminêre, eadem eſt prorsùs cum ea, qua nunc utitur Eccleſia Romana.

Ob. 9no. Diſcordia & diſſenſio eſt inter noſtrates Theologos tùm de Auctore Extremæ Unctionis: Hugo à S. Victore, cui ſubſcribunt Petrus Lombardus & S. Bonaventura, contendit eam non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis, inſtitutam fuiſſe. Tum circa illius formam & materiam: contendunt ſcilicet nonnulli illius materiam eſſe oleum ab Epiſcopo conſecratum; circa formam verò dubium inter ipſos eſſe videtur, an ea abſoluta ſit & indicativa, an verò deprecativa tantùm, vel utrumque ſimul. Tùm circa illius effectus, utrum nempe mortalia, an ſolùm venialia deleat: an ex opere operato ſanitatem corpoream efficiat, &c. Ergo ea non videtur propriè haberi pro Sacramento etiam à Catholicis. 20

Reſp. neg. conſ. Theologi Catholici omnes conveniunt, Unctionem Extremam eſſe propriè dictum Sacramentum Novæ Legis; materiam, ex qua conſtat, eſſe oleum; formam eſſe divinæ virtutis invocationem; illius Miniſtros eſſe Sacerdotes; eam ex opere ope-

rato delere peccata. An autem mediatè tantùm, mediantibus ſcilicet Apoſtolis, inſtituta fuerit à Chriſto, ut voluerunt Auctores in Objectione adducti; an conſecratio olei ſit de neceſſitate Sacramenti; an ſanitas corporea per eam reſtituatur ex opere operato, &c. quæſtiones ſunt, quas Eccleſia Theologis permiſit, in quibus proindè, ſalva fide, poteſt quilibet, quod magis placuerit, ſentire; ac in hujuſmodi definiendis quæſtionibus ſic animô comparatus eſſe debet, ut & ſine pertinacia refellat, & ſine iracundia refellatur.

21 ## CAPUT II.

De cauſis, hoc eſt, materia, forma, auctore, & miniſtro Sacramenti Extremæ Unctionis.

TRibus paragraphis Caput iſtud abſolvemus. In 1mo. Materiam & formam Sacramenti hujus explicabimus. In 2do. Quis ſit illius auctor & inſtitutor definiemus. Et in 3tio. denique, quis ſit illius Miniſter declarabimus. Hæcque omnia, cùm Scholæ diſputationi ab Eccleſia ſint relicta, nec fidem tangant, quanta poterimus brevitate, expediemus.

§. I.

22 *De Materia & Forma Sacramenti Extremæ-Unctionis.*

Materia Sacramenti Extremæ Unctionis, prout in aliis Eccleſiæ Sacramentis, duplex eſt, remota una, proxima altera.

De Materia remota Extremæ Unctionis.

Materiam remotam Extremæ Unctionis eſſe oleum ſimplex ex olivis expreſſum, omnes tuentur, idque habetur ex ſancto Jacobo in ſua Ep. cap. 5. ubi, *Ungentes*, inquit, *eum* (infirmum) *oleô in nomine Domini.* Item ex perpetua Eccleſiæ tùm Latinæ tùm Græcæ praxi, quæ certò Traditionem oſtendit, quam ſecuta ſunt Concilia Florentinum, & Tridentinum. *Quintum Sacramentum*, inquit Florentinum in Decreto, *eſt Extrema Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum.* Tridentinum verò Seſſ. 14. cap. 1. *Intellexit Eccleſia*, ait, *ex Apoſtolica Traditione per manus accepta, materiam hujus Sacramenti* (Extremæ Unctionis) *eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.* Ratio à priori eſt voluntas Chriſti. Ratio autem congrua eſt, quia oleum ex ſe aptiſſimum eſt ad effectus hujus Sacramenti ſignificandos: nam ſanat, dolorem lenit, robur affert (*k*). *Nam Unctio* (inquit Concilium Tridentinum loc. cit.) *aptiſſimè Spiritûs ſancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.*

Illudque oleum debet eſſe ex olivis 23
expreſſum, quia illud ſolum propriè oleum nuncupatur, ſicut ſola aqua elementaris ſimpliciter aqua dicitur; quodlibet enim aliud oleum & aliundè, quàm ex olivis, eductum non propriè & ſimpliciter dicitur oleum, ſed cum addito, ut *Oleum nucum &c.*

(*k*) Ita Catechiſmus Romanus Concilii Tridentini, part. 2. ubi, de iſto oleo hæc habet: *Materia iſta aptiſſimè ſignificat illud, quod vi Sacramenti interiùs in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit, ita Sacramenti virtus animæ triſtitiam ac dolorem minuit. Oleum prætereà ſanitatem reſtituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet. Tùm verò ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti adminiſtrationem efficiatur, declarant.*

nucum &c. Item quia oleum ex olivis expressum aptius est, quàm cæteri liquores, qui eo nomine nonnunquam appellantur, ad exprimendos mox à nobis recensitos Extremæ Unctionis effectus: vix enim hæc, quæ scribit S. Thomas in Supplem. q. 29. a. 4. cæteris oleis conveniunt: *Spiritualis sanatio* (inquit ibidem) *quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta; quia post eam alia non relinquitur; & lenis, ut Spes, quæ exeuntibus est maximè necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est & penetrativum usque ad intima, & etiam diffusivum; & ideò, quantùm ad utrumque prædictorum est conveniens materia hujus Sacramenti.*

24 Oleum istud etiam debet esse simplex, absque ulla alicujus alterius liquoris admixtione; quia illius admixtionis nulla prorsùs fit mentio tùm in Euchologiis Græcorum, tùm in Pontificalibus Latinorum, tùm apud cæteros Auctores Ecclesiasticos, cùm olei, de quo hîc agitur, consecrationem describunt. Nec obstat, quòd Innocentius I. Epist. 1. dicat Extremam Unctionem administrari solitam fuisse cum Chrismate. Et Concilium Tridentinum omiserit vocem *Olivarum.* Nam quoad 1mum. Innocentius per Chrisma intelligit oleum olivarum ab Episcopo benedictum, cui fortasse tunc temporis aliquid Balsami admiscebatur; vel potiùs, quia nomine Chrismatis, sicut jam alibi observavimus, quamlibet unctionem generatim designavit S. Pontifex. Duplex igitur oleum est in usu Ecclesiæ: aliud, quod Balsamô conficitur, & vocatur Chrisma, aut Unctio principalis, quo solent ungi, qui baptizantur, in vertice, &, qui confirmantur, in fronte, &, qui ordinantur, in manibus: aliud est simplex, quamquam ab Episcopo per benedictionem sacratum, quo unguntur Catechumeni in pectore & scapulis, & ægroti in sedibus sensuum, & energumeni ungi quoque solebant; unde vocatum est Oleum Catechumenorum, aut infirmorum. Ad 2dum. Concilium Tridentinum explicari debet per praxim Ecclesiæ, quæ semper in hoc Sacramento oleum olivarum, utpotè solum, quod propriè hoc nomine veniat, prout primùm adnotavimus, adhibuit. Igitur tali oleô, cui scilicet balsamum, aliaque aromata essent admixta, in administratione hujus Sacramenti uti non licet, quamvis tale oleum sufficiens & idonea foret Extremæ Unctionis materia, modò ea admixtione non mutaretur olei natura.

Denique ex communi omnium Theologorum sententia, jure ac præcepto saltem Ecclesiastico necesse est, ut oleum infirmorum sit ab Episcopo, vel saltem, ex ejus commissione & nomine, à Presbytero consecratum seu benedictum. 25

Ita enim docet constans ac perpetua Traditio, sicque ferunt leges Ecclesiasticæ, quas nemo sine crimine, extra absolutæ necessitatis casum, temerare aut infringere potest. Ejusmodi consecrationis meminit Innocentius Papa I. Concil. Cabilonense, Florentinum, & Tridentinum, de quibus in Conclusione. Meminit etiam S. Gregorius Magnus in Sacramentario, ubi, *Tunc*, inquit, *offertur Pontifici oleum, & benedicit illud ad ungendum infirmum his verbis: Emitte &c.*

Porro quamvis in Ecclesia Latina ex usu & consuetudine omnium Sæculorum, quæ vim legis obtinet, solis Episcopis reservata sit facultas benedicendi seu consecrandi oleum infirmorum, nec simplicibus Presbyteris usquam concessa legatur, tamen multis gravibus Theologis videtur, hac in re à Romano Pontifice (solo tamen) utpotè penes quem solum est declarare, quòd non obligent Ecclesiastici Canones, cùm Ecclesiæ perutilis est eorum dispensatio, dispensari posse. Et certè apud Græcos seu in Ecclesia Orientali nusquam prohibitum legitur, ne simplices Presbyteri Oleum infirmorum consecrent: imò à mille annis & amplius 26

amplius eo privilegio fruuntur, ut videre est in Euchologio (*l*) Græcorum sub hoc titulo: *In officio olei sancti.* Quam gentis suæ praxim refert Arcudius lib. 5. de Extrema Unctione. c. 2. Illius etiam meminit Goarius in suis notis pag. 436. ubi inter alia, *Facultatem denuò illud* (oleum sacrum) *consecrandi*, inquit, *privato cuicumque Parocho, ipsi Pontifices taciti ex antiquo more videntur remittere.* Primigeniæ tamen potestatis hujus sacri olei consecrandi signum exhibere, ibidem ait, Græcos Pontifices, cùm feriâ quintâ majoris hebdomadæ, adeoque semel in anno, illud solemni ritu consecrant. Addit insuper hanc consuetudinem Græcorum approbasse Clementem VIII. in instructione de ritibus Græcorum an. 1595. edita, & ad Episcopos Latinos directa titulô, *Circa Oleum sanctum infirmorum.* Presbyteri igitur Græci oleum istud non propria auctoritate, sed ab Episcopis per antiquam consuetudinem tacitè ipsis delegata, benedicere videntur.

27 Diximus, jure ac præcepto saltem Ecclesiastico necesse esse, ut oleum infirmorum sit ab Episcopo &c. consecratum seu benedictum. Enimverò Utrum hujusmodi benedictio non tantùm necessitate præcepti Ecclesiastici, sed etiam Sacramenti, ita ut ea deficiente,nullum sit Sacramentũ, omninò requiratur, disputant inter se Theologi. Negant multi; affirmant verò alii his gravissimis adducti momentis.

1mo. Hæc verba S. Jacobi, *Ungentes eum oleô in nomine Domini.* Hoc est, inquit Beda in hunc locum, *Oleô consecratô in nomine Domini.*

2do. Concilia Florentinum & Tridentinum conceptis verbis docent, materiam hujus Sacramenti esse *oleum ab Episcopo benedictum*; quod de materia essentiali haud dubiè intelligendum est.

3tio. Non alia de causa Veteres hanc olei benedictionem exigunt & commendant, quàm quia intellexerunt eam omninò pertinere ad substantiam Sacramenti. Inde communiter à Scriptoribus Ecclesiasticis post Innocentium I. appellatur *Oleum sanctum*, *sacrum*, *consecratum*, *benedictum.*

Sed nihilominus ad hæc momenta ii, 28 qui contrariam tuentur opinionem, respondent, ad 1mum. his S. Jacobi verbis non significari benedictionem, sed hoc unum, nempè Unctionem illam fieri debere vice, & auctoritate Christi, ita ut verba hæc, *In nomine Domini*, referantur non ad oleum, sed ad actum ungendi: quam iuterpretationem ipsemet Beda citatus adducit.

Ad 2dum. Concilia Florentinum & Tridentinum ajunt quidem materiam hujus Sacramenti esse oleum per Episcopum benedictum; sed non ajunt benedictionem illam esse essentialem: necessariam illam tantùm indicant, non assignato genere necessitatis, quam quæstionem Scholæ disputationi relinquunt.

Ad 3tium. Eadem est responsio. Nec enim id omne quod Traditio commendat tanquam necessarium in perficiendis Sacramentis, idcircò pertinet ad substantiam Sacramenti, ut patet exemplô aquæ vino Eucharistico permiscendæ, de qua tota Traditio mentionem facit, quæ nihilominùs absolutè non requiritur ad validam Calicis Eucharistici consecrationem.

Sed missâ hac Scholæ controversiâ, 2 quæ utrimque sua probabilitate haud caret, sufficit nobis, quòd ex communi omnium Theologorum Catholicorum sententia jure ac præcepto saltem Ecclesiastico necesse sit, ut oleum infirmorum ab illo, qui potestatem habet vel propriam vel delegatam consecretur seu benedica-

(*l*) *Euchologium* idem est ac Liber precationum.

nedicatur. Quòd fi hujusmodi facrum oleum ab Epifcopo feriâ quintâ majoris hebdomadæ benedictum, propter frequentem ufum & adminiftrationem hujus Sacramenti deficere contingat; tunc poteft Sacerdos oleum non confecratum mifcere cum confecrato (*m*); fic enim permixtum contrahit confecrationem, non quidem per virtutem aliquam phyficam, quæ ex Olei confecrati contactu oriatur, fed ex mera inftitutione & indulgentia Ecclefiæ, cui placuit Epifcopi preces extendere non tantùm ad oleum præfens, fed ad illud etiam, quod ipfi poftea admifcebitur, eodem modo, quo aquæ benedictæ fupperaddita aqua non benedicta cenfetur acquirere benedictionem. Ita colligitur ex Cap. *Quod in dubiis.* De Confecrat. Eccleſ. quod refert Sanct. Thomas Opufc. 65. *Non negamus*, inquit ibidem Innocentius III. *quin oleum non confecratum confecrato poffit oleo commifceri.*

30 *De Materia proxima Extremæ Unctionis.*

Materia proxima Sacramenti hujus eft Unctio facta à Sacerdote. Habetur 1mo. ex Jacobi 5. *Ungentes eum Oleo.* 2do. Ex verbis formæ, *Per iftam fanctam Unctionem &c.* 3tio. Quia materia proxima Sacramentorum, quæ confiftunt in ufu, eft applicatio materiæ remotæ: Applicatio autem olei eft unctio feu actio inungendi.

31 Porro ad Sacramenti veritatem & validitatem unica unctio fufficit; tamen ex præcepto Ecclefiæ multiplex eft adhibenda, pro cujusque Diœcefis diverfitate.

Quod ad Sacramenti veritatem & validitatem una unctio fufficiat habetur 1mo. ex Scriptura, quæ non fecùs loquitur de unctione infirmorum, ac de ablutione Catechumenorum. De Unctione ait S. Jacobus cit. cap. 5. *Orent fuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Et de Ablutione Chriftus Dominus Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine &c.* Atqui una ablutio fufficit ad Baptismum. Ergo & una unctio ad Sacramentum Extremæ Unctionis. 2do. Quia libri Rituales paffim præfcribunt, ut, fi mors inftet, vel morbus contagiofus Miniftrum exponat evidenti periculo, una folùm unctio fiat in capite, in quo vigent omnes fenfus; fin minùs in alia parte corporis, cum prolatione formæ univerfalis: *Indulgeat tibi Deus quidquid per fenfus deliquifti.*

Quod autem ex præcepto Ecclefiæ multiplex, pro cujuscumqne Diœcefis diverfitate, fit adhibenda unctio, patet tùm ex Euchologiis Græcorum, tùm ex Ritualibus Latinorum, in quibus plures præfcribuntur unctiones, fed non femper in iisdem corporis partibus. Apud Græcos inunguntur *frons*, *facies*, propter fenfuum organa, addit Simeon Theffalonicenfis in libro de Sacramentis ab Arcudio lib. 5. de Extrema Unctione cap. 7. laudatus, *manus*, Arcudius verò *mentum*, *pectus*, & *pedes*. Non verò oculi, nec aures, nec nares. Apud Latinos non idem ubique fervatur ritus: Unctioni quin-

(*m*) Quidam Theologi requirunt ut oleum non confecratum confecrato in minori quantitate admifceatur; fed alii contendunt hanc cautionem non effe neceffariam; neque enim id præfcribit Innocentius III. Cap. *Quod in dubiis.* lib. 3. Decret. Tit. 40. De Confec. Ecclef.

quinque organorum ſensûs, quæ ubique obtinuit, vulgò unctio pedum adjungitur, quibusdam in locis unctio pectoris; in aliis unctio capitis, in aliis unctio renum; & hunc poſteriorem ritum Eugenius IV. in ſuo Decreto pro Armenis præſcribit. Sed hæc poſtrema unctio prætermitti debet in mulieribus pudoris causâ, ex Concilio Mediolanenſi IV. & ex iis Ritualibus, qui illam præcipiunt pro viris duntaxat; nam plures eam omittunt, videturque in locum illius ſufficere unctionem pectoris. In hac varietate unusquisque conſulere debet librum Ritualem Diœceſeos, in qua eſt & miniſtrat; religioſeque adhæreat ritibus ibidem præſcriptis, iisque præſertim, qui ſpectant unctiones quinque organorum ſensûs; utpotè quæ ita obtinuerint in Eccleſia Latina, ut plures Theologi exiſtiment eas pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti; à quibus non omninò recedit S. Thomas in 4. Sent. diſt. 23. quæſt. 2. art. 3. ubi, *Ideò illa unctio*, inquit, *ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus, Quaſi de neceſſitate Sacramenti; ſed quidam non ſervant alias.* In Diœceſis noſtræ Argentinenſis Rituali, oculos, aures, nares, os, manus, & pedes inungi præſcribitur. Quòd ſi infirmus ſit mutilus, unctio debet fieri in parte viciniori; quamvis enim per organum, quo orbatus eſt, exteriùs peccare non potuerit, potuit tamen appetere actus noxios, qui per ejuſmodi organum perficiuntur, & exteriùs prodeunt.

De Forma Sacramenti Extremæ Unctionis.

Eſſe hujus Sacramenti formam aliquam manifeſtè indicant ſæpiùs laudata S. Jacobi verba, *Orent ſuper eum, ungentes eum oleô in nomine Domini.* Igitur forma Extremæ Unctionis eſt oratio, quam Miniſter fundit, dum infirmum inungit; quæ quibus verbis præcisè conſtare debeat, Chriſtus non determinavit, ſed determinandum Eccleſiæ permiſit, ut diximus in Tractat. de Sacrament. in gen. cap. 1. §. 3. Concluſ. 3. Hinc variæ variis temporibus hujus, quam Scriptura generatim duntaxat præſcribit, orationis formulæ non ſolùm apud Græcos, ſed etiam apud Latinos fuerunt in uſu. A pluribus tamen Sæculis in Eccleſia Latina obtinuit hæc deprecativa forma: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, &c* (*n*). In qua iſta duntaxat verba: *Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus*, eſſentialia eſſe videntur; utpotè quibus exprimuntur actus, cauſa principalis, ſubjectum, & effectus Sacramenti. Actus quidem, *Per iſtam unctionem*: cauſa principalis, *Deus*: Subjectum, *tibi*: effectus, *indulgeat.* Miſericordia Dei includitur in verbo *indulgeat*, ſicut & quod ſignificatur verbis iſtis *quidquid peccaſti*: nam Deus indulget peccatori. Cætera ergo ſolùm ad majorem expreſſionem ſeu ſignificationem referuntur; ac proindè non ſunt neceſſaria niſi neceſſitate præcepti, undè cavere debet Sacerdos, ne, cùm hoc Sacramentum admini-

(*n*) Hæc verba, quibus forma hujus Sacramenti coaleſcit, aptiſſimè exprimunt tùm Sacramentum, *Per iſtam Unctionem*: tùm divinam virtutem, quæ in Sacramento operatur, *Et piiſſimam miſericordiam*: tùm effectum Sacramenti, nempe remiſſionem peccatorum, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum &c.*

ministrat, ullum, ex præscriptis ab Ecclesia verbis omittat.

Hujus formæ antiquitas colligi potest ex Rituali Monastico simul & Ecclesiastico Gemeticensi, sexcentorum annorum & suprà, in quo de verbo ad verbum extat; eam quoque præscribunt omnes Rituales Libri, qui quatuor abhinc sæculis sunt in usu. Eam vindicat S. Thomas in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 4. Laudant tùm Eugenius IV. in Decreto pro Armenis; tùm Concilium Tridentinum Sess. 14. C. 1. de Extr. Unct.

33 Forma autem in Ecclesia Græca usurpata, legitur in ejus Euchologio, in Officio Olei sancti his verbis (o): *Pater sancte, Medice animarum & corporum, qui misisti unigenitum filium tuum Dominum nostrum JEsum Christum, omnem morbum sanantem, & à morte liberantem; sana quoque hunc servum tuum à corporali spiritualique infirmitate, qua continetur, & vivifica eum per gratiam Christi tui, potentiâ pretiosæ & vivificæ Crucis, precibus Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis*, & cætera quæ continent invocationem Apostolorum, & aliorum Sanctorum, quæ posteriores Græci addiderunt. Hæc forma nostræ Latinæ quoad sensum respondet, nec ab ea, nisi accidentaliter differt, prout legenti patet, verbaque illius essentialia hæc esse videntur: *Pater sancte, sana hunc servum tuum à spirituali infirmitate.*

34 Controversia est hìc inter Theologos, num videlicet forma deprecatoria ita sit de essentia Sacramenti hujus, ut absoluta seu indicativa insufficiens sit & invalida. Affirmat S. Thomas loc. sup. cit. quem sequuntur Theologi benè multi. Negat Albertus Magnus in 4. dist. 23. art. 4. cujus opinionem non improbârunt ante Concil. Trident. Paludanus, & Richardus; & post Concilium istud Navarrus in Summa, Becanus, Maldonatus, de Extr. Unct. quæst. 1. Estius in 4. dist. 23. §. 10. ubi, *Nihil vetat*, inquit, *ejusdem Sacramenti formam nunc enuntiativè, nunc deprecativè vel optativè recitari.*

Argumenta, quibus Albertus Magnus suam fulciebat opinionem, inde deducebat, quòd forma absoluta seu indicativa olim in usu fuerit apud Latinos, ut in Ecclesia Mediolanensi tempore S. Ambrosii hæc, quam laudat Paludanus in 4. dist. 23. *Ungo te oleô sanctificatô in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Apud Venetos Ex Palacio in libro Sacramentali Ecclesiæ Venetæ, in quo legitur hæc forma Extremæ Unctionis etiam ab Arcudio lib. 5. de Extr. Unct. cap. 5. laudata: *Ungo te oleô sanctô, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversùs varias catervas in nomine Patris &c.* Et in Codice antiquo Halitgarii ad Ebonem Remensem, qui vixit circa an. 820. inquit Arcudius, talis reperitur forma, quam etiam exscripsit Serrarius: *Ungo te oleô sanctificatô, ut more militum, & præparatus ad luctamen aëreas possis superare catervas &c.* Et certè formam hujusmodi indicativam non rejicit S. Bonaventura dist. 23. ad 2. nec Durandus eâdem dist. quæst. 3. ubi utramque formam problematicè defendit.

(o) Eam refert Arcudius lib. 5. de Extr. Unct. cap. 5. Eam laudant Gabriel Philadelphiæ Metropolita in Opere de septem Sacram. Neophytus Rhodius in sua Synopsi vernacula.

Denique, ut cætera omittamus, ipſe Albertus Magnus, ait ſe legiſſe antiquiſſimos Germaniæ Rituales libros, qui hujuscemodi formam merè indicativam Extremæ Unctionis continerent, *quem ritum*, inquit, *Germani Gregorianum vocabant.*

35 Verùm Reſpondent priores Theologi poſt Sanct. Thomam quæſt. 29. Supplementi art. 8. ad 3. Verba illa indicativi modi in adductis formulis contenta non eſſe formam Sacramenti, ſed diſpoſitionem ad formam ſeu præambulum illius, quæ deprecatoria eſt, vel optativi modi, qui orationem exprimit. Ut ſunt hæc verba *In nomine Patris &c. ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas poſſis ſuperare poteſtates.*

At citati Theologi, qui formam indicativam non improbant (regerunt poſterioris ſententiæ patroni) non erant adeò ſtupidi, ut ſi, præter formam indicativam, aliam deprecatoriam continuiſſent libri Sacramentales adductarum Eccleſiarum, eam non advertiſſent aut omninò ignoraſſent. Præterea, ſicuti nemo dixerit, Cùm quis infundens aquam profert hæc verba, *Ego te Baptizo &c.* hanc formam eſſe præambulam ad Baptismi Sacramentum; ita abſurdum eſt dicere, cùm ungitur ægrotus oleô ſanctificatô, & proferuntur hæc verba: *Ungo te &c.* ejusmodi formam eſſe diſpoſitionem & præambulum duntaxat ad Extream Unctionem.

Equidem Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 1. ait formam Sacramenti hujus eſſe illa verba: *Per iſtam unctionem &c.* non tamen declarat indicativam eſſe irritam & invalidam, quam olim in uſu fuiſſe patet: ſicuti nec ita adſtruit illa verba: *Per iſtam unctionem*, ut deſtruat formam Græcorum, quæ licèt deprecatoria ſit, ejusmodi verba tamen non agnoſcit.

Quidquid ſit de hac controverſia, dicimus nos formam deprecatoriam, à nobis ſuprà expreſſam convenientem eſſe ac retinendam. Id demonſtrant adducta ſæpiùs verba S. Jacobi: *Orent*, inquit, *ſuper eum ungentes eum oleô.* Necnon uſus perantiquus Eccleſiarum noſtrarum ad hæc noſtra usque tempora. Undè & Concilium Tridentinum Seſſ. 14. de Extr. Unct. Can. 3. ſic definit: *Si quis dixerit Extremæ Unctionis ritum & uſum, quem obſervat Sancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Jacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis absque peccato contemni; anathema ſit.* Enimverò ejusmodi formâ, ut jam à nobis obſervatum eſt (*p*), exprimitur actio & intentio Miniſtri, cùm dicitur, *Per iſtam unctionem:* & principalis cauſa, quæ ſpiritualem unctionis effectum operatur, cùm additur, *Et per ſuam piiſſimam miſericordiam.* Denique præcipuus Sacramenti effectus his verbis, *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti &c.* Quamvis enim Oratio extra Sacramentum, ſeu quæ non eſt forma Sacramenti, non poſſit certum effectum exprimere; id tamen poteſt Oratio, quæ eſt forma Sacramenti, cui Chriſtus voluit vim & efficaciam certam ſua inſtitutione conferre: ſatisque eſt, ut ex ſe, & in actu primo, ut vocant, certum effectum producere valeat; qui, ſi, ob malam ſubjecti ſeu Sacramentum ſuſcipientis diſpoſitionem, actu 36

(*p*) Sup. in nota.

actu non sequatur, id sanè, respectu Sacramenti ipsius, per accidens est.

§. II.

37 *De Auctore Sacramenti Extremæ Unctionis.*

Recentiores Sectarii omnes Extremam Unctionem è numero Sacramentorum expungunt, proindè etiam negant eam ullatenus à Christo institutam fuisse; Quantùm ad primum eos suprà cap. 1. omni argumentorum genere solidè, nî vehementer fallimur, jam refutavimus; ex quibus etiam obtrita manet illius consequentia, scilicet Extremam Unctionem nullatenus à Christo fuisse institutam. Huc etiam referri possunt ea, quæ suprà Tract. de Sacr. in genere tùm cap. 1. §. 3. ubi de auctore & institutore materiæ Sacramentorum, tùm cap. 5. §. 1. ubi de ipsorum Sacramentorum Auctore Christo tractavimus. Ad quæ, ne justo prolixiores simus, remittimus; unicam hîc rationem, quam jam suprà cap. 1. indicavimus, addimus: Extremæ Unctioni convenit virtus producendi & tribuendi gratiam sanctificantem, ut jam cap. 1. ostensum est, ubi de illius existentia egimus, & iterùm inferiùs ostendetur, ubi de illius effectibus disseremus. Atqui eam vim à solo eo, qui Deus sit, ut qui solus possit efficere, ut elementum sensibile producat effectum omninò spiritualem, qualis est gratia sanctificans, habere potest. Ergo ipsemet Christus est Auctor Extremæ Unctionis: Is quippe, utpote Deus, partibus sensibilibus, ex quibus constat Sacramentum istud, non secus, ac cætera, tribuit virtutem eos sanctificandi, quibus applicantur. Et certè, ut cap. 5. §. 1. Tract. de Sacr. in gen. probavimus, Christus est Auctor omnium & singulorum Sacramentorum Novæ Legis. Atqui Extrema Unctio est Sacramentum Novæ Legis propriè dictum, ut hîc cap. 1. demonstravimus. Ergo necesse est, ut ab illo fuerit instituta.

Unde Concilium Tridentinum sæpè cit. Sess. 14. De Extr. Unct. cap. 1. *Instituta est*, inquit, *sacra hæc unctio infirmorum . . . à Christo Domino.* Et Can. 1. *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum anathema sit.*

38 Utrum verò Christus immediatè & per se ipsum, an verò mediatè tantùm & per Apostolos hoc Sacramentum instituerit, nondum ab Ecclesia definitum invenimus. Prius tenent omnes Theologi contra Hugonem à S. Victore, Petrum Lombardum, & S. Bonaventuram, qui volunt illud mediatè tantùm, & per Apostolos, institutum fuisse à Christo. Verùm prior sententia ab omnibus communiter recepta est & probabilior, ita ut vix nunc temeritatis notam non incurreret, qui secùs sentiret.

Certè Synodus Tridentina sæpè cit. Sess. 14. Can. 1. differens de Extrema Unctione, quam Novatores à Christo institutam fuisse negabant, nihil aliud, quàm nudam illius promulgationem Jacobo Apostolo tribuit, *Per Jacobum Apostolum . . . fidelibus commendatum ac promulgatum;* quod tamen non suffecisset, si, ut aliqui volunt, Jacobus fuisset immediatus illius institutor; prout patet. Item non fuit conveniens, ut Apostolis Christus committeret curam, atque facultatem daret aliqua Sacramenta instituendi,

tùm quòd Sacramenta ſint veluti fundamenta, quibus Eccleſia nititur, tùm quòd alioquin Chriſtus ſpem, ſaltem ex parte, in Apoſtolis collocandi locum fidelibus dediſſet: periculum enim fuiſſet, ne ii, qui juſtificationem per Sacramenta ab Apoſtolis immediatè inſtituta, fuiſſent recepturi, ſe eorumdem Apoſtolorum nomine ſeu invocatione, ſanctitatem conſequi poſſe arbitrarentur.

Denique nusquam Apoſtoli ſe eſſe aliquorum Sacramentorum inſtitutores prædicârunt, licèt multos ritus in Sacramentorum diſpenſatione ſolitos obſervari, ſibi tanquam Auctoribus vindicaverint: neque ullus Pater à primis Eccleſiæ Sæculis usque ad duodecimum jus illud, de quo loquimur, Apoſtolis adſcripſit, undè Petri Lombardi ſeu Magiſtri ſententiarum hanc facultatem Apoſtolis circa Extremam Unctionem concedentis novitas fuit meritò explodenda.

39 Quo autem tempore à Chriſto inſtitutum fuerit Sacramentum Extremæ Unctionis, variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Communis & probabiliſſima eſt nunc Doctorum ſententia, illud inſtitutum fuiſſe poſt Reſurrectionem Chriſti à mortuis, tùm, cùm Apoſtolis conceſſit ligandi atque ſolvendi poteſtatem. Cùm enim Extrema Unctio ſit perfectio ac conſummatio Pœnitentiæ, eo ipſo tempore videtur inſtituta, quo ipſum Pœnitentiæ Sacramentum. *Hi enim dies, qui inter Reſurrectionem Domini Aſcenſionemque fluxerunt*, ait S. Leo Serm. 1. de Aſcens. *non otioſo tranſierunt decurſu, ſed magna in eis confirmata ſunt Sacramenta, magna revelata myſteria.*

§. III.

De Miniſtro Sacramenti Extremæ Unctionis. 40

Lutherus Eccleſiam Catholicam criminatur, quòd ad collationem Extremæ Unctionis, contra præſcriptum Apoſtoli, plures Presbyteros non adhibeat, ſed unicum duntaxat. *Sed*, inquit lib. de Captiv. Babyl. *nec hoc ſervant iſti, quod Apoſtolus jubet Presbyteros Eccleſiæ induci, & ſuper infirmum orari. Vix unus Sacerdotulus mittitur, cùm velit Apoſtolus multos adeſſe non propter unctionem, ſed propter Orationem. Quamquàm incertum eſt mihi, an Sacerdotes velit intelligi, cùm dicat Presbyteros, id eſt Seniores.*

Luthero Calvinus omninò adſtipulatur lib. 4. Inſt. cap. 19. vultque ipſe, quod tamen ſub dubio tantùm Lutherus dixerat, abſolutè Presbyterorum nomine, quos Jacobus ad ungendum infirmum vocari jubet, intelligi Presbyteros ætate, ſeu Seniores, non autem Presbyteros dignitate, hoc eſt, per impoſitionem manuum ordinatos, ſeu Sacerdotes.

Nonnulli etiam quintô ineunte Sæculô contendebant, Sacerdotes inferioris Ordinis ita eſſe Extremæ Unctionis miniſtros, ut ab illo officio Epiſcopi excluderentur; de quibus agit Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decentium, cujus fragmentum ſup. cap. 1. retulimus, & in qua illorum improbat opinionem. *Cæterùm*, ait ibidem, *illud ſuperfluum videmus adjectum* (à Decentio in ſua ad eum epiſtola) *ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt Si Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem* (infirmum) *à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum Chriſma conficere.* Et meri-

meritò; nam quidquid poteſt ſimplex Sacerdos, id potiori jure Epiſcopus, utpotè ſuperioris Ordinis Sacerdos, poteſt. Igitur operæ pretium non eſt, ut huic argumento, quod per ſe clarum eſt, diutiùs immoremur, verùm hîc duntaxat adversùs Novatores probandum venit 1mo. Solos Sacerdotes eſſe Miniſtros hujus Sacramenti. 2do. Unum ſufficere ad illius adminiſtrationem. Sit

41 CONCLUSIO I.

Soli Sacerdotes, cujuscumque Ordinis, ſunt jure divino Miniſtri Extremæ Unctionis; nullatenùs verò Laici.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, quæ Sacerdotibus duntaxat, non Laicis hominibus facultatem facit hocce Sacramentum conferendi. *Infirmatur quis in vobis*, ait S. Jacobus, *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleô in nomine Domini.* Presbyterorum autem nomine, non Presbyteri ætate, ſeu ſeniores è populo ſeu ſocietate Chriſtiana intelligi debent, ſicut Novatoribus placet, ſed Presbyteri *dignitate*, ſeu qui Ordinatione ſua ac per impoſitionem manuum Presbyterii ad Sacerdotalem gradum evecti ſunt: Nam 1mo. vix unquam in Novo Teſtamento vox hæc *Presbyter* nomen eſt ætatis; paſſim verò aut Magiſtratus populi eo vocabulo deſignantur in Evangelio, & in Actis Apoſtolorum: aut ii ſignificantur qui ad Epiſcopalem aut Sacerdotalem functionem ordinatione Sacra promoti ſunt, & hoc modo vox iſta accipitur, ubicumque de Eccleſiæ miniſterio agitur; ut in Actis Apoſtolorum, & Epiſtolis S. Pauli, ac nominatim in iis, quæ Catholicæ vocantur, ut 1. Petri cap. 5. ubi *Seniores*, græcè *Presbyteros*, inquit S. Petrus, *qui in vobis ſunt, obſecro Conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum.* Et in ſecunda Joannis, quæ ſic incipit: *Senior*, græcè *Presbyteros, Electæ Dominæ.* 2do. Ipſa textûs S. Jacobi ſeries apertè indicat per *Presbyteros* hîc non intelligi homines Laicos, ſed Sacerdotes: Non enim ſimpliciter *Presbyteri* dicuntur, ſed *Presbyteri Eccleſiæ*, ſeu qui Eccleſiæ præſint, ſintque illius miniſtri. 3tio. Illi Presbyteri jubentur orare ſuper infirmum, & miniſterio, quod exhibuerint, orationi nimirùm & unctioni, promittitur remiſſio peccatorum. Atqui hæ functiones publicæ Laicis non competunt, licèt ſenioribus, ſed iis tantùm, qui legitimè conſtituti fuerint in Eccleſia Miniſtri. 4to. Quòd ſi Presbyterorum nomine S. Jacobus ætate provectos intellexit, tunc dici debebit, eum ab unctionis miniſterio excluſiſſe tùm Epiſcopos tùm Miniſtros, qui tunc temporis, ut patet in Timotheo, nonnunquam adhuc maximè juvenes conſecrabantur.

Prob. 2do. Ex Traditione. Patres, quoties de Jacobi textu ſermonem habuerunt, ipſum non de ſenioribus Laicis; 42
ſed de Epiſcopis aut Sacerdotibus interpretati ſunt. Ut S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, ubi, *Neque enim*, ait, *ſolùm cùm nos regenerant, ſed poſteà etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accerſat Presbyteros &c.* Laicis autem, etſi ſeniores ſint, nulla competit facultas dimittendi peccata, ſed ſolis Sacerdotibus, quos proindè Presbyterorum nomine hîc intelligit S. Doctor. Innocentius Papa I. Ep. ad Decentium alibi jam relatâ (q) idem per Presby-

(q) Cap. 1mo.

Presbyteros intelligit, quod mox laudatus Chryſoſtomus, ut eam legenti patet. S. Gregorius Magnus in Sacramentario deſcribens Extremæ Unctionis ritum, Miniſtros, à quibus peragitur, modò vocat Presbyteros, modò autem Sacerdotes: *Tunc*, inquit, *offertur Pontifici oleum, & benedicit illud tam ipſe quàm omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum his verbis &c.* Et poſteà, *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque ſenſibus corporis.* Eadem ratione vocem *Presbyteros* intellexit alterum Concilium Aquisgranenſe annô 836. Nam, *Si autem*, inquit Can. 5. *infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione atque oratione Sacerdotali, necnon unctione ſacrati olei per ejus* (Sacerdotis) *negligentiam careat.* Iis Patribus addi poſſunt Auctores, qui ab octavo ad præſens usque Sæculum Sanctorum ex hac vita exitum deſcripſerunt, ut qui teſtentur eos ſacrô oleô inunctos fuiſſe ab Epiſcopis aut à Sacerdotibus, non à Laicis ſenioribus. Denique hujus rei teſtis eſt conſtans ac perpetuus Eccleſiæ uſus, quæ non ab aliis, quam à Sacerdotibus Sacramentum hoc adminiſtrari permiſit. Undè Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 3. poſtquam, Synodi Florentinæ in Decreto veſtigiis inhærens, aſſeruiſſet apud Sanct. Jacobum nomine Presbyterorum venire aut Epiſcopos aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinatos, Can. 4. ſic definit: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate Seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.*

CONCLUSIO II. 43

Valet Extremæ Unctionis Sacramentum, licèt ab uno tantùm Presbytero ſeu Sacerdote collatum.

Prob. 1mo. Ex ſæpiùs laudata epiſtola Innocentii I. ad Decentium, in qua decernit Epiſcopum, ſi velit, poſſe illud Sacramentum conferre. 2do. Ex Alexandro III. Cap. *Quæſivit*, de verborum ſignificatione, in quo ſic habet: *Sacerdos, uno præſente Clerico, & etiam ſolus, poteſt infirmum ungere.* Denique non deſunt exempla Sacramenti hujus ab uno duntaxat Presbytero vel Epiſcopo adminiſtrati, ut conſtat ex vita S. Eugendi, ex Everhelmo in vita S. Popponis; ex Prudentio Tricaſſino, qui ſolus inunxit beatam Mauram.

Diximus in Concluſione, valere Sa- 44
cramentum Extremæ Unctionis ab uno tantùm Sacerdote collatum, quia nempe ad id ſufficit poteſtas Ordinis. Non tamen quilibet Sacerdos illud licitè adminiſtrare poteſt; quia etſi in tali miniſterio jurisdictio non ſit de ſubſtantia Sacramenti, nec illius Principium; tamen eſt conditio neceſſaria, ut licitè fiat. Ergo Extrema Unctio non poteſt licitè adminiſtrari niſi à Paſtore proprio, vel alio de ejus licentia: nam adminiſtratio Sacramenti eſt officium Paſtoris, quod uſurpare propria auctoritate in materia gravi gravis eſt culpa; cùm id ei injurioſum ſit, & repugnet recto regimini, ac debito ordini. Undè in Clementina 1. de privilegiis excommunicatione feriuntur Regulares, ſi absque licentia proprii Sacerdotis Extremam Unctionem adminiſtrent. In caſu tamen neceſſitatis, abſente Parocho, quilibet Sacerdos non ſolùm poteſt, ſed etiam debet inungere infirmum in extremis poſitum, ut expreſſè habe-

habetur in Concilio Mediolanensi V. his verbis: *Si porro is* (Parochus) *impeditus, aut aliàs in mora est, mortisque periculum instat, hoc* (Sacramentum) *Sacerdos alius administret.* Adeoque in tali casu citata Clementina locum non habet, alioqui esset in destructionem, nec proinde vera lex, quæ essentialiter est ordinatio rationis in bonum commune.

45 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra 1mam. Conclusionem. Innocentius I. Epistolâ 1. ad Decentium suprà cap. 1. Conclus. prob. 2. citatâ declarat posse à quibuslibet Laicis ministrari Sacramentum Unctionis. *Quo*, (oleo infirmorum scilicet) *omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.* Ergo non soli Sacerdotes, sed etiam Laici sunt ministri Extremæ Unctionis.

Resp. neg. ant. & conf. S. Innocentius cit. ep. ait non solùm Sacerdotibus sed etiam Laicis fidelibus licere uti oleô per Episcopum benedictô in sua vel suorum necessitate; sed cum hoc discrimine, quòd Fideles Laici illo Oleo uti tantùm possint ad membrum morbô affectum, vel frontem ungendum absque forma Sacramentali, ad modum scilicet quo tingebant frontem vel alias corporis partes aquâ benedictâ: Sacerdotes verò possint insuper illo Oleo uti ad efficiendum Sacramentum, addendo formam Sacramentalem super alios cum debita intentione. Fideles quippe olim utebantur Oleô benedictô fere ad modum, quo nunc aquâ benedictâ utuntur; ut historiâ proditum est de Machario apud Palladium Historiæ Lausiacæ cap. 20. de Eutychio Constantinopolitano apud Eusthatium Presbyterum in ejus vita; de Martio Abbate apud Gregorium Turonensem in vitis Patrum cap. 14. num. 2. Refert enim eum *quartanis, tertianisve febribus infuso benedicti olei liquore mederi solitum fuisse.* Plura extant alia similia exempla, quæ omittimus.

Ob. 2do. Venerabilis Beda ad cap. 5. Jacobi scribit: *Infirmos moneri debere, ut Seniorum adjutoriô curari se meminerint, neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant.* Ergo ipsi persuasum fuit, Presbyterorum nomine Jacobum intellexisse Seniores ætate, non autem dignitate: proindeque censuit Laicos, si Seniores fuerint, posse conferre Sacramentum Extremæ Unctionis. 46

Resp. neg. conf. Beda duplicem textûs Jacobi *Infirmatur quis &c?* affert sensum, Moralem scilicet & Litteralem. Morali conveniens erat, ut Presbyterorum nomine intelligerentur Seniores *ætate*; Litterali verò Seniores *dignitate*, prout ipse intellexit, cum laudet Innocentii I. rescriptum ad Decentium. In ea nempe verba: *Infirmatur &c.* Hæc ait: *Hoc & Apostolos fecisse; & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleô consecratô ungantur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur.*

Ob. 3tio. contra Conclusionem 2dam. S. Jacobus cit. cap. 5. ad conferendum Extremæ Unctionis Sacramentum plures requirit Sacerdotes; *inducat*, inquit, *Presbyteros.* Ergo unus non sufficit. 47

Resp. neg. ant. Nam Jacobus per enallagen numeri pluralem pro singulari usurpavit, communi loquendi modô usus, atque sensus est, Inducat aliquem ex Presbyteris; quomodò dicitur pec-

cata confiteri Presbyteris, hoc eſt alicui Presbytero; & ſicuti etiam dicitur: ſi quis morbô laborat, Medicos accerſat, id eſt, Medicum aliquem. Sic etiam Chriſtus locutus eſt, cùm Luc. 17. dixit: *Oſtendite vos Sacerdotibus:* nam ſatis erat, ſi Leproſus uni Sacerdoti ſe oſtenderet, ut conſtat ex Levit. cap. 14. Sic etiam Matth. 27. latrones, qui juxta Chriſtum crucifixi erant, dicuntur ipſi improperaſſe; cùm tamen ſcribat S. Lucas, id ab uno tantùm factum fuiſſe. Plura exempla ſimilis Scripturarum ſacrarum locutionis ſuppeditat S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 16.

48 Ob. 4to. Plures in Eccleſia græca ſemper adhibiti ſunt Sacerdotes ad conferendum Extremæ Unctionis Sacramentum, ut teſtatur Simeon Theſſalonicenſis lib. de Sacramentis: ubi, *Quamvis*, inquit, *non ſit ſcriptus* (numerus Sacerdotum) *neceſſarium tamen eſt antiquam obſervare Traditionem, & ſint quidem ſeptem, ut veteris moris eſt; ſi verò neceſſitas fuerit, tres ſint ad minus.* In Eccleſia quoque Latina olim plures advocatos fuiſſe Sacerdotes ad adminiſtrandam infirmis Extremam Unctionem habetur ex lib. Sacramentorum S. Gregorii pag. 253. apud Menardum: ubi hæc leguntur: *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque ſenſus.* Favent Codices Ratoldi, Sæculô 10mô. editi. Eparchius Scriptor vitæ Caroli Magni, cùm ejus exitum deſcribens, *Oleô ſanctô*, inquit, *inunctus eſt ab Epiſcopis.* Hinc etiam Waldenſium querimoniæ: *Sacramentum Unctionis reprobant*, inquit Reinerus lib. de Waldens. *quia tantùm divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi neceſſarios*, quibus pretium dari oportebat, cui ſolvendo ſoli divites ſufficiebant. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Memoratus uſus Græcorum, & priorum Sæculorum Eccleſiæ Latinæ, ſolam Eccleſiarum diſciplinam ſpectat, non Sacramenti ſubſtantiam ſeu neceſſitatem: *Dico*, inquit Ledesma 2. p. q. 33. a. 1. *quòd de neceſſitate Sacramenti ſolus unus Sacerdos ſufficit, ſed ex decentia debent eſſe plures Sacerdotes, &c.* Ex quibus habetur ætate hujus celebris Dominicani, qui poſt medium Sæculi 16ti. floruit, uſum hunc plures adhibendi Sacerdotes ad miniſtrandam Extremam Unctionem adhuc in Eccleſia Latina viguiſſe, non quidem ut quid neceſſitate Sacramenti neceſſarium, ſed velut decentiam ſpectans. Porro res hujusmodi, diſciplinæ & decentiæ duntaxat, Eccleſia pro temporum & perſonarum ratione immutare & abrogare poteſt, quin per hoc Sacramenti ſubſtantiæ & dignitati quidquam detrahatur. Neque etiam, ubi in Eccleſia Latina adhuc mos erat, ut plures Sacerdotes ad conferendam Extremam Unctionem convenirent, uno, ſed pluribus modis illa adminiſtrabatur. Aliquando unus oleum applicabat, altero formæ verba pronuntiante, ut in Sacramentario S. Gregorii. Aliquando ſinguli ungebant easdem omnes corporis partes, & ungendo formam proferebant, ut in Codice Tiliano, & Remigio - Rhemenſi: quo caſu non multiplex, ſed unum erat Sacramentum ex illis omnibus unctionibus reſultans. Aliquando unus unam partem, alter alteram ungebat, ut in Euchologio Græcorum, quisquam enim ex ſeptem Sacerdotibus legitur ungere diſtinctum organum vel membrum. Sed hæc omnia Eccleſia Latina ad unum reduxit Sacerdotem.

CAPUT

49 ## CAPUT III.

De Subjecto, cui administrari debet Sacramentum Extremæ Unctionis.

APud Græcos quivis Fidelis pœnitens, sive sanus sit, sive infirmus; apud Latinos verò soli infirmi sunt Subjectum Extremæ Unctionis. Quamvis videatur, quòd unctio illa, qua sanos passim inungunt Græci, ab iis pro mera duntaxat cæremonia habeatur, vel saltem haberi debeat; prout infrà dicemus.

Græci Schismatici, & Novatores nostri, cùm nihil circa hujus Sacramenti Subjectum reperiant in Catholicis, quòd meritò reprehendant, imponere malunt, ut possint conviciari.

Simeon Archi-Episcopus Thessalonicensis Græcus Schismaticus, qui circa annum 1410. scripsit librô de Sacramentis, quem Morinus edidit ad calcem sui Operis de Pœnitentia, Latinos falsa criminatione impetit, quasi asserant Unctionem Extremam conferri non debere nisi mox discessuris, & omni sensu destitutis: *Qui omnia immutant Latini*, inquit, *hanc etiam cæremoniam corruperunt, atque non esse exhibendam ægrotantibus, sed moribundis ajunt. Quandoquidem enim hoc Sacramentum dimittit peccata, propterea moribundis exhibetur* (à Latinis) *ne si quis supervixerit, rursùs peccet. O clementiam! Frater Dei enuntiat, Et Oratio Fidei salvabit infirmum, & eriget eum Dominus: hi verò ajunt, Ut moriatur.*

Lutherus Lib. de Captiv. Babyl. similem calumniâ Catholicis impingit: *Apostolus*, inquit, *in hoc ungi & orari præcipit, ut infirmus sanetur, & allevietur, hoc est, non moriatur . . . illi* (Catholici) *contrà dicunt non esse dandam Unctionem, nisi discessuris, hoc est, ut non salventur & alleventur ideò & extremam volunt unctionem, ut non sit verum per eam sanari infirmum, quod ille* (Jacobus) *statuit: si hoc non est insanire, rogo, quid est insanire?*

Calvinus lib. 4. Institut. cap. 19. non minùs petulanter debacchatur adversùs Catholicos. *Jacobus*, inquit, *omnes infirmos vult inungi; isti non infirmos, sed semimortua cadavera suâ pinguedine inficiunt, cùm jamjam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipsi loquuntur, in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo Sacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium afferant, crudeles sunt, qui nunquam in tempore medentur.* Sed adversùs ejusmodi calumnias sit

CONCLUSIO. 50

In mente Ecclesiæ Latinæ iis solis impertienda est Extrema Unctio, qui sunt in gravi mortis periculo orto ex aliquo morbo, seu aliqua corporis infirmitate, nec expectanda est extrema vitæ periodus.

Prob. 1mo. Ex Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? &c.* quæ verba sanos excludunt, ut constat ex unanimi Doctorum sensu, & perpetua praxi Ecclesiæ, prout mox ostendemus, & verbum Græcum significat graviter ægrotum.

Prob. 2do. Ex Traditione & praxi Ecclesiæ, quam referunt, & exhi-

bent Concilia, summi Pontifices, libri Sacramentales seu Rituales sup. cap. 1. à nobis adducti; qui omnes infirmis duntaxat, Sacramentum istud conferri debere statuunt, sanorum autem non meminerunt.

51 Quod autem expectanda non sit ultima vitæ periodus, declarant Concilia: Rhemense annô 1583. *Cavendum*, ait, *ne mors unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat.*

Burdigalense annô 1583. tit. 13. *Tamen*, inquit de hoc Sacramento, *non eousque differendum est, dum æger omnibus penè sensibus destitutus sit.* Bituricense annô 1584. tit. 28. Can. 1. *Administretur*, inquit, *tempestivè à Sacerdote Extrema Unctio olei sancti, ita ut Christianus mente adhuc integra Sacramenti efficaciam agnoscere possit.* Idem anteà decreverat Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo: *Extremæ Unctionis Sacramentum*, inquit, *curet Parochus, ut ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.* Idem constat ex lib. 6. Capitularium Caroli Magni cap. 75. ibi enim dicitur sufficere ad ungendum infirmum, *si infirmitate depressus ille sit, nondum fine vitæ perspecto.* Idem ex Concilio Aquisgranensi II. annô 836. Can. 5. ubi præcipitur Sacerdoti ungere eum, quem *depressum infirmitate noverit, etiamsi nondum urgentem vitæ illius finem perspexerit.*

Concilium Moguntinum annô 1549. cap. 34. pariter requirit tantùm, ut infirmus sit in mortis periculo.

Adstipulatur Ritualis Romanus, qui de hoc Sacramento agens, *Eam in rem*, inquit, *instituta est* (Extrema Unctio) *non modò ut animæ, sed etiam ut corpori medicinam afferat*, &c. Et Synodus Lingonensis annô 1404., *Quia*, inquit, *hoc Sacramentum tunc datur, cùm infirmitas mortalis videtur, propterea frequenter infirmi aliqui mortem dubitantes illud recusant recipere Dicendum est eis, quòd non debent dubitare, quòd per receptionem hujus Sacramenti veniat mors, verùm potiùs veniet utraque sanitas mentis & corporis, si devotè & dignè recipiant.*

Indè est quòd Catechismus Concilii Tridentini part. 2. de Sacramento Extr. Unct. num. 18. asserat *gravissimè peccare eos, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cùm jam omni salutis spe amissa, vitâ & sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere, si ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacrô oleô liniatur.*

Confirmantur hæc omnia manifesta ratione. 1mo. Quia utilior est unctio, cùm ab iis accipitur, qui fruuntur rationis usu: nam cùm viget ratio, ægrotus per fidei ac pietatis motum magis se se disponit ad Sacramenti receptionem. 2do. Unctio Extrema datur, ut infirmi animam alleviet, id est, ut eam pariat mentis hilaritatem, quæ necessaria est, ut morbi dolores patienter ferantur. Atqui infirmo opus est hilaritate, non tantùm cùm in extremis est constitutus, sed etiam in quacumque periculosa ægritudine. 3tio. Ubi expectatur ultima vitæ periodus, Extrema Unctio raró admodùm producit secundarium effectum, ad quem instituta est, sanitatem nempè corpoream; quia Sacramentum istud non 52

opera-

operatur hunc effectum per modum miraculi, sed operatur illum virtute ordinaria supernaturali, quæ naturales causas adjuvat.

Corrigendus ergo est illorum error, qui ad divinum hoc Unctionis remedium non recurrunt, nisi cum propinquorum desperata est salus; nam præterquam quòd Novatores indè sumant occasionem Ecclesiam calumniandi, tales in suos sunt crudeles.

53 Non omnibus tamen infirmis periculosè etiamnum decumbentibus exhibenda est. Nam 1mo. non iis, qui in ipso actu criminis sensibus sunt destituti, utpotè qui sint impœnitentes, & gratiæ sanctificantis incapaces. Diximus *in ipso actu criminis*; quia si spatium pœnitendi habuerint, priusquam fierent rationis impotes, sacra unctio non est eis deneganda; quia conjectare licet eos pœnituisse, etiamsi nullum suæ pœnitentiæ signum dederint. Ita communiter Theologi. 2do. Neque eis exhibenda est, qui levi aliqua infirmitate laborant, ex qua mors timeri probabiliter non possit. 3tio. Nec danda est iis, qui, cùm sano sint corpore, vel probabile, vel certum vitæ periculum adeunt, v. g. qui mare transmissuri sunt, aut prælium commissuri, aut capite plectendi: quamvis enim illi omnes egeant præparatione ad mortem, non tamen pro illis, sed pro solis ægrotantibus institutum est hoc Sacramentum, prout constat ex S. Jacobo, *Infirmatur quis &c.* Ratio est tùm quia in illis infirmitas mentis non significatur infirmitate corporis, cùm exhibeatur hoc Sacramentum tanquam utriusque medicina, ita ut animæ curatio per curationem corporis significetur: tùm quia institutio respicit id, quod ordinarium est, nempè homines de morte periclitantes esse infirmos, non sanos. Singularis adhuc profertur causa, cur reis ultimô supplicio afficiendis non detur Extrema Unctio, quia nempe, ut ait Innocentius I. epist. 1. ad Decent. jam sup. cap. 1. citatâ, publicis peccatoribus ac pœnitentibus illud antiquitùs denegabatur. 4to. Nec impertienda est infantibus baptizatis, in quibus nullum est peccatum; est enim istud Sacramentum ad expungenda peccata destinatum, *Et si in peccatis fuerit*, ait S. Jacobus, *dimittentur ei.* 5to. Nec iis conferenda est, quibus lumen rationis nunquam affuit, ut amentibus à nativitate, qui nulla habuêre lucida intervalla, ex ratione, quam primùm de infantibus attulimus; hi quippe post Baptisma nullum peccatum contraxerunt, quod eis remittatur, nullæ in ipsis supersunt peccatorum reliquiæ, quas divina unctio abstergat. Nec dicas sanitatem corpoream iis infirmis posse restitui per sacram unctionem; nam effectus ille est tantùm secundarius: Sacramentum autem non debet conferri nisi iis, qui sunt capaces effectûs primarii: Sacramenta enim sunt instituta ad nostram sanctificationem, nec licet ad ea accedere solo temporalis commodi motivo.

Adhibenda tamen est Extrema 54
Unctio 1mo. amentibus, furiosis & arreptitis, si dum sana mente erant, signa sinceræ ad Deum conversionis ostenderint, maximè si anteà Sacramentum exoptassent ac postulassent: si tamen ejusmodi amentes & furiosi nulla haberent lucida intervalla, neque posset ipsis Unctio administrari sine evidenti periculo irreverentiæ, satius foret eo casu illos non inungi, cùm Sacramentum hoc non sit absolutè necessarium ad salutem.

2do. Nec deneganda est Adultis quibusque fidelibus periculosè decumbentibus, sive piè, sive malè vixerint, modò pœnitentes præsumi possint, etiamsi sensibus sint destituti; nam per Baptismum jus acceperunt ad alia Ecclesiæ Sacramenta, quibus privandi non sunt, nisi constet eos jure suo cecidisse per manifestam impœnitentiam; & in omnium Theologorum sententia ad Extremam Unctionem exteriora pœnitentiæ signa non adeò requiruntur.

Denique, deneganda non est senibus, qui præ decrepita senectute, quamvis nulla urgente infirmitate, in dies morituri creduntur; ipsa enim gravis & annosa senectus est infirmitas morti proxima. Ita jubet Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo, tit. 6. part. 2. (r)

56 Quæri hîc etiam potest num Extrema Unctio adhibenda sit ante vel post perceptum Sacrum viaticum. Dubium non est, quin apud Græcos Eucharistiæ soleat præmitti, prout sup. cap. 1. in resp. ad ob. 8. jam diximus, ut qui eam conjungant cum Sacramento Pœnitentiæ, quod ante Eucharistiam confertur. vid. Patrum testimonia cit. cap. 1. adducta.

Certum est etiam in Ecclesia Latina priùs inunctos fuisse infirmos, quàm Sacrô viaticô reficerentur; sic enim referunt Yvo Carnotensis ex lib. pœnitentiali Theodori Cantuariensis. Bollandus Tom. 2. Februarii de Tresano Sæculi 6ti. Presbytero. Concilium Aquisgranense annô 836. Can. 5. Concilium Moguntinum annô 847. Cap. 26. suprà cit. cap. 1. adducti. Et Lib. 6. Capitularium Caroli Magni cap. 75. post ea verba quæ cit. cap. 1. retulimus, quibus præcipitur, ne infirmus unctione sacrati Olei careat, hæc adjiciuntur: *Et si finem perspiciat, sacrosancto corpore Deo anima ejus à Sacerdote precibus commendetur.* Wibertus etiam ibidem citatus de S. Leone IX. *Perpendens*, inquit, *non diutiùs eum retinendum carnis ergastulô; decrevit, ut . . . inungeretur sacri Olei liquore. Super quo facto exhilaratus usquequaque, munitusque Corpoirs & Sanguinis Dominicæ communione &c.* Et ratio hujus disciplinæ hæc est, quòd Sacramentum Unctionis Extremæ sit consummatio pœnitentiæ, ut suprà in procemio annotavimus, abstergat peccatorum reliquias, animam erigat, paratioremque reddat ad perceptionem Sacræ Eucharistiæ. His Auctoribus permotus magnus quidam Ecclesiæ Princeps hanc veterem circa administrationem hujus Extremæ Unctionis Sacramenti restituit in sua Diœcesi. In Rituali nostro Argentinensis Diœcesis jussu Eminentissimi Principis & Episcopi nostri Cardinalis de Rohan annô 1742. edito hæc circa illius administrationem tit. de Extr. Unct. n. 2. pag. 174. præscribuntur: *Curandum est, ut Pœnitentiæ administratio præcedat Extremam Unctionem, requiritur enim status gratiæ ad ejus perceptionem. Si eodem tempore ægroto detur Eucharistia & Extrema Unctio, hæc ante illam poterit dari, si ita fieri postulet ægrotus faciat autem super ea re Parochus, quod magis expedire videbitur pro astantium ædificatione, maximè*

(r) Ex Rituali nostro Argentinensi, non etiam deneganda est pueris, qui septimum ætatis annum attigerint, imò etiam septennio minoribus, si malitia in eis ætatem suppleverit. *Ibid. de Extrem. Unct.* §. 2. *pag.* 174.

ximè autem pro temporis opportunitate. Si enim vis morbi urgeret, Viaticum primò detur, & poſteà Extrema Unctio. Igitur conſulimus, ut quilibet Sacerdos ritum in ſuo Rituali præſcriptum obſervet.

57 Quantùm ad Græcos ſpectat, qui non modò infirmos, ſed etiam ſanos ſæpiùs inungunt ſacrô oleô, eo ſuper ab Eccleſia Latina nusquam reprehenſi inveniuntur; & quamvis S. Jacobus jubeat infirmos inungi, tamen ſanos excludere non videtur; ſicuti Chriſtus ipſe dum his verbis *Hoc facite &c.* adultis præcepit Euchariſtiæ communionem, nequaquam tamen parvulos excluſit, ut patet ex Eccleſiæ praxi, quæ per duodecim priora ſæcula eis Euchariſtiam porrexit. Et Eugenius IV. in Decreto pro inſtructione Armenorum: *Hoc Sacramentum nonniſi infirmo dari debet*, declarat quidem Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, quam voluit Armenos amplecti; ſed iisdem verbis nequaquam definit, quòd pro ſolis infirmis fuerit inſtitutum. Item Innocentius IV. Epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum equidem prohibet, *ne Sacerdotes Græcorum aut Confeſſores Græcorum pro ſatisfactione pœnitentiæ unctionem aliquam ſolummodò inungant.* Attamen non vetat, ne ubi convenientem peccatis ſatisfactionem injunxerint, confeſſos, quamvis ſanos, inungant. Denique nullum unquam negotium Latini Græcis faceſſerunt, quòd hocce Sacramentum ſanis adminiſtrarent. Finitâ Florentinâ Synodô de multis quidem, quæ ab Occidentalium praxi differrent Latini Græcos ſciſcitati ſunt; ſed de ritu, de quo agitur, nullam ipſis intentarũnt litem; de eo altum fuit apud eos ſilentium.

58 An verò illa unctio, qua paſſim ſanos inungunt Græci, ab ipſis pro vero Sacramento habeatur non ita certum videtur. Affirmat Arcudius Græcus ipſe lib. 5. de Extr. Unct. cap. 4. & ult. ubi contra hunc Sacramenti, ut ait, abuſum vehementer inſurgit: è contrà negat Goarius in ſuis ad Euchologium notis, moleſtè ferens, quòd Arcudius ſuos propter hanc functionem duriùs exagitet, quæ mera videtur eſſe apud ipſos cæremonia, non verò noſtrum Sacramentum. Addunt alii, quòd ea, quæ de ſanis ſacrô oleô inungendis leguntur, ſignificent tantùm pœnitentes Sacramentaliter confeſſos & abſolutos, ungendos eſſe oleô infirmorum, ſed ſine forma Sacramentali, ideoque ſine Sacramento. Undè ungebantur oleô benedictô, ſicut nunc fideles tingunt frontem aquâ benedictâ. Favet Innocentius I. epiſt. ad Decent. ſup. *cap.* 1. & alibi citatâ; ex quo audivimus noſtros etiam Latinos oleô per Epiſcopum ſanctificatô uſos fuiſſe ad morbos depellendos, quin tamen ſuſpicari poſſimus, in ea unctione fuiſſe verum noſtrum Sacramentum. Arcudius *loc. cit.* breviùs rem definit, ait enim, ea, quæ in Euchologio de ungendis ſanis oleô ſacrô leguntur, à poſterioribus Græcis inſerta fuiſſe.

Caput IV. 59

De effectibus, & proprietatibus Extremæ Unctionis neceſſitate videlicet & iteratione.

Expoſitis ſufficienter iis, quæ exiſtentiam, cauſas, & Subjectum Sacramenti Extremæ Unctionis ſpectant, ſupereſt, ut, priusquam Tractatum hunc finiamus, ea, quæ de illius effectibus & proprietatibus differunt Theologi,

logi, adhuc hoc capite expendamus; quod duobus paragraphis exequimur. In quorum 1mo. de effectibus; in 2do. autem de proprietatibus, necessitate videlicet & iteratione, &c. illius agemus. Sit

§. I.

60 *De effectibus Extremæ Unctionis.*

Novatores negant Extremam Unctionem habere effectum aliquem; contenduntque remissionem peccatorum, quam pollicetur S. Jacobus, tribuendam esse fidei infirmi, vel orationibus fidelium. Lutherus lib. de captiv. Babyl. eam tribuit fidei infirmi: Calvinus verò lib. 4. Institut. cap. 19. fidelium orationi; ubi petulanter nimis, pro more suo, adversùs Catholicos debacchatur. Contra ipsos pro hoc primario illius effectu sit

61 CONCLUSIO.

Extrema Unctio remittit peccata. Est de fide.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. *Si in peccatis fuerit*, inquit S. Jacobus, *remittentur ei.* Ibi non tantum de fide seu fiducia suscipientis, atque fidelium seu Sacerdotum oratione ipsi sermo est, sed de toto Sacramento, (cujus forma est oratio, & ad quod etiam, velut conditionem *sine qua non*, suscipientis fidem seu fiduciam requiri ultro fatemur) scilicet de Sacra Unctione prout materiam & formam suam, de quibus suprà egimus, includit.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus sup. cap. 1. citatis, qui Unctionem infirmorum recensent inter Sacramenta, quæ peccata dimittunt. Origenes, ut ibidem observavimus, scribens in Levit. utitur laudatis Jacobi verbis, ut probet, eum, quem peccati pœnitet, consequi illius remissionem. *In quo*, inquit, *impletur & illud, quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur vocet &c.* Et S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio eadem Jacobi verba adhibet, ut probet Sacerdotes donatos fuisse potestate remittendi peccata etiam extra Baptismum: credidit igitur iis verbis contineri promissionem de peccatorum remissione. Gregorius Magnus in Sacramentario hujus Sacramenti formam præscribit, quæ peccatorum remissionem expressè complectitur. S. Petrus Damianus Serm. de Dedicat. Eccl. *Tertium*, inquit, *Sacramentum est Unctio infirmorum Solemnis unctio, excellens liquor, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur.* S. Bernardus in vita S. Malachiæ cap. 24. postquam narravit S. Pontificem inunxisse fœminam, quam suis precibus à mortuis suscitarat, sic loquitur: *Et unxit eam sciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quòd oratio fidei salvet infirmum. &c.*

Præter remissionem peccatorum alios adhuc Extremæ Unctionis effectus recenset S. Jacobus cit. cap. 5. Sanitatem corporis scilicet, quam restituit, si tamen animæ saluti expediat: & alleviationem seu erectionem infirmi. Hos effectus recenset Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 2. de Extr. Unct. his verbis: *Res hujus Sacramenti est gratia Spiritûs sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit; & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando; qua infirmus sublevatus, morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit;* 62

ſiſtit ; & ſanitatem corporis interdùm, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

63 Igitur, ut accuratè loquamur, tùm ex Jacobo, tùm ex Concilio Tridentino habemus, effectum, ad quem directè inſtitutum eſt Sacramentum Extremæ Unctionis, eſſe gratiam ſanctificantem in ordine ad fines aliquos & effectus proprios hujus Sacramenti, nempe remiſſionem peccatorum ; abſterſionem reliquiarum peccati, defectuum ſcilicet & infirmitatum ex peccato originali & actualibus contractarum, ut ſunt propenſio ad malum, torpor ad bonum operandum, &c. infirmi alleviationem ſeu levamen contra tædium, & gravedinem, quæ animam deprimit, quominùs ad cœleſtia ſe ſe erigat, incommoda infirmitatis, mœrorem & anxietatem, quæ morti vicinum vexare ſolet &c. Denique ſanitatis corporeæ reſtitutionem. Ubi remiſſio peccatorum & abſterſio reliquiarum peccati & alleviatio infirmi ad effectum primarium ; reſtitutio verò ſanitatis corporeæ ad ſecundarium effectum hujus Sacramenti reduci poſſunt. Id habetur tùm ex verbis S. Jacobi, tùm ex adducta Concilii Tridentini ſententia. Et Concilium Florentinum in Decreto hæc ait : *Effectus* (Extremæ Unctionis) *eſt mentis ſanatio, & in quantum expedit ipſius etiam corporis.* Ad mentis ſanationem autem pertinent tùm remiſſio peccatorum, tùm abſterſio reliquiarum peccati, tùm denique mentis alleviatio.

Non tamen idcircò Extrema Unctio, quod peccata remittat & peccatorum reliquias abſtergat, dicenda eſt Sacramentum mortuorum, niſi ſecundariò, ſecundum quid, & cum addito reſtringente ad certos caſus, in quibus ſolis remittit mortalia, nempè quando vel peccata remiſſa non fuerunt per Sacramentum pœnitentiæ propter occultum aliquem defectum miniſtri : vel poſt abſolutionem commiſſa ſunt, ſed memoriâ exciderunt, depoſito tamen affectu ad illa, & elicita contritione imperfecta : vel homo propter privationem usûs rationis & ſenſuum factus eſt incapax confeſſionis, nec anteà habuit contritionem perfectam, ſed tantùm attritionem cum amore Dei imperfecto. Enimverò ex inſtitutione Chriſti ad remiſſionem mortalium Sacramentum pœnitentiæ præmitti debet Extremæ Unctioni, ſi poſſit : quòd ſi non poſſit, elicienda eſt contritio perfecta : ſed quia hæc difficilis eſt, & non rarò abeſt, utriusque defectum ſupplet Extrema Unctio, modò adſit attritio cum aliquo Dei amore, qualis requiritur in Sacramento pœnitentiæ.

Ex quo patet, quanti ſit momenti Extremam Unctionem recipere, cùm illius ope ſalvari poſſit, qui alioqui damnandus fuiſſet, ut docet S. Carolus in inſtructione de hoc Sacramento.

Quantùm ad ſecundarium hujus Sacramenti effectum, ſanitatem nempè corporis : eam interdum reſtituit, ubi ſcilicet animæ ſaluti expedierit, ut docet Concilium Tridentinum ſuprà citatum ; Ergo non ſemper, ſed aliquando tantùm hunc habet effectum ; ſi nempe, ut dictum, ſaluti animæ expedierit. Quod etiam intelligi debet ſecundùm Divinam providentiam, ſecundùm quam non ſemper expedit turbari rerum ordinem, & cauſarum naturalium exigentiam fruſtrari. Quare hunc effectum impediunt, qui hoc Sacramentum non ſuſcipiunt, niſi cum morbus ita invaluit, ut jam ſine miraculo ſanari nequeat. 64

65 Ob. contra Conclusionem. Plures Theologi inficiantur peccata per Extremam Unctionem remitti, ut Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 23. quæst. 2. a. 2. cui passim alii Thomistæ subscribunt. Ergo de Fide non est, quòd peccata per illam remittantur.

Resp. neg. ant. Omnes Catholici conveniunt peccata remitti per Extremam Unctionem: Sed dubium inter ipsos excitatur, quid peccatorum nomine intelligi oporteat, an culpam, an pœnam, aut reliquias tùm venialium tùm mortalium peccatorum; Dominicus Soto, quem quidam alii Thomistæ sequuntur, contendit intelligi reliquias peccatorum; cui cæteri Theologi contradicunt, quia, ajunt, in usu Scripturæ, à quo sine gravi causa recedere non licet, peccatorum nomine vera intelliguntur peccata etiam quoad culpam.

66 Inst. 1mo. S. Jacobus ait, quòd, *si* suscipiens Sacramentum istud *in peccatis* duntaxat *fuerit*, *ei remittentur.* Ergo Extrema Unctio non per se & absolutè seu vi suæ institutionis remittit peccata, sed conditionatè tantùm & per accidens.

Resp. neg. conf. Nam 1mo. particula *si* in Scriptura non semper significat conditionem rei incertæ, sed concessionem rei certæ & indubitatæ; quo sensu idem S. Jacobus cap. 1. vers. 5. ait: *Si quis vestrum indiget sapientiâ:* id est, *cùm unusquisque vestrûm indigeat sapientiâ.* Pariter sensus verborum istorum, *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*, est, *Et cùm in peccatis, aut peccatorum reliquiis sit, remittentur ei*, difficile enim admodùm est, hominem esse tam purum, ut nullas, nequidem veniales noxas habeat. Eodem modo explicanda est particula *si* 2. Thessal. 1. vers. 6. *Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos conturbant*: hoc est, *siquidem justum est &c.* 2do. Dici potest, non immeritò Apostolum particulam *si* apposuisse: cùm enim nostrum Sacramentũ destinatum sit ad delenda etiam peccata mortalia, quæ superesse possunt, vel etiam non superesse, idcircò dixit Apostolus, *Si in peccatis sit:* innuens quòd, si nullum sit in homine, cùm Sacramentum istud percipit, peccatum mortale, tunc Unctio & gratiam augeat, & venialia expungat, & reliquias peccati abstergat.

67 Inst. 2do. Ex communi Theologorum sententia duo tantùm sunt Sacramenta mortuorum, quæ nempè mortuis per lethale peccatum vitam gratiæ restituunt, Baptismus scilicet & Pœnitentia. Atqui hoc falsum esset, si etiam Extrema Unctio per se & ex sua institutione peccata remitteret; nam sic etiam esset Sacramentum mortuorum. Ergo &c.

Resp. 1mo. Dist. maj. Duo tantùm sunt Sacramenta mortuorum primariò & propriè & sine addito ad certos casus restringente, conc. Secundariò, secundùm quid, & cum addito restringente ad certos casus, in quibus solis remittuntur peccata, neg. maj. Extrema Unctio, ut suprà annotavimus, potest dici secundariò saltem secundùm quid & cum addito ad certos casus restringente, in quibus solis remittit mortalia &c. Sacramentum mortuorum. Theologi ergo cùm definiunt duo tantùm esse Sacramenta mortuorum, de iis loquuntur, quæ primariò & sine addito remittunt peccata etiam lethalia, id est, absolutè & in omnibus casibus.

Resp. 2do. neg. min. Nam etsi Extrema Unctio peccata etiam lethalia dimit-

dimittat, tamen adhuc distinguitur à Sacramentis mortuorum 1mo. Quia hæc, Baptismus nempe & Pœnitentia, ex sua institutione ac ordinaria lege, supponunt in subjecto seu homine peccatum mortale, sive originale sive actuale, est enim hæc necessaria horum Sacramentorum materia, circa quam occupatur eorum efficacia: at Extrema Unctio non supponit absolutè & necessariò peccatum aliquod mortale; undè S. Jacobus particulam conditionalem *si* adhibuit, ut innueret, adhuc Sacramentum nostrum virtutem suam exerere, etsi nullum sit in homine, cui datur, lethale peccatum. 2do. Baptismus & Pœnitentia in hunc finem sunt à Christo instituta Sacramenta, ut illis homo sanus utatur in decursu vitæ suæ: at Extrema Unctio pro infirmis in exitu positis duntaxat, seu de quorum vita multùm timetur, instituta fuit; atque hoc postulabat analogia & natura Sacramenti: nam per Baptismum generamur, & nascimur in Christo: per Pœnitentiam resuscitamur Deo, qui mortui eramus peccato, postquam in Christo nati eramus: per Extremam Unctionem quasi per medicinam, qui fueramus jam suscitati per Pœnitentiam, sed habebamus aliquid reliquum peccatorum quasi morbum, curamur. 3tio. Quia Baptismus & Pœnitentia non supponunt ante se alia Sacramenta per quæ deleatur peccatum mortale, sive originale, sive actuale: at Extrema Unctio ea Sacramenta ante se supponit, atque in Pœnitentiæ duntaxat subsidium & defectum venit, eaque reliqua peccata delet, quæ per Pœnitentiam deleta non sunt.

Inst. 3tio. Extrema Unctio datur primùm post absolutionem Sacramentalem. Ergo supponit peccata jam remissa esse, consequenter ea non remittit.

Resp. trans. totum. Certè si peccata jam remissa sunt, ea non remittit Extrema Unctio: at si non sunt remissa, aut si post illa novum aliquod commissum est peccatum, Extrema Unctio vi sua illud dimittit, si homo, ut oportet, contritus sit: in qua contritione includitur semper votum seu desiderium tale peccatum, si cognosceretur, subjiciendi Ecclesiæ clavibus; atque ad hoc præcipuè instituta est Extrema Unctio.

§. II.

De proprietatibus Extremæ Unctionis, necessitate, iteratione, & denique de dispositione requisita in eo, qui eam suscipit. 68

Quantùm ad hujus Sacramenti necessitatem, certum est apud omnes Theologos illud non esse necessarium absolutè, & necessitate, ut vocant, medii, ad salutem æternam consequendam. Ratio est, quia lege ordinaria supponit gratiam justificantem jam infusam per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus perfectio est & consummatio. Diximus *absolutè* seu *simpliciter*; nam Extrema Unctio per accidens, & in quibusdam circumstantiis potest esse necessaria necessitate medii, nempè quando infirmus invincibiliter ignorat se peccatô lethali gravatum, nec perfectè contritus est; quia in illo casu absque Extrema Unctione esset damnandus, ut supra annotavimus.

Sed lis est inter Theologos an Extrema Unctio sit necessaria necessitate præcepti tùm divini tùm Ecclesiastici. Quidam negant eam esse necessariam utriusque præcepti necessitate. Affirmant alii, cum quibus sit

69 CONCLUSIO.

Fidelibus gravi & periculosô morbô decumbentibus Extrema Unctio necessaria est necessitate præcepti tùm Divini tùm Ecclesiastici.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Jacobi 5. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Hæc verba *Inducat &c.* non minùs quàm ista: *Hoc facite*, sunt absoluta. Atqui hæc præceptum strictè sumptum continent. Ergo & illa, ac proindè gratis & sine fundamento ea ad merum consilium seu exhortationem inflectere nituntur aliqui, ut quæ imperantis sint ac præcipientis, non consulentis tantùm & adhortantis.

70 Prob. 2do. ex Traditione. Theodorus annô 668. inauguratus à Vitaliano Papa Archi-Episcopus Cantuariensis in alibi jam citato libro Pœnitentiali, *Secundùm*, ait, *auctoritatem Canonicam, ne illis* (infirmis) *janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis, sacrâ unctione olei inuncti secundùm statuta Sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.* Hîc laudatur auctoritas Canonica, laudantur & Statuta Sanctorum Patrum. Atqui auctoritas illa alia intelligi nequit, quàm præceptum in epistola canonica S. Jacobi contentum. Ergo. Prætereà eadem ratione laudatus Theodorus loquitur de sacra unctione, qua de Sacro viatico. Ergo quemadmodùm quisque fidelis in periculo constitutus tenetur Divino & Ecclesiastico jure ad viaticum; ita & infirmus ad Extremam Unctionem.

Capitularia Caroli Magni sup. jam allegata, *Si*, inquiunt, *infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati Olei careat.* Ubi vides Unctionem olei æquiparari communioni, undè sicut istam, ita & illam præcepti esse censuerunt.

Concilium Cabilonense annô 813. Can. 48. *Secundùm*, ait, *Beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleô, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* Vox hæc *debent* sine vi ad consilium detorqueri non potest: censuit ergo Cabilonensis Synodus Jacobi verbis, *Infirmatur quis &c.* præceptum contineri.

Ejusdem Apostolici mandati expressè meminit Concilium Coloniense annô 1538. cap. 50. part. 7. ubi, *Sacra Unctio impendatur*, inquit, *cum expositione mandati Apostolici.* Et alterum Concilium Coloniense annô 1549. *Ecclesiasticâ sepulturâ privandos decernit eos, qui infirmitatis suæ tempore Unctionem sacram respuerint, ac contempserint.*

Denique Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. ait, nulla ratione audiendos esse, qui docent Unctionem hanc *nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habere & à Fidelibus sine peccato contemni posse.* Supponit ergo Synodus, esse Dei mandatum de sacra unctione percipienda, nec posse sine gravi peccato contemni, quòd expressè definit Can. 3. ejusdem sessionis. Porro qui recusaret, vel non curaret suscipere sacram illam unctionem, si non animô, saltem factô ipso censeretur illam negligere, contemnere, ac parvi facere effectum, ad quem illa destinatur; quæ certè animi dispositio pessima est, ac verum involvit contemptum.

Prob. 3tio. Ratione Theologica. Ubi effectus alicujus causæ est necessarius, 71

ibi

Ibietiam causa illius est necessaria. Atqui effectus Extremæ Unctionis est necessarius tùm ad ferenda patienter incommoda morbi, tùm ad superandas tentationes, quæ de vita periclitantes plerumque urgent. Ergo etiam ipsa Extrema Unctio, illius causa, quam ad illum effectum producendum Christus instituit. 2do. Ex comparatione hujus Sacramenti cum Sacramento Confirmationis. Haud dubiè ille peccaret contra jus ac mandatum divinum, qui imminente persecutione, cùm scilicet necesse est fidem intrepidò animò sustineri ac defendi, non curaret de percipiendo Confirmationis Sacramento. Ergo pariter & ille, qui in periculo vitæ constitutus, non confugeret ad Sacram Unctionem, cujus vi præmuniri debet adversùs ultimos, sed graviores, dæmonis impetus. 3tio. Adde argumentum, quod superiori probatione ad Concilii Tridentini auctoritatem subjunximus, scilicet quòd infirmus, qui data opportunitate hocce Sacramentum recipere non curaret, illud contemnere censeretur & illius effectum, ad quem producendum est institutum. Adeoque peccaret contra jus divinum & Ecclesiasticum, quod allatæ Conciliorum auctoritates declarant. Et certè est contra curam debitam salutis propriæ omittere sine justa causa medium per se certum & ordinarium, & *præsidium firmissimum*, ut ait Concilium Trident. à Christo institutum ad roborandum contra Diaboli tentationes, quæ graviores sunt sub finem vitæ, ut idem Concilium docet, & ad liberandam animam ab æternæ damnationis periculo, in quo tunc maximè versatur.

72 Quanta est obligatio fidelium suscipiendi Extremam Unctionem cùm gravi aliquo & periculosò morbò decumbunt; tanta etiam est Pastorum eam conferendi etiam cum vitæ periculo, putà tempore pestis v. g. quia justitia exigit, ut pactionis leges serventur; miles v. g. tenetur ex justitia pugnare in bello cum vitæ discrimine; quia nomen suum militiæ dedit ea conditione. Atqui Parochus hac lege ad Parochiæ regimen accessit, ut animam pro ovibus poneret, *Bonus Pastor*, ait Christus, Joan. 10. *animam suam dat pro ovibus suis &c.* Ergo. Hanc rationem urget S. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 5.

Excipe tamen casum, quo Pastor solus est in Parochia, nec par est omnibus Sacramentis ministrandis, prudenterque timetur periculum, ne, ipso deficiente, alius Sacerdos præstò non sit, qui illius vices suppleat; tunc enim charitas & recta ratio postulant, ut Sacramenta magis necessaria præ aliis conferat.

Quod iterationem Extremæ Unctionis spectat, Sæculò 12mò. excitata fuit controversia inter Doctores num ea sæpiùs iterari, & ab eodem homine percipi posset. Negabant Gofridus Vindocinensis, & Yvo Carnotensis. Contra affirmabant Petrus Cluniacensis, Magister sententiarum, Hugo Victorinus, quæ posterior sententia prævaluit. 73

Certum est olim etiam in eadem infirmitate eodemque statu positis per septem dies repetitam fuisse unctionem. Ita fert Liber Sacramentorum S. Gregorii ubi hæc leguntur: *Deindè communicet eum Corpore & Sanguine Domini. Et sic faciat illi per septem dies, si necessitas fuerit tam de communione, quàm de alio officio.* Verùm à multis jam Sæculis obtinuit usus, ut nonnisi semel homini in eadem infirmitate eodemque statu constituto Unctio Extrema administretur; à qua tamen infirmitate recreatus, si posteà in aliam aut similem inciderit, potest iterùm inun-

gi. *Quòd ſi infirmi*, ait Concilium Trident. Seſſ. 14. c. 3. *poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterùm hujus Sacramenti ſubſidiò juvari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.* Rationem affert S. Thomas lib. 4. contra Gent. cap. 73. ubi, *Hujus Sacramenti inunctio*, inquit, *ordinatur ad ſanandum. Medicina autem ſanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.* Et ſanè S. Jacobus non obſcurè innuit, toties inducendos eſſe Presbyteros ad ungendum, quoties quis infirmatur; ait enim abſolutè, &
74 absque ulla reſtrictione, *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes &c.*

Paucis adhuc dicendum venit, an & quæ diſpoſitiones requirantur in ſuſcipiente Sacram Unctionem. 1mo. Requiritur prævia pœnitentia & abſolutio Sacramentalis. 2do. Si quis peccati alicujus mortalis ſibi conſcius eſt, quod non poteſt confiteri, debet de illo dolorem & contritionem habere, cum voto ſeu deſiderio illud confitendi, ubi facultas fuerit. 3tio. S. Thomas in Supplemento quæſt. 32. art. 4. requirit actualem devotionem: undè danda eſt unctio, cùm infirmus eſt adhuc integris ſenſibus; aut ſaltem ea requiritur devotio, quæ præceſſerit, nec fuerit revocata, priusquam infirmus ille ſenſu & ratione fuerit deſtitutus.

Superfluum reputamus hîc quidquam de ritibus & cæremoniis, quæ debent obſervari in adminiſtratione hujus Sacramenti diſſerere: cùm de illis quisque teneatur conſulere librum Ritualem Eccleſiæ illius, cui addictus eſt, & ſumma religione & cura exequi quidquid in eo obſervandum præſcribitur.

Finis Tractatûs ſexti.

TOMI

TOMI QUARTI
TRACTATUS
SEPTIMUS
DE
SACRAMENTO ORDINIS.

INDEX

Titulorum Tractatûs septimi Tomi quarti Theologiæ Universalis de Sacramento Ordinis.

Procemium. - - *Num.* 1.

Pars I. De Sacramento Ordinis. - - 9.

Cap. I. De nomine, & definitione Sacramenti Ordinis. - 7.

Cap. II. De divina Status Clericalis institutione, ejusque à Statu Laicali distinctione. 10.

Cap. III. De essentia Ordinis, seu an Ordo vel Ordinatio verum sit & propriè dictum novæ Legis Sacramentum. 24.

Cap. IV. De materia & forma Sacramenti Ordinis. - 31.

Cap. V. De causis, hoc est, Auctore, Ministro, & Subjecto Sacramenti Ordinis - - 39.

§. I. *De Auctore, seu Institutore Sacramenti Ordinis.* - - 40.

§. II. *De Ministro Sacramenti Ordinis.* - - 43.

§. III. *De Subjecto Ordinationis, seu de illo, qui capax est percipiendæ Ordinationis.* - - 64.

Cap. VI. De effectibus Sacramenti Ordinis. - - 82.

Cap. VII. De variis Ordinis speciebus. - - 86.

§. I. *De Tonsura Clericali.* - - 89.

§. II. *De Ostiariis.* - - 94.

§. III. *De Lectoribus.* - - 97.

§. IV. *De Exorcistis.* - - 100.

§. V. *De Acolytis.* - - 106.

§. VI. *De Subdiaconis.* - - 108.

§. VII. *De Diaconis.* - - 113.

§. VIII. *De Presbyteris.* - - 116.

§. IX. *De Episcopis.* - - 128.

§. X. *Utrum singuli Ordines sint Sacramenta.* - - - 156

Pars II. De Hierarchia Ecclesiastica. - - 167.

Cap. I. Ex quibus personis Hierarchia Ecclesiastica constet. - - 182.

§. I. *De Episcopis seu Ecclesiæ Præsulibus.* - - 183.

§. II. *De Presbyteris seu Sacerdotibus.* 194.

§. III *De Regularibus.* - - 202.

Cap. II. De Scientia & aliis charismatibus ad Hierarchiam requisitis. - - 211.

§. *Unic. De Scientia necessaria ad functiones Hierarchicas, &c.* 212.

Cap. III. De reliquis actionibus seu actibus Hierarchicis 217.

§. I *Utrum existat in Ecclesia potestas ferendi Censuras.* - - 219.

§. II. *Quomodo definiatur Censura.* 224.

§. III. *Quotuplex sit Censura.* - 225.

§. IV. *Quis ferre possit Censuras.* 262.

Pars III. *De præparatione animi, seu dispositionibus ad Ordines & dignitates Ecclesiasticas requisitis.* 278.

Cap. I. De vocatione ad Ordines. - - 279.

§. I. *De notione & existentia vocationis* - - 280.

§. II. *Utrum Dei vocatio sit necessaria ad Ordines suscipiendos, eorumque functiones ritè obeundas.* - - 284.

§. III. *De Signis, quibus deprehendi possit, an quis ad munus Sacerdotale vocetur, necne.* - - 290.

Cap. II. De electione Ministrorum. - - 296.

Cap. III. An, & quæ scientia & sanctitas requirantur in iis, qui sacris Ordinibus initiantur. Item de cœlibatu Statui Clericorum annexo. 302.

Cap. IV. De Impedimentis removentibus ab Ordinatione. - - 318.

§. I. *Quid & quotuplex sit Irregularitas.* - - - 319.

§. II. *De effectibus Irregularitatis.* 322.

§. III. *De Irregularitatibus ex defectu.* - - - 324.

§. IV. *De Irregularitatibus, quæ nascuntur ex delicto.* - - 354.

§. V. *De Dispensatione in Irregularitate.* - - 372.

TOMI

TOMI QUARTI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS SEPTIMUS
DE
SACRAMENTO ORDINIS.

Procemium.

SI alicubi in Theologia causa Catholica agitur, tùm vel maximè in hocce, quem aggredimur, de Sacramento Ordinis Tractatu, ubi scilicet Sacra Ministrorum Ecclesiæ inauguratio, à qua Legis Evangelicæ Sacerdotium, Sacrificium, cæteraque omnia salutis animarum adjumenta & subsidia omninò pendent ac derivantur, solidè propugnatur.

Et verò quis non intelligat, sublatô sacræ Ordinationis Sacramentô, quo, ritu speciali, sacri Ministri Deo consecrantur, funditùs ruere Christiani Sacerdotii veritatem, clavium potestatem, peccatorum veniam & remissionem; legum ac publici ministerii vim & auctoritatem labefactari, Ecclesiasticæ disciplinæ nervum dissolvi; & quod omnibus longè majus est, augustum altaris Sacrificium, quo nihil est in Religione & Ecclesia Christi præstantius, nihil ad perennem gratiarum omnium fontem uberius ac salubrius, penitùs subverti & extingui? Enimverò tanta est Sacerdotium inter & Sacrificium connexio, ut Sacerdotium sine Sacrificio, & vicissim Sacrificium sine Sacerdotio subsistere non possit, dicente Apostolo (*a*), *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

(*a*) Hebr. 5. v. 1.

2 Hanc Sacerdotii & Sacrificii conjunctionem ac Oeconomiam egregiè exponit Concilium Tridentinum Seſſ. 23. c. 1. his verbis: *Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege extiterit.* Et c. 2. *Cùm igitur*, inquit, *in novo Teſtamento Sanctum Euchariſtiæ Sacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum eſſe viſibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum eſt. Cùm autem divina res ſit tam ſancti Sacerdotii miniſterium: conſentaneum fuit, quò digniùs & cum majori veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, ita diſtributi, ut qui jam clericali Tonſurâ inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent.*

3 Atque hæc ipſa eſt Sacra Miniſtrorum Eccleſiæ in varios gradus & ordines diſtincta Hierarchia, *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, prout ex Cant. c. 6. idem Concilium Tridentinum c. 4. ait, quæ omnes Hæreticorum impetus invicta fortitudine ſemper fregit.

4 Enimverò humanæ ſalutis invidus Dæmon jam ab Eccleſiæ, ſi ita loqui fas eſt, incunabilis eam turbare ac confundere totis viribus tentavit, præſentiens utique, quantam rebus ſuis ac tyrannico imperio exitium, quantamque ruinam certò allatura eſſet hæc Sacra Hierarchia, ſacrique miniſterii auctoritas, tot hominum ſaluti, quos ille perdere amat, æternùm aſſerendæ deſtinata. Hinc impii ab eo excitati viri, qui illam, licèt irrito conatu, impugnarent, aut turbarent & confunderent. Certè hanc in ſacris Ordinationibus confuſionem ac perturbationem Tertullianus, qui initiò Sæculi tertii Eccleſiæ floruit, ſui temporis Hæreticis exprobrabat lib. de præſcript. c. 41. ubi, *Ordinationes eorum*, inquit, *temerariæ, leves, inconſtantes. Nunc Neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nusquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus: nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Quis non videat, his verbis à Tertulliano ad vivum depingi Novatores noſtros Lutheranos & Calviniſtas: apud ipſos enim nulla inter Clericorū & Laicorum ſtatum diſtinctio; ſed omnes æqualiter Sacerdotes & Evangelii Miniſtros eſſe contendunt: aut ſi quamdam inter eos diſtinctionem admittere videantur, eam ex hominum inſtitutione & arbitrio pendere volunt; adeò ut plebeji & quivis è vulgo homines, ſtatim ac populus juſſerit, eique placuerit, Sacerdotes evadant, & per ſolam ipſius deputationem ac electionem verbi Divini prædicandi, & Sacramentorum diſpenſandorum habeant poteſtatem, & ad ejus nutum, facta ejusdem decreti reſciſſione, in ordinem Laicorum denuò redigantur, in eoque jaceant ſine honore, ſine gradu. Ita Lutherus lib. de abroganda Miſſa. Calvinus lib. 4. Inſtitut. c. 4. & poſt ipſos Novatores omnes.

5 Adversùs hos Eccleſiæ illiusque Hierarchiæ ſeu Sacri Principatûs hoſtes hîc præcipuè nobis eſt decertandum. Et ut omnia ordine & ſine rerum perturbatione fiant, Tractatum noſtrum in tres partes dividimus: in quarum prima de Sacramento Ordinis ſpecialiter tractabimus. In ſecunda de Hierarchia Eccleſiaſtica agemus. In tertia denique diſpoſitionem & præparationem ad Ordines & dignitates Eccleſiaſticas examinabimus & exponemus.

PARS PRIMA. 6

De Sacramento Ordinis.

HAnc primam Tractatûs nostri partem, pro variis, quæ in ea solvendæ occurrunt, quæstionibus, in plura Capita distinguimus. Primum erit de nomine & definitione Sacramenti Ordinis. 2dum. De status Clericalis divina institutione, ejusque à statu Laicali distinctione. 3tium. De essentia, an Ordo sit veri nominis Sacramentum. 4tum. De materia & forma Sacræ Ordinationis. 5tum. De causis, hoc est, auctore, ministro, & subjecto Sacramenti Ordinis. 6tum. De effectibus Sacramenti Ordinis, gratia scilicet & charactere, ubi de iteratione Ordinationis. 7timum. De variis Ordinis speciebus &c.

CAPUT PRIMUM. 7

De nomine & definitione Sacramenti Ordinis.

Ordo generali & latissima significatione pro debita & conveniente rerum quarumlibet dispositione sumitur; *Ordo*, inquit S. Augustinus lib. 19. de Civ. c. 13. *est parium dispariumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio.*

Strictiùs sumitur pro certo hominis statu, qui ipsi cum multis aliis hominibus communis sit: Sic tres hominum status, Ecclesiasticus nimirum, Nobilis, & Plebejus vulgò tres ordines appellantur. In eadem acceptione Congregationes Monachorum seu Religiosorum & Monialium Ordines vocari solent; sunt enim conflatæ ex personis aptè inter se se dispositis ad serviendum Deo speciali & distincta quadam vivendi ratione.

Denique usu Ecclesiastico nomē Ordinis significat 1mo. Ecclesiasticam Hierarchiam, in qua varii sunt Ordinationis gradus alii aliis superiores, destinati ad celebrandum Sacramentum Eucharistiæ, aut ejus celebrationi ex officio inserviendum. 2do. Et quidem ad præsens nostrum institutum maximè propriè Ordo significat actionem & specialem ritum, quo potestas confertur ad consecrandum Corpus Christi, vel inserviendi Ministro consecranti: quo sensu aptiùs dicitur Ordinationis, Sacramentum; quia scilicet Sacramentum istud in actione fluente ac transeunte consecrantis seu ordinantis positum est, non in re aliqua fixa & permanente.

Græci Ordinationē appellant χειροτονίαν, 8
id est manûs extensionem & porrectionem; quia antiquitùs, ut observat Zonaras in 1. Canonem Apostolicum, Mini-

ſtri Eccleſiæ eligebantur per manûs extenſionem, quæ ſignum erat ſuffragii; & etiam per manûs impoſitionem conſecrabantur, & etiamnum adhuc conſecrantur juxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Et illud 2. ad eundem c. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

9 Ordo ſic acceptus rectè definitur, *Sacramentum novæ Legis, quo ſpiritualis poteſtas traditur ad ſacrum Corpus Chriſti conſecrandum, & debitè obeunda munia Eccleſiaſtica.*

Dicitur 1mo. *Sacramentum novæ legis;* quæ verba tenent locum generis, quippe per quæ convenit cum aliis Sacramentis. Quamvis alii generaliùs adhuc illum definiant, atque omiſſa voce *Sacramentum*, dicant, quod ſit *Ritus ſacer* duntaxat *qua ſpiritualis poteſtas confertur ad ea quæ ad Euchariſtiæ tùm confectionem tùm diſpenſationem pertinent.* Quia, inquiunt, ſinguli Ordines non ſunt Sacramentum, licèt quilibet eorum ſit verè ac propriè Ordo.

Dicitur 2do. *Quo poteſtas ſpiritualis traditur &c.* quibus verbis differentia, qua Ordo à cæteris Sacramentis eſſentialiter differt, exprimitur. Gradus itaque honoris, qui cernuntur in ſtatu Eccleſiaſtico non ſortiuntur nomen & rationem Ordinis ac Sacramenti, niſi quatenùs referuntur ad Euchariſtiæ ſacrificium, ſeu Euchariſtiæ conſecrationem.

Dicitur 3tio. *Ad debitè obeunda munia Eccleſiaſtica.* Quibus verbis diſtinguitur regimen Eccleſiaſticum à politico; Sacerdotes enim adminiſtrant ſpiritualia, Principes verò ſæculares temporalia. Notandum, in Sacramento Ordinis duplicem eſſe poteſtatem: una ſpectat Corpus Chriſti reale, ſeu Sacrificium immediatè, diciturque poteſtas Ordinis. Secunda ordinatur ad regendum Corpus Chriſti myſticum, ſeu Fideles, vocaturque poteſtas jurisdictionis; quia per eam confertur jus docendi & regendi Fideles ad vitam æternam. Ambæ hæ poteſtates ſeparatim conferri poſſunt: ſic plures hodie inaugurantur Sacerdotes ſine poteſtate jurisdictionis; quia nulli Eccleſiæ adſcribuntur, in qua jus habeant obeundi functiones paſtorales. Contrà verò Parochus & Epiſcopus nondum conſecrati, ille in Presbyterum, iſte in Epiſcopum, habent poteſtatem jurisdictionis in plebem ſibi commiſſam, quamvis careant poteſtate Ordinis.

Caput II. 10

De divina ſtatûs Clericalis inſtitutione, ejusque à ſtatu Laicali diſtinctione.

Clerus ſecundùm vim nominis Græci κληρὸς ſortem ſignificat, quia Miniſtri Eccleſiæ non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed Dei conſiliô, veluti ſorte ſunt electi. Laicus verò dicitur à voce Græca λαὸς, quæ latinè idem ſonat ac *populus.* Ita refertur ex S. Hieronymo causâ 12. q. 1. c. *Duo ſunt.* ubi ſic habetur: *Duo ſunt genera Chriſtianorum. Eſt autem unum genus, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi & orationi ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, ut ſunt Clerici ... κληρὸς Latinè ſors. Inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id eſt, ſorte electi; omnes enim Deus in ſuos elegit ... Aliud verò genus eſt Chriſtianorum, ut ſunt Laici; λαὸς enim Græcè, eſt populus Latinè.*

Sors autem, ſecundùm acceptionem 11
& uſum nominis, ſignificat hæreditatem, quæ licèt ad unum tota perveniat, id

ta-

tamen fit ſorte, non electione; quia hæredes ùt plurimùm naſcuntur, non fiunt: nemo enim unquam laboravit, aut operam dedit, ut divitis filius naſceretur. Et in hac acceptione Scriptura nomen ſortis ſæpiùs uſurpat, ut Joſue 22. v. 7. *Dedit Joſue* (filiis Manaſſe) *ſortem inter cæteros fratres ſuos.* Sap. 3. v. 14. *Dabitur illi* (ſcilicet ſpadoni) *fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.*

Porrò *ſortis* nomē in hac acceptione apprimè convenit miniſtris Eccleſiæ, idque duplici titulô; 1mo. Quia ſunt præclara & ſelecta Domini portio, ac hæreditas præcipua. 2do. Quia Dominus ipſe ſorte illis obvenit tanquam pars eorum & hæreditas; ſuccedunt quippe Levitis antiquæ legis, quorum pars & hæreditas Deus fuit, Num. 18. v. 6. & 20. Deut. c. 10. v. 9. & c. 18. v. 2. Hinc Eccleſia Clericum, ſicut Moyſes Levitas, cùm eum per Tonſuræ collationē initiat, tradit donum Domino, atque in hujuſce oblationis teſtificationē exigit, ut ipſe initiandus hæc Pſalmi 15. verba tanquam ſuæ profeſſionis formulam ſolemniter proferat: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* SS. Patres quoque ut Ambroſius lib. de fuga ſæculi, referturque causâ 12. qu. 1. cap. *Cui portio.* Hieronymus epiſt. ad Nepotianum, eâdem causâ 12. q. 1. cap. *Clericus.* & alii, nomen Clerici in hac acceptione uſurpant.

Igitur qui ſacris Ordinibus initiantur Clerici vocantur ad diſtinctionem Laicorum; vocantur etiam Eccleſiaſtici, quia ex omnibus Fidelibus ipſi ſoli Eccleſiaſticis miniſteriis ex ſtatu ſuo miniſtrant, ſoli Religionis cultum procurant.

12 Novatores, nempe Wicleſus apud Thomam Waldenſem tom. 2. de Sacram. c. 7. Lutherus de abroganda Miſſa privata part. 1. & lib. de Captiv. Babyl. tom. 2. Calvinus lib. 4. Inſtit. §. 9. nullam, ut ſuprà in prooemio noſtro annotavimus, admittunt Laicorum & Clericorum jure ac inſtitutione divina diſtinctionem, ſed Chriſtianos omnes ex ſe ipſis & quantùm ad radicalem auctoritatem Sacerdotes eſſe, ac Evangelii Miniſtros contendunt; uſum verò ipſum ſeu exercitium poteſtatis, quæ quidem omnibus communis eſt, Eccleſiaſtica lege & conſtitutione, ac populi conſenſu & deputatione, ad eos ſolos pertinere, qui à populo ſeliguntur ac deputantur, ajunt. Errorem ſuum in eo fundant, quòd ſcilicet omnis auctoritas poteſtatis, ac jurisdictionis Eccleſiaſticæ toti Eccleſiæ ſeu ſocietati Fidelium, quæ Laicos etiam, ſeu populum, complectitur, in communi conceſſa fuerit, quam Paſtores nonniſi de conſenſu populi, tanquam Vicarii ab ipſo delegati, exercere poſſunt. Contra hunc errorem ſit

CONCLUSIO. 13

Status Clericorum jure divino inſtitutus & à ſtatu Laicorum diſtinctus eſt.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. 1mo. In veteri Lege ſola Tribus Levi à Deo electa fuit, ut munia Sacerdotalia exerceret, aliis omninò excluſis. Quapropter Saul reprobatus fuit, Ozias leprâ percuſſus, Dathan & Abiron vivi terræ hiatu abſorpti, quòd cùm eſſent ex aliena Tribu, Sacrificium offerre, & rebus Religionis tractandis ſe immiſcere voluerint. Sacerdotium igitur tunc temporis ſpeciali familiæ ex inſtitutione divina addictum erat, & jure divino à reliquorum Judæorum ſtatu omninò diſtinctum. Ergo etiam & nunc, ſcilicet in nova Lege, Sacerdotium ſeu ſtatus Clericalis inſtitutione divina ſeu jure divino

vino à statu Laicali seu reliquorum Fidelium, est distinctus.

2do. Christus singulari ratione Apostolos ac Discipulos elegit, necnon Evangelii Ministros inauguravit, per insufflationem & traditionem Spiritûs Sancti, Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Per impositionem manuum, 2. Tim. 1. *Admoneo te*, inquit Apostolus ad Timotheum, *ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* Atqui singularis ille ritus ordinandi Ministros, specialem denotat statum à communi Laicorum seu populi statu prorsùs segregatum. Ergo.

3tio. Ipsi Apostoli se Dei Ministros, positos à Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam declarant. *Sic nos existimet homo*, ait S. Paulus 1. Cor. 4. v. 1. *ut Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Cor. 3. v. 6. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Et c. 5. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur.* Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Et v. 4. *Nec quisquam sibi sumit honorem sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum glorificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Actuum 13. v. 2. *Dixit illis Spiritus Sanctus, segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et c. 20. v. 28. *Attendite vobis*, inquit S. Paulus ad majores natu Ecclesiæ Ephesiorum, *& universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.* Speciali ergo modô rerum sacrarum Ministri à Deo vocantur, nec apud nos, sicut apud Judæos, nascuntur, sed fiunt Sacerdotes (*b*)

4to. Vari-

(*b*) Cur in veteri lege Sacerdotes nascerentur, in nova verò non nascantur, sed fiant, hæ inter alias reddi possunt rationes. 1mo. Ne Judæi maximè carnales rebusque terrenis immersi Sacerdotia mercarentur, eaque venalia exponerent, satiùs fuit jure nativitatis potiùs, quàm electione ad hanc dignitatem eos vocari; non ita porrò est de Christianis, quorum longè major est perfectio, ac sublimior status, rerum cœlestium meditatione ac desiderio detentus & occupatus.

2do. Quia cùm sacrificia vetera carnalia forent ad emundationem carnis, necesse fuit carnale quoque esse, seu carnis propagatione communicari Sacerdotium: è contrà verò spirituale debuit esse Sacerdotium novæ Legis, in qua oportet Deum in spiritu & veritate adorare; & ob hanc causam observat S. Thomas 3. part. q. 22. a. 1. ad 2. Christum non de Tribu Levitica, sed Regia nasci voluisse, ne videretur per carnalem originem Sacerdos factus, carnale duntaxat Sacerdotium nobis invenisse.

3tio. Cùm, ut ait Tacitus lib. 1. Hist. *Optimum quemque electio inveniat; nasci autem & generari à Principibus fortuitum, nec ultrà æstimetur*; decebat in nova Lege Sacerdotes, qui perfectionis sunt Magistri, non natalium sorte fieri, sed electione, tanquam optimos inter omnes, ut nempè cæteris non minùs probitate morum anteirent, quàm statûs dignitate. Ita S. Leo Serm. 2. in die anniversario Assumpt. suæ.

4to. Quia cùm Ecclesia Catholica per totum orbem sit diffusa, non oportet ejus Sacerdotium uni Tribui vel familiæ affixum esse, sicut fuit apud Judæos, quibus in solo Templo Hierosolymitano licebat offerre Sacrificia.

5to. Cùm Sacerdotium Christianum sit secundùm Ordinem Melchisedech, proindè stabile, constans, & sempiternum, adeò infirmô & fluxô fundamentô inniti non debet, ut per generationum sibi succedentium tramitem decurrat, quarum scilicet ordo confundi, & interrumpi, necessariaque series hominum memoriæ eximi potest: quod etiam apud Judæos jam accidisse videmus, apud quos nulla est ampliùs Tribuum distinctio, nulla Sacerdotum officia, nulla Sacrificia, &c.

4to. Varios Miniſtrorum Ordines in Eccleſia eſſe, quorum officia ſunt diſtincta, quemadmodùm varia ſunt in humano corpore membra, quæ eundem actum non habent, affirmat Apoſtolus Rom. 12. v. 4. *Sicut in uno corpore*, inquit, *multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* 1. Cor. 12. v. 28. *Quosdam poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes.* Pariter Epheſ. 4. v. 12. *Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.*

14 Prob. 2do. Ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ Traditione & praxi, qua aperte conſtat 1mo. Clericorum Ordinem diſtinctum ſemper ac ſegregatum fuiſſe à conditione Laicorum, ut patet ex antiquiſſimis Conciliis Nicæno I. Generali, Laodiceno, Carthaginenſi IV. &c. ubi agitur de Ordinationibus, & officiis ſingularibus à ſorte Laicorum omninò diſtinctis, ubi & miniſtri Eccleſiaſtici communi ac vulgato nomine *Clerici* nuncupantur. Item ex iis, quæ diximus tùm in Tractatu de Sacramentis in genere c. 4. §. 2. de Ordinatione non iteranda, nec unquam iteratâ propter characterem, quem imprimit: tùm Tract. de Euchariſtia c. 7. §. 1. ubi probavimus Sacramentum illud non poſſe celebrari, niſi ab iis, qui Sacerdotes conſecrati ſunt. Unde ſic arguimus: Eccleſia eos ſemper agnovit divina inſtitutione diſtinctos à Laicis, quibus ſpeciale nomen & honoris gradum ab initio hucusque ſervavit: quos Chriſti charactere inſignitos nullo ſchismate, nullave hæreſi delendo ſemper aſſeruit: quos denique conficiendæ Euchariſtiæ, & Sacrificii offerendi poteſtatem ſolos habere hactenus docuit. Atqui hæc fuit conſtans Eccleſiæ univerſalis doctrina, ut patet tùm ex dictis initiô hujus capitis de nomine Clerici ſolis Eccleſiæ Miniſtris conveniente, tùm ex locis mox citatis. Ergo. Id ipſum uno ſuffragio docent Patres aliique Scriptores Eccleſiaſtici. Tertullianus lib. de Monogamia c. 12. *Cùm extollimur*, inquit, *& inflamur adversùs Clerum, tunc unum omnes ſumus: tunc omnes Sacerdotes Cùm ad peræquationem diſciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares ſumus.* Et infrà: *Laicis verò, queis monogamia non convenit, cætera quoque aliena ſunt.* Adde ea, quæ lib. de præſcript. c. 41. hanc in rem contra hæreticos ſui temporis eloquitur, nosque ſuprà in procemio adduximus. Origenes Hom. 7. in Jeremiam, S. Epiphanius initiô Epiſtolæ, quam ſcripſit ad Joan. Epiſcop. Hieroſolym. S. Hieronymus in c. 12. Jerem. iſta verba *Cleri eorum non proderunt eis*, interpretantur de noſtris Clericis, quibus nihil proderit ſua dignitas ac prærogativa ſtatûs, niſi comitem habuerit vitæ probitatem ac ſanctimoniam. 2do. Eccleſiam ſemper agnoviſſe ſubordinationem inter Miniſtros ſuos, quorum alii aliis præeminent, patet, tùm quia ſuum unicuique officium ſemper voluit aſſignatum, ac ſeverè repreſſit eos, qui limites ſibi præſcriptos transgredientes, alienam uſurpabant auctoritatem: tùm quia nihil tam frequenter inculcant ac commendant Veteres, quàm ſubordinationem Miniſtrorum, & obedientiam, quæ illis debetur. Ita imprimis S. Ignatius Martyr Apoſtolorum ævi vir in ſuis paſſim Epiſtolis: *Neceſſarium eſt*, inquit Epiſt. ad Trallianos, *ut ſine Epiſcopo nihil agatis, ſed & Presbyterio ſubditi ſitis, ut Apoſtolis Jeſu Chriſti.* &c. Et quidem ſupra cæteros omnes Epiſcopos præeminere Romanum Epiſcopum ſeu Pontifi-

cem constat ex Patribus quos laudavimus Tract. 3. Tom. 1. Theologiæ nostræ, ubi de Ecclesia Romanoque Pontifice egimus: unus hîc sufficiet S. Irenæus lib. 3. c. 3. ubi ait Romanam Ecclesiam esse omnium maximam & *antiquissimam, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnes alias convenire.*

15 Prob 3tio. Auctoritate Concilii Tridentini Sess. 23. Can. 2. ubi, *Si quis dixerit*, ait, *præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos, velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.* Et Can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.* Capite verò 1. & 2. ejusdem Sess. necessitatem plurium Ministrorum in Ordine ad consecrationem Eucharistiæ exponit ac declarat: illius verba retulimus in proœmio hujus Tractatus.

16 Prob. denique 4to. Quia vel ab ipsa mundi creatione, & ipso naturæ instinctu, aliqui semper à reliqua plebe selecti fuerunt, qui Sacerdotii functiones obirent, cui muneri ante Legem Mosaicam primogenitos delectos fuisse ex Hebræis referunt S. Hieronymus, in quæst. Hebraicis ad locum ex c. 27. Genes. Abulensis in c. 25. Genes. n. 76. & alii. Inter Ethnicos verò, quamvis à vera fide extorres, destinati erant aliqui, imò & certo quodam ritu inaugurabantur, qui Sacerdotii functiones obirent, iisque vacarent; quos ut membra Reipublicæ à cæteris distincta, eidemque necessaria recensuit Aristoteles lib. 7. Politic. c. 8.

Solvuntur Objectiones.

17 Ob. 1mo. Galat. 3. v. 26. hæc ait Apostolus: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus neque fœmina. Omnis enim vos unum estis in Christo JEsu.* Atqui hæc indicant, quòd Apostolus omnem inter Christianos distinctionem ac prærogativam rejiciat. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Indicant quod Apostolus omnem distinctionem ac prærogativam inter Christianos rejiciat in ordine ad salutem in Christo & per Christum in quo omnes pares sumus, consequendam, conc. In ordine ad Ministerium Ecclesiasticum, de quo ne cogitat quidem eo loci Apostolus, neg. min. Hæc Apostolus Galatis dicebat, ne fortè putarent saltem se plus aliquid in Christo consequi, quia per legem, tanquam per pædagogum, ad Christum ducti fuissent; undè v. 28. concludit: *Omnes vos unum estis in Christo Jesu*, id est, estis tanquam unus, seu prorsus indistincti in negotio salutis per Christum, & in Christo consequendæ; &, ut ait Rom. 2. *Non est acceptio personarum apud Deum.*

Ob. 2do. S. Petrus c. 5. 1mæ. suæ Epist. v. 2. totam Christi Ecclesiam *Clerum* appellat. Atqui certum est ad eam non minùs Laicos pertinere, quàm qui Clerici apud nos seu Ministri dicuntur. Et certè ipsa litteralis *Cleri* significatio rectè toti Ecclesiæ potest accommodari: nam sors est seu hæreditas Christi, qui eam sanguine suo acquisivit & sanctificavit. Ergo. 18

Resp. 1mo. neg. ant. Nam Apostolus hîc *Cleri* appellationem non ad universam Ecclesiam, sed ad eos, qui propriè Clerici seu Ministri Ecclesiæ nuncupantur refert, quos graviter admonet, ne suos in-

inferiores contemnant, aut ſupra illos faſtuoſo habitu, graviori inceſſu, triſti ſuperciliô, impotenti imperiô, geſtu tumido, auſtera voce, inſoleſcant & ſuperbiant: id enim fert verbum *Dominantes*, quo utitur Apoſtolus inquiens, *Neque ut dominantes in Cleris*, & quo non damnatur poteſtas, & legitimum dominium Superiorum in inferiores, ſed abuſus poteſtatis, dominii faſtus, vanitas in minis & terroribus conſiſtens. Ita exponunt S. Hieronymus Epiſt. ad Nepotianum, & Oecumenius in 1mam. S. Petri Epiſtolam.

Reſp. 2do. Etiamſi daremus nomen *Cleri* apud S. Petrum intelligi de tota Eccleſia, quatenus Laicos complectitur, quæ ſors eſt ſeu hæreditas Domini, attamen inde non conſequeretur, nomen illud ſingulari quodam titulô intelligi non debere de miniſtris Eccleſiæ, inter quos varii ſunt gradus dignitatis, honoris, poteſtatis & jurisdictionis: Sicut enim univerſa Judæorum Synagoga in libris Prophetarum paſſim hæreditas Domini vocata fuit, quòd eam ex Ægypto & aliis perſecutionibus & captivitatibus liberaſſet, ſpeciali tamen ratione ſola Tribus Levitica, quam rebus ſacris præfecerat Deus, ſors & hæreditas Domini appellata eſt, juxta hæc verba Num. 18. v. 20. *Dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.* Sic etiam nunc Miniſtri Eccleſiæ ſpeciali titulô ſunt ſors & hæreditas Domini.

19 Ob. 3tio. 1. Petri 2. v. 9. De omnibus univerſim Chriſtianis dicitur, *Vos genus electum, regale Saacerdotium.* Et Apocalypſis 5. v. 10. S. Joannes ait: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.* Et c. 20. v. 6. *Sederunt Sacerdotes Dei & Chriſti.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. SS. Petrus & Joannes locis citatis loquuntur de interno ſeu myſtico Sacerdotio non autem de externo & propriè dicto Sacerdotio, de quo hîc agimus; quia 1mo. S. Petrus v. 5. ejusdem capitis 2. ait, *Ipſi* (omnes ſcilicet fideles) *tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſanctum Sacerdotium.* Ergo Fideles eo ſenſu ac modo ſunt Sacerdotes, quo ſunt *domus ſpiritualis*; id eſt Sacerdotes ſpirituales, ut nempe hoſtias ſpirituales, bona opera, laudes ac preces offerant Deo. *Offerte*, ait S. Petrus ibidem, *ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Chriſtum.* 2do. Eodem modo SS. Petrus & Joannes omnibus Fidelibus Sacerdotium attribuunt, quo regnum, *Vos genus electum, regale Sacerdotium*; Et *feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.* At nemo dixerit omnes fideles Reges eſſe, niſi ſenſu quodam figurato, ſpirituali ac myſtico, quatenus ſcilicet ſuis affectibus dominari, eos regere ac cohibere debent. Ita etiam interpretati ſunt SS. Patres, Ambroſius lib. 4. de Sacram. c. 1. ubi, *Unusquisque*, inquit, *ungitur in Sacerdotium, in regnum, ſed ſpirituale regnum eſt & Sacerdotium.* S. Auguſtinus lib. 10. de civ. c. 10. & S. Gregorius Magnus lib. 26. Moral. c. 28. aliàs 26. eadem eloquuntur ac S. Ambroſius.

Ob. 4to. Tertullianus lib. de exhortatione caſtitatis c. 7. eo præſertim argumento probat omnibus Chriſtianis interdictas eſſe ſecundas nuptias, quòd omnes Chriſtiani ſint Sacerdotes, omnibus verò Sacerdotibus illæ prohibitæ ſint ac interdictæ. *Vani erimus*, inquit, *ſi putaverimus, quòd Sacerdotibus non liceat, Laicis licere. Nonne & Laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo. Ubi Eccleſiaſti-* 20

ci Ordinis non eſt confeſſus, & offers & tinquis, & Sacerdos es tibi ſolus.

Reſp. 1mo. Tertullianum jam fuiſſe Montaniſtam cùm hæc ſcriberet; porrò Montaniſtæ in multis errârunt circa Ordines Eccleſiaſticos.

Reſp. 2do. Tertullianum exponi poſſe 1mo. De Sacerdotio communi & impropriè dicto. 2do. De Sacerdotio vero ac proprie dicto. Si priori ſenſu intelligatur, omnes Fideles eo ſenſu Sacerdotes dicit, tùm quia ſpirituales hoſtias offerunt Deo, vel per ſe ipſos, vel per miniſterium Sacerdotum; tùm quia in neceſſitate tingunt, ſeu baptizant, & offerunt victimas ſpirituales: ut autem digniùs & majori cum fructu ea Sacerdotii ſpecie fungantur, optat Tertullianus, ut illi bigami non ſint, in quo cùm major perfectio ſit, victimæ, quas offerunt, Deo magis placent & acceptæ ſunt. Si autem Tertullianùs de vero & propriè dicto Sacerdotio loquatur, omnes Fideles in ejus ſenſu ac mente Sacerdotes dicuntur, non quidem verè ac formaliter, ſed præparatoriè ac diſpoſitivè; quia cum ex Laicis ſeligantur Sacerdotes, neceſſe eſt in Laicis eas eſſe dotes & conditiones, quæ in Sacerdotibus exiguntur, nempe ut non ſint bigami; undè concludit omnes Fideles à ſecundis nuptiis arcendos eſſe. Hunc eſſe Tertulliani ſenſum, quæ ad ea, quæ in objectione adducta ſunt, ſequuntur omninò ſuadent: *Omnes nos*, inquit, *Deus ita vult eſſe diſpoſitos, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti ſimus. Unus Deus, una Fides, una & diſciplina: uſque adeò niſi & Laici ea obſervent, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodò erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur?*

Reſp. 3tio. Hæc ultima textûs ex Tertulliano in objectione adducti verba: *Ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt confeſſus, & offers, & tinquis, & Sacerdos es tibi ſolus*, ſic à Pamelio Operum Tertulliani editore doctiſſimo emendata fuiſſe; nempe: *Ubi Eccleſiaſtici Ordinis eſt confeſſus, & offert & tingit Sacerdos, qui eſt ibi ſolus.* Qua poſita lectione, evaneſcit objectio.

Inſt. Ibidem aſſerit Tertullianus differentiam inter Ordinem & plebem Eccleſiæ auctoritate conſtitui. Ergo nullam agnovit jure divino diſtinctionem Clerum inter & plebem. 21

Reſp. Diſt. ant. Aſſerit Tertullianus differentiam &c. Eccleſiæ auctoritate conſtitui inchoatè & inadæquatè, quatenùs ſcilicet, qui in Epiſcopos & Sacerdotes conſecrantur è Laicis aſſumuntur, conc. Completè & adæquatè, neg. Eſt enim præter electionem neceſſaria conſecratio, ſeu poteſtas Ordinis, & ut loquitur Tertullianus, *honor per Ordinis conſeſſum à Deo ſanctificatus.* Igitur juxta Tertullianum in conſeſſu Ordinis duo ſunt diſtinguenda. Primum eſt aſſumptio à ſtatu Laicali, & cooptatio in Collegium Miniſtrorum Eccleſiæ. Secundum eſt ipſa electi conſecratio. Iſtud poſterius eſſe à Deo agnoſcit Tertullianus; *& honor*, inquit, *per Ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo &c.* Ergo honor ille, ſeu conſecratio & poteſtas Ordinis, non Eccleſiæ, ſed Chriſti auctoritate conſtituitur juxta Tertullianum. Prius autem urget idem Tertullianus ad ſtabiliendum errorem, quo jam factus Montaniſta damnabat ſecundas nuptias, quas Catholici licitas aſſerebant. Sic autem diſputat adverſus Catholicos: Bigami vobis fatentibus, Clerici eſſe nequeunt. Ergo Laici non debent eſſe bigami; namque Clerici non naſcuntur, ſed fiunt ex Laicis, & in Ordinem Sacerdotalem cooptantur diſpoſitione Eccleſiæ, quæ ſua libera electione differentiam Laicos inter & Clericos conſtituit. Unde ſi omnes Laici ſint bigami, nullus poterit eſſe Clericus, cùm, fatentibus Catholicis, illicitum ſit bigamum in numerum Clericorum aggregare; ſicque col-

colligit Tertullianus contradictionem in sententia Catholicorum, qui bigamos arcent ab Ordinibus, & nihilominùs permittunt omnes Laicos ad secundas nuptias transire, &c.

22 Ob. 5to. Olim, imo jam ab Apostolorum temporibus Episcopos & Sacerdotes populi non minùs quàm Cleri suffragiô electos fuisse constat. Ita observarunt Apostoli in electione S. Matthiæ Act. 1. ubi Fideles congregati duos statuerunt, nempe Joseph & Matthiam, & dederunt eis sortes. In electione etiam septem Diaconorum, Act. 6. v. 3. Petrus ad plebem ait: *Considerate ergò, Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem & placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum &c. Hunc ritum*, inquit Lutherus lib. de potestate Papæ, *per multas epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, & judicium propinquorum Episcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo Ordinationem esse cum fiducia pronuntiet.* Ergo & nunc idem mos observari debet, consequenter sola electione, non consecratione distant Clerici à plebe.

Resp. neg. ant. & cons. In ministris Ecclesiasticis promovendis duo præcipue distingui debent, Electio scilicet & Ordinatio seu Consecratio. Electio quidem aliquando ex concessione Ecclesiæ ad plebem ut & ad Clerum pertinuit, in testimonium nempe probatæ pietatis ac fidei illius, qui proponebatur inaugurandus Episcopus vel Sacerdos, cujus veteris disciplinæ superest adhuc inter nos vestigium aliquod, cùm nempe intra Missarum solemnia publicè denuntiantur & proclamantur qui ad Sacros Ordines sunt promovendi, ut, si fortè esset aliquod impedimentum, detegatur. Ordinatio verò seu Consecratio Ministrorum ad solum pertinet Episcopum jure divino & vi suæ Ordinationis; ac in ea populus nullam unquam habuit potestatem; quis enim credat Paulum auctoritate multitudinis Timotheum consecrasse Ephesiorum Episcopum; & Titum, quem idem Apostolus Cretæ reliquerat, eadem auctoritate Presbyteros per civitates constituisse? Præter Electionem & Ordinationem in Ministris Ecclesiasticis promovendis recenseri debet etiam Inscriptio seu Incardinatio certæ cuidam Ecclesiæ, quæ juris Ecclesiastici esse dignoscitur.

Inst. Privilegium fuit solis Apostolis concessum ordinare Episcopos & Presbyteros absque consensu multitudinis, quæ plerisque in locis nondum erat collecta. Ergo malè ex eo deducitur argumentum pro temporibus sequentibus. 23

Resp. neg. ant. & cons. Undè enim habent Adversarii privilegium fuisse Apostolorum ordinare Episcopos & Presbyteros sine consensu & suffragio multitudinis, eosque hanc potestatem sibi divinitùs concessam non ad suos successores, sed ad cœtum Fidelium transmisisse? Asserit enim S. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium, antiquam Ecclesiæ fidem esse, potestatem ordinandi non competere Presbyteris, nedum populo, *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod non facit Presbyter?* Et in Dialogo contra Luciferianos, ex illa constanti Catholicorum fide concludit adversùs Hilarium Diaconum, sed schismaticum, sectam, cui præerat, non esse veram Ecclesiam; cùm Ecclesia sine Sacerdote stare nequeat, & ipse Diaconus Sacerdotes ordinare non posset: *Hilarius*, inquit, *cùm Diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi; neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens; & cùm jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & Secta: quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare: Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes.* Ergo etiam, ex

ex ſententia S. Hieronymi, Sectæ Novatorum noſtrorum ſeu Pſeudoreformatorum non ſunt vera Chriſti Eccleſia, ut quæ non habeant Sacerdotes; Lutherus enim, quamvis Presbyter, & Calvinus, qui negat ſe unctione Sacerdotali pollutum, Sacerdotes ordinare non potuerunt; cùm jus iſtud inſtitutione divina ad ſolos Epiſcopos pertineat.

24 CAPUT III.

De eſſentia Ordinis, ſeu an Ordo ſeu Ordinatio verum ſit & propriè dictum novæ legis Sacramentum.

ORdinationem ſeu Ordinem eſſe verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum negant Lutherus lib. de Captiv. Babyl. c. de Ordine, ubi more ſuo inverecundè & petulantiſſimè in Catholicos debachatur; necnon Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 19. n. 33. eorumque Sectatores. Affirmant verò Orthodoxi omnes, cum quibus ſit

25 CONCLUSIO.

Ordo ſeu Ordinatio, qua ſacri inaugurantur miniſtri verum eſt ac propriè dictum novæ Legis Sacramentum.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, quæ ubi ſacræ Miniſtrorum Eccleſiaſticorum Ordinationis meminit, ſemper recenſet ſignum ſenſibile ſeu ritum externum; gratiæ promiſſionem ipſi annexam; & divinam inſtitutionem, ſeu Dei mandatum; quæ tria, ut jam ſæpius obſervatum, ad verum & propriè dictum Sacramentum requiruntur.

1mo. Signum ſenſibile, per manuum impoſitionem tanquam materiam, & orationem tanquam formam. Act. 6. v. 6. ſic ordinatos legimus ſeptem Diaconos: *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Et c. 13. v. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur: *Tunc jejunantes & orantes imponentesque manus dimiſerunt.*

2do. Huic manuum impoſitioni & orationi annexam eſſe gratiam, declarat Apoſtolus 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli*, ait, *negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* & 2dæ. ad eund. c. 1. v. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Quæ autem ſit illa Sacerdotalis gratia idem Apoſtolus exponit verſu ſequenti his verbis: *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis*, id eſt, fortitudinis, *& dilectionis, & ſobrietatis.* Denique cùm Chriſtus Joan. 20. v. 12. Apoſtolis ſuis conceſſit poteſtatem dimittendi peccata, his uſus eſt verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Porrò Spiritûs Sancti nomine hîc ſpiritualis & ſanctificans gratia intelligitur.

3tio. Mandatum, ſeu inſtitutionem Chriſti habemus. Act. 13. v. 2. *Spiritus Sanctus juſſit ſibi ſegregari Paulum & Barnabam in opus miniſterii.* Atqui ſolus Deus poteſt alligare ſigno ſenſibili vim producendæ gratiæ. Et verò Apoſtoli eorumque ſucceſſores, cùm ad Sacerdotium initiandis manus impoſuerunt, id utique non ſine divino mandato fecerunt; quis enim ſanæ mentis credat Apoſtolos ſibi arrogaſſe poteſtatem conferendi gratiam per impoſitionem manuum ſuarum, ſi Chriſtus eis non promiſiſſet, nec ritum illum uſurpare mandaſſet?

Prob. 2do. Ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ Traditione, qua conſtat ſingulari quodam ritu ſacros Eccleſiæ miniſtros ordinatos, eamque Ordinationem 26

pro

pro vero ac proprie dicto Sacramento habitam fuisse.

1mo. Ex ritu impositionis manuum, quem semper in ordinandis ministris Ecclesia constanter observavit, ut videre est in antiquissimis Conciliis Nicæno I. generali Can. 9. Antiocheno c. 7. Ancyrano Can. 10. Carthaginensi IV. c. 2. 3. 28. 2do. Ex cura & sollicitudine Ecclesiæ in deligendis ministris idoneis, qui scientiâ, eruditione, vitæ sanctitate possent ceteris Fidelibus præire, eosque suis ministeriis juvare: unde indignos & aliqua imperfectione notatos, velut irregulares arcebat ac removebat à sacra Ordinatione. 3tio. Ex severitate Ecclesiæ in damnandis eorum rapacitate & avaritia, qui pecunias pro Ordinatione recipiunt: causam reddit Concilium Chalcedonense an. 451. Can 20. *Quia gratiam Dei illi censentur vendere, quæ tamen vendi nullo modo potest aut debet.* 4to. Ex loco, quo Ministros sacros semper habuit, velut scilicet à cæteris segregatos, longè ampliori donatos gratiâ, & in sublimiori perfectionis gradu, ob dignitatis statum, constitutos.

4to. Ex SS. Patribus & summis Pontificibus. S. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali c. 5. *Quis*, inquit, *dat, Frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio Deus: sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dexterâ: Episcopus initiat Ordinem, Deus tribuit dignitatem.*

S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos toto ferè libro confert Ordinationem cum Baptismo, probatque Ordines ab hæreticis collatos valere quoad substantiam, eò quòd admitti debeat Baptismus, quem contulerint: *Si*, inquit, *in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit: & in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.* Et lib. contra Vigilantium dicit, *Episcopum Diaconos ordinantem Christi Sacramenta tribuere.*

S. Augustinus lib. 2. contra Parmenianum c. 13. loquens de Baptismate & Ordine: *Utrumque*, ait, *Sacramentum est, quod nemo dubitat neutri Sacramento injuria facienda est.* Et lib. de bono conjugali c. 24. expressis verbis asserit in omnibus Ordinatis manere *Sacramentum Ordinationis* etiamsi vel plebem non regant, vel in peccati pœnam ab officio remoti fuerint.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. *Ostendit* (Christus) *necessariò sequi*, ait, *ut detur eis Spiritus* (gratia sanctificans nempe) *qui ad divinum Apostolatum per eum deliguntur.*

S. Leo Epist. 11. aliàs 81. ad Dioscorum c. 1. præscribens modum & tempus conferendi ac suscipiendi Ordinationem â jejunis, docet istud ex Traditione Apostolica descendere, *ut intelligamus*, inquit, *quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.*

Anastasius II. in epist. ad Anastasium Imperatorem asserit 1mo. Ordinationem esse Sacramentum. 2do. Contendit per illud Sacramentum gratiam fictè non accedentibus conferri. *Nulli*, inquit c. 2. *de his quos vel baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, sive Levitas secundùm Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingit, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minùs firma videatur.*

S. Gregorius Magnus lib. 4. in libros Regum c. 5. *Qui*, inquit, *promovetur* (ad sacros Ordines) *benè foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.*

His

His tùm Summorum Pontificum tùm SS. Patrum teſtimoniis adjungi debent vetera omnia Latinorum Pontificalia, antiqua Græcorum Euchologia : in iis enim fit mentio tùm rituum, quibus Ordinatio ſacra peragitur, tùm gratiæ, quæ per illum ritum producitur. Non novam igitur, quod ineptè & ignoranter mentitur Lutherus, ſed antiquam Eccleſiæ Traditionem & doctrinam adſtruit Concilium Tridentinum, cùm Seſſ. 23. Can. 3. ita definit: *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem, non eſſe verè & proprie Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum; vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantùm ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei & Sacramentorum, anathema ſit.* Hanc Doctrinam c. 3. ejusdem Seſſ. probat & exponit.

27 *Solvuntur Objectiones.*

Objciunt Novatores 1mo. Manuum impoſitio, quam adhibuiſſe Apoſtolos referunt citati in Concluſione textus, non fuit ſignum Sacramentale, ſed ritus & cæremonia quædam uſitatiſſima ad longè alios fines, quàm ad perficienda Sacramenta uſurpata, atque tàm Infidelibus, quàm Fidelibus communis; nam hujusmodi manuum impoſitione ſeu levatione, Græcè χειροτονία ſignificabant ſe ſuffragium dare alicui, ut eligeretur ad Magiſtratum, vel quodlibet Reipublicæ munus obeundum. Sic Apoſtoli, juxta morem gentis ſuæ, ſuffragia orationum ſuarum apud Deum, ſive pro infirmorum ſalute, ſive pro venia peccatoribus impetranda, ſive pro dono Spiritus Sancti Neophytis & Miniſtris Eccleſiæ obtinendo, manuum impoſitione exprimebant. Hinc uſus Eccleſiæ imponendi manus Neophytis confirmandis, peccatoribus reconciliandis, Diaconis ordinandis, & Paſtoribus præficiendis. Item non modò Apoſtoli, ſed Chriſtus ipſe frequenter manus imponebat ſuper ægros ad ſanitatem corporis eis reſtituendam. Marc. 16. v. 18. &c. Ergo &c.

Reſp. Hoc unum inde ſequi, quod ultrò fatemur, non omnem ſcilicet, quæ olim adhibebatur, manûs impoſitionem, fuiſſe verè Sacramentalem; non verò ſequi, quòd nulla omnino manuum impoſitio fuerit Sacramentalis, niſi ſimul dicere velint Novatores Baptiſma, quo initiantur Chriſtiani, non eſſe verum Sacramentum, ex eo, quòd Judæi Baptiſmata uſurparent, ad ſe ipſos, calices, lectos, & quælibet alia mundanda, ut refertur Marci 7. v. 4. & alibi. Temerè igitur Novatores colligunt manuum impoſitionem, ſive confirmatoriam, ſive reconciliatoriam, ſive ordinatoriam, non eſſe Sacramentum, ex eo, quòd Apoſtoli & Judæi communiter manus levare & extendere ſolerent ad orationem. Nec abſurdum videri debet, quòd eadem materia pro diverſis Sacramentis, putà Confirmatione, Ordinatione Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum adhibeatur; verba enim Miniſtri illam determinant ad varia ſignificanda.

Ob. 2do. Gratia, quæ manuum im- 28
poſitioni annexa legitur 1. Tim. 4. ad eam ſpeciem referri debet, quæ gratia gratis data ſolet appellari, quam vox Græca χαρίσμα, quâ utitur Apoſtolus, ſignificat; hoc eſt dona miraculorum, linguarum, prophetiæ, &c. ait enim Apoſtolus ibid. gratiam illam Timotheo datam fuiſſe per *prophetiam*, hoc eſt, in ſeu ad prophetiam, quæ eſt gratia gratis data, nempè ut illi evangelizanti daretur verbum in plenitudine multa, juxta illud Matth. 10. v. 19. *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini.* Ergo &c.

Reſp. Futilem prorsùs eſſe iſtam Novatorum evaſionem. Nam 1mo. Communi-

munior &, ut videtur, verior interpretatio est, prophetiam hîc non significare effectum Ordinationis, sed causam, propter quam permotus fuit Apostolus, ad ordinandum Timotheum, scilicet divinam revelationem ipsi factam, ut eum in Episcopum consecraret; sic enim ad eundem scribit Epist. 1. c. 2. v. 18. *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundùm praecedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam prophetiam, habens fidem, & bonam conscientiam.* 2do. Exponit ipse Apostolus 2. ad Tim. 1. quae sit ea gratiae species, quae ipsi data erat per manuum impositionem. *Non enim*, inquit, *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis & sobrietatis.* Quae certè gratia verè interna est, data in sanctificationem ejus, qui debitè ordinatur. 3tio. Esto Apostolus Timotheo imposuerit manus, ut acciperet donum prophetiae, seu donum intelligendi Scripturas, & ex illis intrepidè praedicandi Evangelium, nomenque, *charisma*, ad gratias gratìs datas significandas extendatur: an propterea excluditur gratia sanctificans? Apostoli Neophytis manus imponebant, ut acciperent dona linguarum, prophetiae, curationum, &c. an inde sequitur Neophytos non accepisse gratiam sanctificantem, & charitatem, quae per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus, quamque Apostolus 1. Cor. 12. v. ult. vocat charisma melius & excellentius? An Spiritus virtutis, dilectionis, & sobrietatis, quem idem Apostolus asserit collatum Timotheo per manuum suarum impositionem, numerandus est inter gratias gratìs datas, quae in aliorum duntaxat commodum conceduntur? minimè profectò.

29 Ob. 3tio. Ordinatio, quam Apostoli acceperunt à Christo, non erat Sacramentum. Ergo nec Ordinatio, quam Apostoli & eorum successores aliis contulerunt.

Resp. Dist. ant. Non erat Sacramentum secundùm ritum, trans. secundùm effectum neg. ant. & conf. Christus per potestatem, quam excellentiae vocant, plerumque sine Sacramento produxit effectus Sacramenti, sicut die Pentecostes v. g. confirmavit Apostolos & corroboravit virtute Spiritûs Sancti; similiter pridie quàm pateretur, in ultima coena eos Sacerdotes constituit nullo observato ritu; sed potestatem, quam iis & eorum Successoribus concessit, remittendi peccata, & sanctificandi homines, ita signis exterioribus alligavit, ut nonnisi per ea gratiam conferre possent.

Inst. S. Gregorius Nyssenus in vita 30
S. Gregorii Thaumaturgi narrat ipsum absentem consecratum fuisse Neo-Caesariensem Episcopum. Ergo Ordinatio non est nisi mera deputatio.

Resp. neg. ant & conf. S. Gregorius Thaumaturgus absens quidem fuit electus & creatus Episcopus, quemadmodùm etiamnum eliguntur & creantur Episcopi & Parochi, qui absentes sunt; sed praesens consecratus est: Scribit enim S. Gregorius Nyssenus S. Gregorium Thaumaturgum munus seu Officium Episcopale non adiisse seu obiisse, nisi, ut ait, *Omnibus post haec, quae fieri solent, legitimis seu solemnibus in eo peractis.*

Alia momenta, quae Novatores solent opponere adversus nostram Conclusionem Capite praecedenti praeoccupavimus ac diluimus.

CAPUT IV.

31

De materia & forma Sacramenti Ordinationis.

CErtum est, atque id ex hactenus dictis patet, Sacramentum Ordinis seu Ordinationis materiâ & formâ velut

partibus essentialibus & constitutivis constare, nullamque Ordinationem unquam in Ecclesia celebratam fuisse absque materia seu rebus, & forma seu verbis, quibus tanquam signis exterioribus, aut gratia, aut officium per Ordinem collata exprimerentur. Equidem haud ignoramus ab aliquibus in medium adduci Rebuffum nonnullosque Canonistas, qui asserant, Pontificem Maximum his duntaxat verbis: *Esto Sacerdos: Esto Episcopus*, seu absque alio sensibili signo posse quempiam aut Episcopum aut Presbyterum consecrare. Sed Rebuffus aliique Canônistæ vel intelligendi sunt de Episcopatu aut Sacerdotio sumptis secundùm jurisdictionem, quam quidem non alio, quàm verbô, adhibitô signô à Summo Pontifice conferri posse nemo inficiatur, non verò secundùm substantiam: vel rejiciendi sunt, ut qui Ecclesiæ antiquam Traditionem secuti haud sint, imò ab ea penitus recesserint. Solus enim Christus, ut Cap. præcedenti primùm annotavimus, sine Sacramento effectum Sacramenti Apostolis impertivit, potestatemque dedit Sacramenta conficiendi & administrandi, sola sua divina voluntate, & sine ritu aut signo sensibili. Et in hoc conveniunt omnes Theologi Catholici.

32 Verùm haud exiguum inter eos est litigium, quænam sit materia, quænam forma, quibus Sacerdotium & Sacra Ordinatio constet; an manuum impositio sola, an verò simul instrumentorum porrectio, & quæ non distinguatur ab impositione manuum, sit illius materia. Et an sola oratio, an verò simul verba instrumentorum porrectioni adjuncta, vel etiam sola verba porrectioni hujusmodi adjuncta sint forma hujus Sacramenti Ordinis.

Difficultatem hanc excitasse videtur diversitas rituum modernæ Ecclesiæ Latinæ & Græcæ. Nam nunc in Ecclesia Latina in Sacra Ordinatione, præter manuum impositionem, adhibetur porrectio alicujus instrumenti, cum his verbis: *Accipe potestatem &c.* quæ à Græcis omittitur.

Diximus *Modernæ Ecclesiæ Latinæ*, & *Nunc in Ecclesia Latina &c.* Enimverò certum est, ante decimum Ecclesiæ Sæculum incognitum fuisse apud Latinos in Sacris Ordinationibus usum instrumentorum; quando autem inceperit, difficile est determinare, conjecturando putant aliqui ante annos circiter septingentos vel octingentos usum hunc sumpsisse initium.

Ex quo videtur esse probabilior illorum 33
Theologorum sententia, qui dicunt porrectionē instrumentorum cum verbis adjunctis non esse partem essentialē, sed integralem duntaxat Sacramenti Ordinis. Secùs enim sequi videtur absurdum quid & ineptum, scilicet nullas & invalidas fuisse apud Latinos per decem Sæcula, & etiamnum esse apud Græcos Ordinationes sacras, defectu nempe hujus porrectionis instrumentorum cum verbis adjunctis. Deinde manûs impositio & oratio in Scripturis memoratæ sunt sufficiens exterius signum ad Sacramentum perficiendum. Ergo nihil aliud tanquam essentiale ulteriùs addendum videtur; satisque est, ut instrumentorum traditio tanquam pars necessaria ad integritatem Sacramenti retineatur. Denique, partes essentiales Sacramentorum debent esse fixæ, constantes, immutabiles, à Christo Domino institutæ, à quo solo vim habent efficacem conferendi gratiam, ut per se patet atque etiamnum ultrò declarat Concilium Tridentinum Sess. 21. c. 2. ubi docet Ecclesiam nihil posse in substantiam Sacramentorum, sive addendo, sive detrahendo. Atqui tamen si traditio instrumentorum haberetur pro parte essentiali Ordinationis, materia hujus Sacramenti

nec constans fuisset, nec perpetua & immutabilis, cùm per decem priora sæcula Ecclesiæ apud nos in usu non fuerit, nec etiam hodie in usu sit apud Græcos; neque etiam Christum haberet auctorem, sed Ecclesiam.

34 Sola ergò manûs impositio videtur esse materia essentialis Sacramenti Ordinis, forma verò Oratio, utpotè quarum solarum mentionem faciat Scriptura tanquam materiæ & formæ hujus Sacramenti; & quas universa Ecclesia tùm Latina, tùm Græca usu nusquam interrupto usurpaverit; prout patet ex passim jam adductis Scripturæ testimoniis; ut Act. 6. v. 6. ubi de Ordinatione septem Diaconorum ita refertur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Et c. 13. v. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ, *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Apostolus ipse scribens ad Timotheum, *Noli*, ait 1. Tim. 4. *negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. ad eundem Epist. c. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

35 Ecclesiam verò universam tùm Græcam tùm Latinam usu nusquam interrupto manuum impositionem tanquam materiam, & Orationem tanquam formam in Sacramento Ordinis adhibuisse declarant SS. Patrum & Conciliorum testimonia, quorum aliqua hîc subtexere placet. S. Hieronymus in c. 58. Isaiæ asserit, *Ordinationem, non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impleri manûs.* Et S. Augustinus lib. 5. de Baptismo, c. 20. *Quomodò exaudit* (Deus) *homicidam deprecantem super capita eorum, quibus manus imponitur* in Ordinatione? Concilium Nicænum Generale I. Can. 9 Ordinationem Episcopi, Presbyteri, Diaconi; Antiochenum, Can. 10. manuum impositionem vocant. Et Carthaginense IV. Can. 2. 3. & 4. dicit Episcopum, Presbyterum, & Diaconum ordinari debere per manûs impositionem. Accedit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. ubi ait, *Episcopos aut Sacerdotes ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterii, ministros esse Sacramenti Extremæ Unctionis.*

Sed huic sententiæ adversari videtur Eugenius IV. seu Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis, ubi *Sextum Sacramentum*, inquit, *est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et infrà *Forma Sacerdotii talis est: accipe potestatem &c.* Item Innocentius III. cap. *Pastoralis.* Extra. *De Sacramentis non iterandis.* Et Gregorius IX. ibid. cap. *Presbyter.* ubi asserunt, *iterandam non esse Ordinationem factam sine manûs impositione, sed supplendum esse, quod omissum fuit.* Addit Gregorius IX. *impositionem manuum esse ritum ab Apostolis introductum.* Denique Pontificale Romanum, in quo ritus jam diuturno usu in Ecclesia Latina usurpati præscribuntur, eos, qui manûs impositionem suscepêre, tam Diaconos, quàm Presbyteros, *Ordinandos* vocat, post instrumenta autem porrecta, *Ordinatos*; ergo non censentur illi ordinati per solam manûs impositionem. 36

Verùm ad has auctoritates variâ respondent prioris sententiæ patroni, ut ad auctoritatem Eugenii IV. Ideo illum nullam fecisse mentionem impositionis manuum, quia hæc jam erat in usu apud Armenos, quibus peculiarem Ecclesia Romanæ ritum tradere volebat, atque voluisse solummodò in illa instructione designare materiam accidentalem Ordinationis, & accessoriam seu integram-

grnatem, quæ Armenis erat ignota, non verò essentialé, manuum scilicet impositionem, qua jam utebantur. Ad Innocentium III. & Gregorium IX. eorum mentem esse, ut velint in Sacramentis, cùm essentialia omissa sunt, accidentales cæremonias ritè adhibitas non esse iterandas; cùm verò accidentaria omissa sunt, essentiales ritus non esse repetendos. Et ita si cuî, dum ordinaretur, instrumenta tradita sunt, manus autem imposita non fuerit, non esse necessarium, ut de novo instrumenta ipsi porrigantur, sed tantùm ut manus ei imponatur addita Oratione, quæ illam, ut forma, comitari debet. Quòd autem dicat Gregorius IX. *manûs impositionem esse ritum ab Apostolis introductum*, non sic debere accipi, quasi Apostoli hunc instituerint, sed quia ipsi primi cœperunt illum usurpare in Ordinationibus. Denique ad Pontificale Romanum: Quæcumque sententia seligatur, ajunt, circa necessitatem porrectionis instrumentorum in sacris Ordinationibus, sive pro essentiali habeatur, sive pro accidentali aut integrali, meritò Ordinati non appellantur ii, quibus hæc instrumenta porrecta non fuerunt, quia ritus omnes ab Ecclesia præscripti necessariò sunt observandi.

37 Igitur tanquam omninò certum statuimus, quòd in Sacramento Ordinis traditio seu porrectio instrumentorum cum verbis adjunctis absolutè sit retinenda & adhibenda, sive dein sit pars essentialis, sive integralis dumtaxat Sacræ Ordinationis, tùm quia ritu isto Ecclesia Latina à septingentis ad minùs annis utitur; tùm quia eum Ordo Romanus, omnes ferè Rituales libri, ac suprà laudatum Decretum seu Instructio Eugenii IV. præscribunt; tùm quia multi præstantioris notæ Theologi eum velut partem essentialem Sacramenti Ordinis tuentur fulti gravibus illis auctoritatum momentis, à nobis primùm allatis, quibus adversariorum suorum responsiones, quas eisdem atteximus, sufficienter fortè non satisfaciunt; atque etiam, quòd dicant, non valere argumentum quod ipsis opponitur, scilicet ex eorum opinione sequi, Ecclesiam substantiales hujus Sacramenti partes materiam nimirùm & formam immutasse, vel saltem auxisse. Respondent enim 1mo. Ecclesiam Latinam à S. Petro ritum suum Ordinandi, per traditionem instrumentorum & manuum impositionem, accepisse, cùm in Ordine Romano, qui octavô Sæculô jam extabat, ille ritus tradatur ut jam pridem usitatus, nec ostendi possit ab aliquo Pontifice aut Concilio institutus, juxta regulam à S. Augustino lib. 4. de Bapt. c. 24. traditam his verbis: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* 2do. Etsi verum esset Ecclesiam Latinam veteri materiæ & formæ Sacramenti Ordinis addidisse porrectionem instrumentorum cum adjunctis verbis &c. non tamen inde sequitur ab ea quidquam in illius ritu mutatum fuisse, nisi materialiter, non verò formaliter & contra institutionem Christi, qui, ut in Tract. de Sacram. in gen. annotavimus, Ecclesiæ reliquit determinationem actionis sensibilis & verborum ad significandam potestatem traditam. Porrò cùm Christus nullam materiam & formam Ordinationis in specie definierit, quidnî Ecclesia posset novum aliquid pro materia & forma apponere? Tùm denique quia porrectio illa instrumentorum cum verbis adjunctis apertiùs & significantiùs exprimit uniuscujusque Ordinis finem & effectum, ùt patet.

Explodenda nihilominùs velut improbabilius illorum opinio, qui manus impositionem confundunt cum actione manûs instrumenta porrigentis, nec ab ea di- 38

diſtingui ſed in ea includi ac contineri ajunt. Nam contrà eſt 1mo. Quia Veteres per manûs impoſitionem ſemper denotârunt ſpecialem actionem, quam S. Dionyſius appellat *protectionem*, Tertullianus *adumbrationem*, Ritus Eccleſiaſticus, *manûs expanſionem*, *extenſionem*, ſimpliciter *manûs impoſitionem ſupra capita confirmandorum vel ordinandorum*. 2do. Omninò ridiculum videtur confundere manûs impoſitionem cum porrectione inſtrumentorum, iis præſertim Sæculis, quibus ſacri Eccleſiæ miniſtri per ſolam manuum impoſitionem ordinati fuerunt. 3tio. Concilium Carthaginenſe IV. ſuprà laudatum, in eo diſtinguit Ordinationem Subdiaconorum, quòd non per manûs impoſitionem, ſed per ſola inſtrumenta perficiatur; ergo manifeſtè ſupponit manûs impoſitionem diſtingui à porrectione inſtrumentorum. 4to. Si in illa porrectione inſtrumentorum idcircô manuum impoſitio includi ac contineri dicenda ſit, quôd inſtrumenta hæc manu præbeantur ſeu porrigantur, tunc etiam Baptiſmus & Extrema Unctio, imò & omnes inferiores Ordines per impoſitionem manuum conferri dici poſſunt, quia inſtrumenta, quibus perficiuntur, manu porriguntur; & Baptiſmus ipſe, & ipſa Extrema Unctio per manum miniſtrantur. At non videmus, quid magis abſurdum & ridiculum dici poſſit.

39 CAPUT V.

De cauſis, hoc eſt, Auctore, Miniſtro, & Subjecto Sacramenti Ordinis.

TRibus paragraphis præſens Caput diſtinguemus. In 1mo. De Auctore; in 2do. De Miniſtro; & in 3tio. denique de Subjecto Sacræ Ordinationis diſſeremus.

§ I. 40

De Auctore ſeu inſtitutore Sacramenti Ordinis.

Jam ſuprà in Tract. de Sacramentis in genere oſtendimus, omnia novæ Legis Sacramenta auctorem habere & inſtitutorem Chriſtum Dominum, adeoque ipſum Sacræ Ordinationis auctorem etiamnum eſſe, ut quam inter vera & propriè dicta Sacramenta recenſendam eſſe anteà demonſtravimus. Sit igitur

CONCLUSIO. 41

Chriſtus eſt auctor & inſtitutor Sacramenti Ordinis ſeu Sacræ Ordinationis.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Chriſtus, ex Apoſtolo 1. Cor. 12. v. 28. *quoſdam poſuit in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertio Doctores, &c.* uno verbo varios ac ſacros Miniſtros ad opus miniſterii, & conſummationem inſtituit. Atqui nonniſi per ritum, quem Sacramentum dicimus, inaugurantur & conſecrantur miniſtri illi. Et re ipſa Chriſtus Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis poteſtatem & gratiam Ordinis conceſſit, Luc. 22. v. 19. in ultima Cœna poſt ſumptam Euchariſtiam dicens eis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item Ioan. 20. v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Joan. 20. v. 21. *Pax vobis: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino Seſſ. 7. Can. 1. definiente Sacramenta omnia Legis novæ à Chriſto fuiſſe inſti-

tuta. Et Seff. 23. Can. 3. de Sacra Ordinatione fic pronuntiat: *Si quis dixerit, Ordinem five Sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum ... anathema sit.*

Prob. 3tio. Quia, ut jam paffim oftendimus, folus Deus poteft rebus fenfibilibus vim alligare gratiæ fanctificantis effectricem.

42 Ob. In citatis Scripturæ teftimoniis nulla fit mentio Symboli alicujus externi, quo ufus fuerit Chriftus, dum Apoftolis poteftatem Ordinis dediffe creditur. Ergo ex his teftimoniis meritò inferri non poteft inftitutum ab ipfo fuiffe Sacramentum Ordinis, utpotè quod neceffariò exigit fignum exterius.

Refp. neg. conf. Cùm enim, ut alibi jam animadvertimus, virtus Chrifti fignis exterioribus non fit alligata, potuit fuis Apoftolis Ordinis auctoritatem & gratiam conferre fola fua voluntate, absque ullo externo Symbolo, & iis fimul injungere, ut per aliquod fignum exterius fucceffores fuos ordinarent; ita enim re vera ordinatos fuiffe Diaconos, Epifcopos, Presbyteros legimus in facris Litteris. Efto igitur Apoftoli Ordinis poteftatem & gratiam per verum Sacramentum feu Symbolum exterius non perceperint, ficut Spiritum Sanctum perceperunt absque vero Confirmationis Sacramento; non tamen inde confequitur nec Ordinis, nec Confirmationis Sacramenta effe à Chrifto inftituta.

43 **§. II.**

De Miniftro Sacramenti Ordinis.

Novatores, ut alibi jam monuimus, totam Ordinationis Sacræ poteftatem in populo feu communitate, tanquam in fonte refidere arbitrantur; Miniftris verò feu Paftoribus, ad evitandam confufionem, quæ fuboriri poffet, fi finguli è populo feu communitate id facerent, tanquam vicariis ac delegatis manuum impofitionem duntaxat feu folum externum minifterii hujus exercitium conferunt & relinquunt.

At Catholici communi fuffragiô docent folos Epifcopos effe Miniftros Ordinarios facrarum Ordinationum, non modò quoad ufum & exercitium, fed etiam quoad internam poteftatem, quæ per confecrationem, feu manuum impofitionem ipfis confertur. Extraordinarios verò feu ex delegatione feu commiffione, accedente fcilicet S. Pontificis difpenfatione faltem minorum Ordinum & Subdiaconatûs Miniftros effe fimplices Sacerdotes communis eft apud eosdem Theologos Catholicos fententia contra Adrianum & alios paucos, qui inficiantur poffe fimplici Sacerdoti concedi licentiam conferendi validè non tantùm majores, fed etiam minores Ordines.

Igitur in fententia Catholicorum duplex diftinguitur facræ Ordinationis Minifter, unus Ordinarius ex officio & inftitutione Chrifti, qualis eft folus Epifcopus; alter Extraordinarius ex delegatione et commiffione, ùt jam dictum, qualis eft fimplex Sacerdos.

Item inter Ordines Ecclefiafticos alii funt facri, fuperiores & hierarchici, Epifcopatus fcilicet, Presbyteratus, & Diaconatus; alii verò inferiores, non facri, nec hierarchici. His prænotatis ponitur

CONCLUSIO. I. 44

OrdinariusSacræ Ordinationis Minifter eft folus Epifcopus.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, in qua non alii quàm Epifcopi facros Ecclefiæ Miniftros ordinaffe referuntur: foli Epifcopi, fcilicet Apoftoli, feptem Diaconos per manu-

manuum impositionem & orationem ordinârunt Act. 6. v. 6. Et c. 14. v. 22. soli Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias Presbyteros constituunt. Paulus Timotheum ordinavit 2. ad Tim. 1. v. 6. Et c. 4. v. 14. 1. ad Tim. *Noli*, ait ad ipsum, *negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.* Nomine verò *Presbyterii* Interpretes, præsertim Græci, intelligunt cœtum Episcoporum. *Non de Presbyteris*, ait S. Chrysostomus in hunc locum, *hîc loquitur, sed de Episcopis: neque enim profectò Presbyteri ipsum* (Timotheum) *ordinaverant.*

45 Prob. 2do. Ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione. S. Cornelius Papa, qui tertiô Ecclesiæ Sæculô floruit, epist. ad Fabium Antiochenum, quam refert Eusebius lib. 6. Hist. c. 43. scribit Novatianum Schismaticum & Hæresiarcham, cùm Episcopatum Romanum ambiret, acciviſſe ex Italia tres Episcopos, homines planè rudes ac simplices, quos ille inclusit, temulentosque factos, & crapulâ oppressos, adumbrata & inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere per vim coëgit. Adeò omnibus, etiam Hæreticis, persuarum erat Episcopum nonnisi ab aliis Episcopis consecrari posse.

Synodus Alexandrina an. 319. in Epistola Synodica declarat Ischyram Presbyterum non esse, quia fuerat ordinatus à Collutho, qui non erat Episcopus, sed simplex Sacerdos.

S. Epiphanius hæresi 75. Aërium insectatur, qui Presbyteros Episcopis æquabat, iisque jus ordinandi tribuebat; cùm Episcopalis Ordo Patres Ecclesiæ generet per Ordinationē; Presbyteralis verò filios duntaxat per Baptismum. Undè sic concludit: *Quînam fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum impendendarum jus nullum habet?*

S. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium: *Quid*, ait, *facit, excepta Ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter?*

S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in illud ad 1. Tim. c. 3. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi ... cum impositione manuum Presbyterii.* Nomine *Presbyterii* intelligunt, prout primùm annotavimus, cœtum Episcoporum; quia, inquiunt, absurdum est Episcopum fuisse consecratum per simplices Sacerdotes.

Concilium Hispalense II. an. 619. c. 5. judicat irritam esse Ordinationem, in qua Presbyter benedictionem dederat, id est, verba formæ seu Orationem pronuntiaverat, dum Episcopus, qui præ oculorum dolore legere non poterat, manus imponebat.

Denique, ut alia multa omittamus, Concilium Tridentinum Sess. 23. Can. 7. sic statuit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem Confirmandi & Ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem anathema sit.* Eandem doctrinam exposuerat c. 4.

Notandum hîc, non tamen licere cuiquam à quocumque promiscuè Episcopo Ordinationem percipere, sed ab eo duntaxat, qui proprius sit Episcopus. 46
Ita sancitum legitur in Concilio Nicæno Generali I. Can. 16. & in Synodo Sardicensi Can. 19. hæcque constans & perpetua semper fuit Ecclesiæ disciplina usque ad Concilium Tridentinum perducta, ne scilicet quis ab alio, quàm à proprio suo Episcopo ordinetur. Eam proinde etiam sancit laudata Synodus Tridentina Sess. 23. de Reform. c. 8. his verbis: *Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. &c.*

Sapi-

Sapientissimæ autem legis hujus & disciplinæ gravissima sunt momenta: 1mo. Ad pacem & concordiam inter Episcopos servandam. Nemo ignorat, quantùm turbarum ac dissidii excitaverit ordinatio Origenis inter Demetrium Alexandrinum, cujus in Ecclesia Lectoris officium exercuerat, & Theoctistum Cæsareensem, & Alexandrum Jerosolymitanum, à quo Presbyter fuerat ordinatus inconsultô Demetriô. 2do. Ad securitatem conscientiæ Episcoporum, quibus animarum cura incumbit, de quibus rationem Deo sunt reddituri. 3tio. Ad dignitatem & reverentiam Sacramenti, ne fortè, si indignus accesserit & sacram suffuratus fuerit Ordinationem, scandalo sit Fidelibus, & ab Infidelibus aut Hæreticis blasphemetur nomen Christi.

47 Proprius verò Episcopus, à quo percipienda est ordinatio triplex in Jure distinguitur Cap. *Cùm nullus.* De temporibus Ordinationis in *Sexto. Originis* scilicet, *Beneficii*, & *Domicilii.* Episcopus *Originis* olim, cùm plures provecta jam ætate baptizarentur, ille dicebatur, in cujus Diœcesi quis baptizatus fuerat, ut constat ex Concilio Carthaginensi III. Can. 44. Ex quo verò paucissimi in adulta ætate baptizati sunt, Episcopus Originis ille dictus est, in cujus Diœcesi quis natus est. Ita cit. c. *Cùm nullus* Bonifacius Papa VIII.

Episcopus *Domicilii* ille est, in cujus Diœcesi aliquis ita commoratur, ut in ea perpetuò manendi, nec in locum originis suæ remeandi gerat animum, quique rerum ac fortunarum suarum summam ibidem constituit. Ita domicilium definitur leg. 7. cap. *De incolis.* Quantùm verò ad tempus, quod requiritur ad jus domicilii acquirendum, multi decennium figunt cum Synodo Mediolanensi IV. an. 1576. celebrata. Alii verò triennium duntaxat, saltem si per illud tempus Familiæ Episcopi, cui aliàs subditus non est, adscriptus fuerit, juxta Concilium Tridentinum Sess. 23. Cap. 9. de Reform.

Episcopus *Beneficii* ex laudato mox cap. *Cùm nullus.* est ille, in cujus Diœcesi aliquis Beneficium obtinet, sive simplex sit, sive residentiam postulet; sive in titulum, ut vocant, sive in Commendam possideatur; sive opimum, sive non; sive unum sive multiplex; aut in una aut in pluribus Diœcesibus. Cavendum autem est ne per fraudem Beneficium conferatur vel obtineatur: si enim Episcopus ex aliena Diœcesi Clericum extrahat, eique conferat Beneficium, animô illum sibi addicendi; vel ipse Clericus, ut proprii Episcopi examini se subducat, in aliena Diœcesi Beneficium adipiscatur, tam Ordinans, quàm Ordinatus incurrunt pœnas à Jure latas. Ita Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres respondit Cardinali Aquaviva Archiepiscopo Neapolitano; & ad consulta Episcopi Cadurcensis an. 1662. Docentque passim Canonistæ.

Pœnæ autem in Jure statutæ adversùs eos, qui vel alienos ordinant vel ab alienis ordinantur sine licentia proprii Episcopi hæ sunt ex Concilio Tridentino Sess. 14. de Reform. c. 2. scilicet ab excercitio suorum Ordinum suspenduntur: *Contrafaciens*, ait Concilium, *ab excercitio Pontificalium per annum; taliter verò promotus, ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.* Item postquam Sess. 23. de Reform. c. 18. jussit, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur, istam contra infractores pœnam imponit: *Si secus fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum; & Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* 48

Diximus sine *Licentia proprii Episcopi*: nam cum ejus venia seu licentia quisque ab alieno Episcopo ordi- 49

ordinari potest (*c*). Hujusmodi autem licentiam proprii Episcopi suis subditis scriptô impertire solent, quod *Litteræ dimissoriæ* nuncupatur, quia per eas Clericus à suo proprio Episcopo dimittitur, ac libera ipsi datur facultas ab alieno Episcopo suscipiendi Ordinationem. Eas etiam concedere potest Vicarius Generalis, modò specialem & expressam ab Episcopo concessionis ejusmodi facultatem acceperit. Ita cit. Cap. *Cùm nullus. De tempore Ordinationis.* in Sexto.

Capitulum Sede vacante, nonnisi annô elapsô à die obitûs Episcopi numerando, dimissorias dare potest, nisi fortè quis occasione Beneficii Ecclesiastici recepti aut recipiendi sit coarctatus. Ita Conc. Trid. Sess. 7. de reform. cap. 10.

Non extinguuntur litteræ illæ dimissoriæ per mortem Episcopi, à quo datæ sunt. Id constat ex cap. *Si gratiosè*, tit. *De rescriptis.* in Sexto Et ratio est, quia quæ sunt gratiæ ac favoris non cessant per mortem concedentis: non ita est de mandato, quod extinguitur morte mandantis.

50 Porro circa legem hanc, qua quilibet à proprio suo Episcopo ordinari jubetur, quantùm ad Laicos, an scilicet hi eâ teneantur; varia fuit hac in parte Ecclesiæ disciplina. Concilium Carthaginense I. Can. 5. annô 347. sanxit, ne Episcopus Laicum usurparet sibi *de plebe aliena sine conscientia proprii ejus Episcopi.* Addidit Gratus Carthaginensis, qui Concilio præerat, *memini in sanctissimo Concilio Sardicensi* (cui interfuerat) *statutum*, *ut nemo alterius plebis hominem usurpet.* Nihilominùs lex ista non ubique obtinuit; namque Origenes Alexandriæ natus; in Palestina & Clericus & Presbyter ordinatus fuit à Theoctisto Cæsariensi, & ab Alexandro Jerosolymitano, ut refert S. Hieronymus Lib. de Scriptor. Ecclesi. ipse S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Augustinus, & alii non pauci, ab aliis, quàm à suæ originis Præsulibus, sacram Ordinationem perceperunt. Verùm propter incommoda, quæ indè nascebantur, vel enim homines criminibus in patria infames, & impedimentis canonicis ligati alibi ignoti in Clerum obrepebant; vel ab Episcopis invitis juvenes bonæ spei, & ab eis accuratè instituti abducebantur; Lex ubique tandem recepta est, qua cavetur, ne alienus Episcopus quemdam Clero adscribat absque consensu proprii Episcopi. Ita cap. *Nullus. De temporibus Ordin.* in Sexto. Concil. Trident. Sess. 7. cap. 10. de reform. & Sess. 14. cap. 2. de reform. Denique Sess. 23. cap. 8. de reform.

Cæterùm proprius Episcopus in foro exteriori cogi non potest, ut & Laico clericalem Tonsuram, & Clerico sacram Ordinationem conferat, sive iste Beneficium habeat, cui annexus sit Ordo, sive non habeat, sive sit occulti criminis reus, sive non. Ita Concilium Trident. Sess. 14. cap. 1. Ratio est, quia quæ ex gratia conceduntur, denegari possunt. Atqui Ordinatio ad forum gratiosum pertinet, nec recusatæ Ordinationis caussam ullam allegare tenetur Episcopus, qui soli Deo ea in re rationem redditurus est. Quid enim si occultum Clerici aut Laici facinus cognoverit, an illud publicè declarare tenebitur, unde scandalum & offensionem patietur Ecclesia? absit. 51

Quæri etiam hîc solet, quis proprius sit Episcopus Regularium? Respondendum, Is, in cujus Diœcesi commoran- 52

(*c*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 3. de reform.

tur & degunt, five fixam fedem habeant in Monafterio, in quo profeffi funt, ut funt Cartufiani, & in Germania noftra Benedictini, Cifterciensfes, &c. five fedem & locum ad nutum Superiorum mutare foleant. Ita decreverunt, Concilium Carthaginenfe V. Can. 15. qui refertur Dift. 50. Cap. *Si quis.* Arelatenfe III. Leo X. in Concilio Lateranenfi V. Seff. 11. Concilium Tridentinum Seff. 23. cap. 8. de reform. ubi revocat quævis privilegia. Concilium Burdigalenfe annô 1624. tit. de Ordine, cap. 12. ad mentem Clementis VIII. qui annô 1596. in generali Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum idem decerni juffferat.

Porro Bulla Pii V. quæ incipit, *Et fi Mendicantium*, & in qua Mendicantibus Religiofis indulget, ut à quolibet Antitifte Ordines recipere poffint, licentiâ Ordinarii minimè requifitâ; à Gregorio XV. ad fedandos tumultus, qui ex ejusmodi conceffione orti fuerant, revocata fuit, & ad terminos Juris communis, necnon Concilii Tridentini reducta per Conftitutionem, quæ incipit, *In tanta rerum.*

53 CONCLUSIO II.

Simplex Sacerdos, accedente S. Pontificis vel Ecclefiæ difpenfatione, poteft conferre Tonfuram, minores Ordines & Subdiaconatum.

Prob. 1mo. Quia minores Ordines & Subdiaconatus inftitutionis funt Ecclefiafticæ, nulla quippe eorum in Scripturis mentio; neque Traditio eorum inftitutionem ad Chriftum refert. Ergo pro jure fuo poteft Ecclefia cum fimplici Presbytero difpenfare, ut Ordines illos minores non facros nec hierarchicos fimul cum Subdiaconatu adminiftret.

2do. Quia de facto Ecclefia Presbyteris aliquando privilegium indulfit, ut illos Ordines conferrent. Dicuntur privilegium illud habere Cardinales, ex veteri confuetudine per fummos Pontifices approbata. Privilegium Abbatum habemus in Jure expreffum, nempe ut fuis Religiofis minores Ordines conferre poffint. Ita Synodus Generalis VII. an. 787. Can. 11. Ubi Abbatibus licentiam indulget creandi feu ordinandi Lectores in fuo duntaxat Monafterio, modò Abbates illi ab Epifcopis fint benedicti per manûs impofitionem, & gradu Sacerdotali decorati. Idem privilegium firmatum legimus Cap. *Requifivit*, quod eft Alexandri III. Extra. *De Ordinatis ab Epifcopo.* Et Cap. *Contingat.* quod eft Innocentii III. Extra. *De ætate & qualitatibus Ordinandorum.* Privilegium illud confirmat Synodus Tridentina Seff. 23. cap. 10. de reform. ubi, dùm prohibet, ne Abbates cuicumque extraneo fibi non fubdito conferant Tonfuram clericalem ac minores Ordines, haud dubiè non improbat, fed confentit, ut eos fuis fubditis conferant; nam exceptio firmat regulam feu privilegium.

3tio. Prob. exemplô & factô Chorepifcoporum, quorum plerique, cùm fimplices effent Sacerdotes, ordinaffe tamen leguntur inferiores miniftros, etiam Subdiaconos. Ita Concilium Meldenfe, cap. 44. Antiochenum Can 10. & Hifpalenfe, Can. 4.

4to. Ratione velut à priori. Quia inferiores Ordines illi nec immediatam habent relationem ad Corpus & Sanguinem Chrifti, fed duntaxat poteftatem deferviendi facro Miffæ Sacrificio largiuntur, quæ aliis etiam non Ordinatis convenire poteft; nec ad populum regendum, aut ullo Sacramento juvandum vim ullam fpiritualem conferunt: unde nihil mirum eft, quòd Minifter eorum Ordinum non fit ex divina

na institutione ita determinatus, quin ex Ecclesiæ commissione mutari possit: consentaneum nempe est, ut cùm functiones istorum Ordinum aliis, quàm qui solito more ordinati sunt, convenire possint, minister quoque eorum Ordinum alius ab Episcopo, qui Ordines istos conferre solet, esse queat.

54 *Solvuntur Objectiones*

Contra utramque Conclusionem.

Ob. 1mo. Concilium Nicænum Oecumenicum I. in Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam, *Illi*, inquit, *qui Dei gratiâ. . . . ad nullum schisma defecisse comperti sunt, & se intra Catholicam Ecclesiam impollutos continuerunt; jus habeant & ordinandi, & eos, qui digni Clerô fuerint, nominandi.* Sermo ipsi Concilio est, de Presbyteris à Meletio Schismatico ordinatis & consecratis, quorum aliqui ejus schismati adhærerant, alii illud respuerant, hisque Synodus potestatem indulget ordinandi Ecclesiæ Ministros. Ergo tunc temporis Presbyteri jus & potestatem habebant ordinandi &c.

Resp. neg. cons. Aliud enim est ordinare, seu ut habetur in Græco textu, præordinare, id est, designare, eligere; aliud consecrare. Clerici quidem, juxta morem illorum temporum, probabant quos Fideles elegerant ad ministerium Sacerdotale, & probatos ab Episcopo consecrandos offerebant. Vult igitur Concilium, ut, quos Clericali honore gaudere statuerat, suffragium habeant cum cæteris Clericis in hujusmodi probatione.

55 Ob. 2do. Concilium Hispalense II. an. 613. Cap. 5. quod sub nomine Concilii Toletani refertur Dist. 23. Cap. *Quorumdam.* Clericos, quorum unus ad Presbyteratûs, duo alii autem ad Levitarum Ordines promoti fuerant manum super eos imponente Episcopo, simplici verò Sacerdote benedictionem dante, seu orationem, in qua forma Ordinationis posita est, pronuntiante, quam Episcopus præ oculorum dolore legere non poterat; perversè ordinatos, atque ideò ab ordine removendos judicat. Atqui ab Ordine removeri non poterant, nisi priùs eum recepissent. Ergo &c.

Resp. neg. min. Nam deponendi ministri dicuntur & removendi, non quidem ab Ordinatione, quam verè & validè non susceperant, sed ab exercitio & ministerio illius, quod injustè sibi arrogabant.

Ob. 3tio. Populus in primitivâ Ecclesia jus habuit suffragii in Ordinatione Ministrorum, ex cap. 6. Act. Apost. & ex S. Cypriano Epist. 33. & 68. Ergo jus Ordinationis ad solos Episcopos non pertinet. 56

Resp. neg. cons. Nam aliud est habere jus & suffragium eligendi, & aliud habere jus ordinandi. Potuit aliquando Ecclesia concedere jus suffragii in deligendo Pastore, sicut videmus etiamnum jus nominandi ad Beneficia interdum concedi Laicis; at jus Ordinationis, quod fundatur in Ordine ac charactere Episcopali, Laicis concedi non potest.

Ob 4to. Presbyteri in Ordinatione Sacerdotum simul cum Episcopo manus imponunt, ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 3. & ex hodierna praxi, quod indicat Apostolus 1. Tim. 4. vers. 14. Ergo saltem cum Episcopo Presbyteri sunt comministri Ordinis Sacerdotalis. 57

Resp. neg. cons. Nam manuum impositio illa, quam simplices Presbyteri adhibent in ordinatione Presbyterorum non est Sacramentalis, sed cæremonialis duntaxat, ad fraternitatem & consensionem, societatemque, quam cum Presbyteris de novo consecratis ineunt, demonstrandam: cui ritui apud Græcos respondet salutatio, quam Presbyteri Presbyteris, Diaconi Diaconis de novo consecratis exhibent. Eam porro manuum impositionem

Sacramentalem non esse, vel indè patet, quòd Presbyteri manus imponentes nulla verba proferant. Cœterùm jam suprà observavimus nomen *Presbyterii* ab Apostolo usurpari pro cœtu seu consessu Episcoporum.

58 Ob. 5to. Aaron fuit ordinatus Sacerdos à Moyse, qui tamen non videtur fuisse Sacerdos, cùm Sacerdotium ad solum Aaronem ejusque filios pertineret. Ergo &c.

Resp. neg. ant. S. Leo quippe epist. 88. ex illo textu Psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*, probat Moysen fuisse etiam Sacerdotem.

59 Ob. 6to. Qui potest majus potest & minus. Atqui simplex Sacerdos potest Eucharistiam consecrare, quod sanè quid longè majus est ac præstantius quam Ordines conferre. Ergo.

Resp. 1mo. Istud & similia argumenta non habent locum in iis rebus, quæ pendent ex libera Christi voluntate & institutione.

Resp. 2do. Eum, qui potest majus, posse & minus ejusdem generis subordinatum & naturale, trans. In rebus diversi generis non subordinatis, & à sola concedentis voluntate pendentibus, quales sunt Eucharistiæ consecratio & Ordinis Collatio, neg.

60 Ob. 7mo. Eugenius IV. in suo Decreto pro Armenis docet Ordinarium Ministrum Sacramenti Ordinis esse Episcopum. Ergo censet Presbyterum esse ejus Ministrum extraordinarium.

Resp. Dist. conf. Esse Ministrum extraordinarium respectu Subdiaconatûs, & inferiorum Ordinum, conc. Respectu superiorum, neg. conf. Alioquin si verba Eugeni IV. essent universaliter accipienda, ex iis concludere liceret, simplicem Sacerdotem posse consecrare Episcopum.

61 Ob. 8vo. Innocentius VIII. an. 1489. Abbati Cisterciensi facultatem dedit suis Monachis conferendi Diaconatum & Subdiaconatum. Ergo &c.

Resp. Non pauci Theologi contendunt fictum ac suppostitium esse hujusmodi privilegium. Et verò multa sunt, quibus suspecta meritò redditur fides ac veritas prætensæ hujus Innocentii VIII. Bullæ. Nam 1mo. Non extat in Bullario Romæ edito, nec ullum illius authenticum exemplar profertur. 2do. In prima hujus Bullæ parte, seu supplicatione Abbatis Cisterciensis, hoc unum ipse postulat, ut sibi renovetur privilegium Monachis suis conferendi Tonsuram, & minores Ordines; in posteriori parte verò plus concedit Innocentius, quàm rogatus fuerat, nempe facultatem promovendi ejusmodi Monachos ad Subdiaconatum & Diaconatum. 3tio. Victoria in Summa num. 235. scribit se vidisse Bullam, qua conceditur Abbati Cisterciensi facultas conferendi Subdiaconatum; sed in ea nihil deprehendit pro Diaconatu, pro quo tamen ait aliquos affirmare iisdem Abbatibus concessum esse privilegium, quod Navarro lib. 5. Consil. consil. 13. videtur planè exorbitans. 4to. Concilium Tridentinum Sess. 23. de reform. cap. 10. prohibet ne Abbates aliis, quàm suis Tonsuram & Minores conferant; privilegium igitur Innocentii VIII. aut ignoravit, aut revocavit. 5to. Sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini interpres declaravit an. 1592. eam in hocce privilegio, si quod est, fuisse Innocentii VIII. mentem duntaxat, ut Abbates Cistercienses cuilibet Antistiti Catholico ritè promoto facultatem dare possent ordinandi Monachos ipsis subditos, absque Ordinarii consensu. Et ita ferunt Clementem VIII. fuisse interpretatum dictum privilegium in Bulla Gisterciensibus data; nec nostra aut patrum nostrorum ætate & memoria Abbates Cistercienses aliter usi sunt hujusmodi privilegiô. Vel ex his patet, ex hoc monumento, utpote valdè incerto,

certo, ne dicam prorsùs fictitio, nihil fixum ac certum colligi posse.

62 Ob. 9no. Non pauci tùm Veteres, tùm Recentiores Scholæ Magistri ac Canonistæ, quos appellat Morinus, de Ordinat. part. 3. Exercitatione 4. c. 3. docent esse penes S. Pontificem delegare simplicem Sacerdoté seu Presbyterum non tantùm ut Diaconos & Subdiaconos, sed etiam Sacerdotes possit ordinare. Ergo.

Resp. Salvâ, quæ his Theologis debetur, reverentiâ, potior habenda est ratio Scripturæ sacræ, & Ecclesiæ Traditionis, qua exploratum habemus, Ordinationem sacram ita pendere à dignitate & charactere Episcopali, ut cuicumque non Episcopo committi ac delegari haud possit potestas conferendi Sacros Hierarchicos & superiores Ordines: neque in iis, quæ facti sunt, & à libera Christi instituentis voluntate pendent, ratiociniis & conjecturis indulgendum, sed potiùs iis inhærendum, quæ SS. Pontifices, Concilia, Patres ex Scriptura & Traditione statuerunt.

63 Ob. 10mo. Plura suppetunt exempla Presbyterorum & Episcoporum, quos simplices Presbyteri seu Sacerdotes ordinârunt. Sic Paphnutius Abbas Danielem discipulum ordinavit primò Diaconum, deinde Presbyterum, ex Cassiano collat. 4. c. 1. Turonenses, ejectô sanctô Brieciô, seu Brixiniô, Episcopum sibi præfixerunt Justinianum, ex S. Gregorio Turonensi lib. 10. Hist. c. 31. In persecutione Imperatoris Valentis Ariani, qui Episcopos Orthodoxos è sedibus deturbabat, & in exilium amandabat, Clerici in Ecclesiis viduatis Ministros constituebant, ex Theodoreto lib. 4. Hist. c. 12. Ergo.

Resp. Dist. ant. Simplices Presbyteri ordinârunt accedente manûs Episcopi impositione, conc. Secùs, neg. ant. Itaque Paphnutius, Clerus Turonicus, & alii ordinârunt, constitueruntque Ecclesiæ Ministros, quomodò nunc Principes, qui jus habent nominandi ad Episcopatus, dicuntur instituere Episcopos, & quicumque jure gaudent præsentandi ad Ecclesias Parochiales, constituere Pastores; quatenùs scilicet eligunt vel nominant ad munia Ecclesiastica, quæ tamen sic electi ac præsentati obire nequeunt, quin priùs ab Episcopo consecrentur. Quod autem Veteres, qui nobis objiciuntur, non alio sensu scripserint, patet ex Concilio Arausicano eorum ætate celebrato, annô scilicet 441. Sic enim habet Can. 3. *Si quis Episcopus per infirmitatem & debilitatem aliquam, aut in hebetudinem sensûs inciderit, aut oris officium amiserit, ea, quæ nonnisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, & quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat.* Constans ergo tunc erat Traditio, Ministros Ecclesiæ non posse consecrari, nisi per Episcopum; aliàs quid necesse fuisset, ut Episcopus infirmitate detentus alium Episcopum evocaret?

Neque dicas, tempore persecutionis, quæ sub Valente contigit, non licuisse Episcopos evocare, utpotè qui exules agerent in remotissimis terris. Nam sancti illi exules tuendæ Religionis studiô sæpè mutato habitu provincias Pastoribus viduatos peragrabant, teste ipso Theodoretô, qui locô cit. de Eusebio Samosatensi sic narrat: *Cùm multas Ecclesias Pastoribus esse privatas comperiret, militarem habitum sumens, & tiarâ capiti impositâ, Syriam, Phœnicem, ac Palestinam, peragravit Presbyteros ordinans, ac Diaconos, aliosque Ordines Ecclesiæ supplens.*

Quæ hîc adhuc objici possent exempla & Historiæ vel sunt fictitiæ, & ab Hæreticis veteribus confictæ, vel dilutæ manent ex dictis.

§. III.

64 ***De Subjecto Ordinationis*, *seu de illo, qui capax est percipiendæ Ordinationis.***

Quoad Subjectum Ordinationis varia inquirunt Theologi, quæ nos eâ, qua valemus, brevitate expendimus.

1mo. Solus homo viator isque baptizatus capax est Ordinationis recipiendæ. Nam solis hominibus, iisque viatoribus dictum est Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* De solis pariter hominibus Apostolus Heb. 5. vers. 1. dixit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sarificia pro peccatis; qui condolere possit iis, qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Quæ Apostoli ratio Angelos à ministerio Ecclesiastico excludit, cùm ipsi nec ignorantiæ nec errori & infirmitati sint obnoxii.

Item Adultus, nisi baptizatus fuerit, omninò incapax est Ordinationis: Sacramentum quippè Baptismi est fundamentum totius vitæ spiritualis, omniumque Sacramentorum janua. Perpetua hæc fuit Ecclesiæ praxis & Traditio: quapropter Can. 9. Concilii Generalis Nicæni I. statuitur, Paulinianistas, qui Baptismi formam adulterabant, rebaptizandos esse, & eos, qui ab illis Clero cooptati fuerant, reordinandos esse. Tempore Innocentii Papæ III. consultus hic Pontifex de quodam, qui cùm baptizatus non fuisset, nihilominus Sacerdotii gradum obtinuerat, eum denuò ordinandum esse decernit Cap. *Veniens.* De Presbytero non baptizato. *Quia* inquit, *non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum. &c.*

2do. Verisimilius videtur, prorsùs nullam & invalidam fore Ordinationem, quæ infantibus ante rationis usum daretur. Ratio est 1mo. Quia nec in Scripturis nec in toto Traditionis Ecclesiasticæ decursu ullum occurrit talis Ordinationis exemplum. 2do. Quia ad quodlibet Sacramentum percipiendum necessaria est propria suscipientis voluntas seu intentio, si sit adultus; vel aliena & interpretativa, Ecclesiæ nimirùm, si sit parvulus. Atqui neutra hîc locum habet intentio. Non privata seu propria, ut per se patet; nec publica seu Ecclesiæ, quæ potiùs contradicit & reluctatur; quotquot enim extant Ecclesiæ Canones, extant autem benè multi, in Ordinandis requirunt, ætatem, scientiam, probitatem, consensûm, & alia hujusmodi, atque illos qui his carent dotibus à Sacra Ordinatione excludunt, quales sunt infantes ante rationis usum, & amentes. Neque par hîc est ratio Baptismi, qui confertur infantibus ex publica Ecclesiæ fide & intentione; id quippe exigit summa hujus Sacramenti necessitas: talis porro non est Ordinatio. 3tio. Vel ipsa institutio & natura Ordinis obstare videtur: certas etenim functiones exigit quilibet Ordo, quarum prorsùs incapaces sunt infantes & amentes; imò & Ordinationi sacræ seu Ordinibus majoribus annexa est lex continentiæ, ad quam se obligari non credet, qui nesciens ordinaretur: quanta indè in disciplina confusio? quanta perturbatio? 65

Nec obest Cap. unic. *De Clerico per saltum promoto.* Ubi Innocentius III. Ordines inferiores *ante discretionis annos* susceptos iterari non præcipit, adeoque censuisse videtur minores Ordines infanti datos valuisse. Nam 1mo. non constat, an per illa verba, *ante discretionis annos*, intellexerit S. Pontifex parvulos destitutos omni rationis usu, 66

usu, vel solummodò eos, qui nondum illam ætatem assecuti sunt, in qua perspecta & perfecta est discretio. 2do. Idcircò fortè non jussit iterari collatos inferiores Ordines, quòd existimaret illos non esse Sacramenta, sed tantùm cæremonias aliquas ab Ecclesia institutas, quæ omninò non præexiguntur ad superiores Ordines. 3tio. Ratiocinium istud est merè negativum, ex quo sane non licet concludere aliquid, quod videtur planè adversari praxi antiquæ Ecclesiæ, quæ nunquam ordinavit, nisi adulta jam ætate & rationis tempus ac usum assecutos.

Igitur pueris ante rationis usum non videtur validè conferri etiam quilibet minor Ordo; & quamvis Jure novo nulla sit determinata ætas pro minoribus Ordinibus, de quibus Patres Concilii Tridentini hæc solummodò statuunt Sess. 23. cap. 11. de reform. *Minores Ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligant, ... conferantur.* Alia tamen ratio ineunda est de Majoribus, utpotè de quibus eâdem Sess. c. 12. sic pronuntiant: *Nullus in posterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.* Ex usu autem recepto sufficit, ut anni in hoc Decreto præfixi sint incepti seu inchoati. Et qui ante præscriptum tempus mala fide fuerint ordinati, non possunt, superveniente etiam ætate, legitimè exercere functiones Ordinum præmaturè susceptorum; quia vi Bullæ Pii II. *Cùm ex sacrorum*, ipso facto sunt suspensi; & si, durante suspensione, aliquod suorum Ordinum ministerium obeant, irregularitatem statim subeunt. Quod si verò quis bona fide existimaverit, se legitimam ætatem habere, is absque peccato Ordinem suscipit, ac proinde suspensionis pœnam non incurrit. Ita communiter Theologi.

Neque etiam quis licitè potest ordinari per saltum, id est, suscipere superiorem Ordinem, prætermisso inferiore, licèt validè id possit, excepto Episcopatu. 67

Quod licitè id fieri non possit habetur ex Alexandro II. Cap. *Sollicitudo* dist. 52. ubi de Clerico, qui Subdiaconatûs Ordine postposito, Diaconus & Presbyter fuerat ordinatus, sic decernit: *Mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximò Quatuor Temporum jejuniò Subdiaconatûs ministerium sibi rectè imponas, & sic deinceps ad majora officia eum redire concedas.* Innocentius III. quoque Cap. *Tuæ litteræ*, lib. 5. tit. 29. de Clerico per saltum promoto: *Mandamus*, inquit, *quatenùs condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem, qua peracta, ipsum in Diaconum ordinare procures, & sic de misericordia ministrare permittas in Ordine Sacerdotii.* Et Concilium Tridentinum Sess. 23. de reform. cap. 14. decernit quòd *cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.*

Ex his colligitur communiter à Theologis 1mo. Eum, qui per saltum ordinatus est, esse ipso jure suspensum, saltem ab executione superioris Ordinis per saltum suscepti; aliàs dispensatione opus non haberet. Quòd autem suspensio illa non extendatur ad inferiores Ordines legitimè susceptos, sat clarè innuit Alexander II. cit. cap. *Sollicitudo*, ubi promotum per saltum 68

vult

vult ſolùm prohiberi ab Officio Ordinis malè ſuſcepti. 2do. Sic promotum non poſſe ſuſcipere Ordinem poſthabitum ſeu prætermiſſum, niſi priùs ſecum diſpenſetur. 3tio. Sic ordinatum irregularem fieri, ſi miniſtret in Ordine per ſaltum ſuſcepto. 4to. Epiſcopum ex legitima cauſa poſſe ſic ordinatum abſolvere à ſuſpenſione, & Ordinem prætermiſſum ei conferre, niſi in ſuperiori Ordine per ſaltum obtento miniſtraverit; quia, ut mox dictum, per uſurpatum ejusmodi miniſterium in irregularitatem incidit: irregularis autem ſuis Ordinibus non reſtituitur niſi per ſummum Pontificem. Jure novo tamen Concilii Tridentini Seſſ. 24. cap. 6. de reform. Epiſcopi abſolvere poſſunt ab irregularitate occulta.

69 Quòd autem nihilominùs validè quis ordinetur per ſaltum, habetur ex laudatis Capitibus *Sollicitudo*, & *Tuæ Litteræ*, ubi expreſsè habetur ſolum Ordinem prætermiſſum eſſe conferendum, nec iterandum illicitè ſuſceptum; ſed poſt peractam pœnitentiam concedi poſſe, ut malè promotus in eo miniſtret. Et ratio eſt, quia Sacerdotium eminenter continet Diaconatum, & hic Subdiaconatum; qui enim jus habet conficiendi Euchariſtiam, procul dubio poteſt præparare neceſſaria ad eam ritè conficiendam.

Diximus: *Excepto Epiſcopatu*; quia Epiſcopatus præcisè ſumptus non includit poteſtatem conficiendi Euchariſtiam; ſed eamità neceſſariò ſupponit, ut, juxta Veteres Theologos, character Epiſcopalis ſit ſolummodò extenſio characteris Sacerdotalis. Undè non poteſt quis conſecrari Epiſcopus, niſi ſit Presbyter, prout infrà dicemus.

Ut Ordines ritè ac licitè ſuſcipiantur 70
interſtitia ab Eccleſia præſcripta etiam ſervare oportet, id eſt, plures Ordines ſimul ſuſcipi non debent ſine diſpenſatione. Ita ſanxerunt Siricius Papa I. Epiſt. 1. ad Himerium cap. 9. & refertur Can. *Quicunque*, Diſt. 77. Innocentius I. epiſt. 4. ad Felicem Epiſcopum cap. 5. Zoſimus Epiſt. 1. ad Heſychium, cap. 2. & refertur Can. *In ſingulis*. diſt. 77. S. Leo epiſt. 1. aliàs 87. ad Epiſcopos Africæ. Gelaſius I. epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, cap. 3. Hicque interſtitiorum uſus ab Apoſtolorum tempore ſemper & ubique ſervatus fuit, exceptis quibusdam caſibus extraordinariis, quibus inſignes viri doctrinâ & ſanctitate conſpicui, ùt S. Ambroſius, S. Paulinus, S. Auguſtinus, per vim rapti ad Sacerdotium, ſingulos Ordinum gradus, nullâ aut brevi interjectâ morâ decurrerunt.

Jure antiquo longiora ſervabantur 71
interſtitia. Sic enim Concilium Oecumenicum VIII. ſub Adriano Papa II. annô 869. celebratum de iis ſtatuit, Can. 5. *Ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, Diaconi tres, Sacerdotis quatuor annos expleat*, priusquam ſcilicet ad Epiſcopatum promoveatur. At modò Jure novo Concilii Tridentini de hac veteri diſciplina multùm remiſſum eſt: Sic enim Seſſ. 23. cap. 11. de reform. ſtatuit: *Minores Ordines per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur.* Et nonnullis interjectis, de Clericis inferioribus ſic pergit: *Hi verò* (Clerici inferiores) *nonniſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradûs minorum Ordinum, ad ſacros Ordines promoveantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judiciô Epiſcopi aliud expoſcat.* De Subdiaco-

diaconis etiam sic decernit cap. 13. *Promoti ad sacrum Subdiaconatûs Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Ac tandem de Diaconis Cap. 14. *Non modò*, inquit, *in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint; &c.*

Ubi vides Episcopo proprio scilicet (alienus enim non habet jurisdictionem in Clericum ad se dimissum) plenam facultatem concedi a lege interstitiorum dispensandi, ex his scilicet causis: cùm id exposcunt necessitas & utilitas Ecclesiæ, nempè vel cùm deficiunt Ministri, nec possunt suppleri per jam Ordinatos Ecclesiæ onera, tam in Missarum celebratione, quàm in aliis ministeriis obeundis; vel cùm pauci sunt Ministri Ecclesiastici idonei, vel cùm aliquis in inferioribus Ordinibus constitutus ad curam animarum gerendam vocatur, aut ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem, cui altior Ordo annexus est. Item hujusmodi dispensatio concedi posse videtur favore studii in aliqua Universitate, vel ob ætatem provectam ordinandi cum eximia virtute conjunctam.

72 Superiores Regulares non possunt suos Religiosos ab illa interstitiorum lege dispensare, hoc enim solis Episcopis reservat Synodus Tridentina. Possunt illi quidem supplicare Episcopum, ut dispenset habita ratione necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ suæ, Monasterii, vel Ordinis; quæ quidem supplicatio dimissoriis litteris est inserenda. Ita expressè declaravit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpres.

Instituta verò fuère illa interstitia, 73
tùm ut qui Ordine aliquo initiatus est, ipsius dignitatem, officia, pondus cognoscat frequenti istius Ordinis functionum exercitiô: tùm & animum Ecclesiasticum altiùs imbibat, & ad Ecclesiæ regulas & mores se componat: tùm denique ut longo virtutum usu probetur. Hinc Episcopi Religiosis, ut qui pro instituti sui ratione in hæc omnia animum continuô studiô intendunt, faciliùs interstitiorum moras relaxare solent, quàm Clericis sæcularibus; atque in hoc Gelasii I. exemplum sequuntur, qui interstitia inter singulos Ordines Monachis breviora imposuit, *quin*, inquit, *quod annorum interstitia erant collatura, sancti propositi spontè suscepta docetur præstitisse devotio.*

Licèt Minores Ordines unà cum Subdiaconatu proprius Episcopus ex legitima causa simul & una die conferre possit; cùm nulla lege id ipsi prohibitum sit, quin Concilium Tridentinum cit. cap. 13. videtur relinquere arbitrio Episcopi omnes Minores simul cum Subdiaconatu conferre, modò Ecclesiæ utilitas aut necessitas id postulaverit; tamen solus Pontifex Romanus concedere potest, ut duo Majores Ordines, Diaconatus scilicet & Presbyteratus, una die conferantur. Ita Innocentius III. cap. *Litteras.* tit. *De tempore Ordin.* ubi à collatione Ordinum suspendit Episcopum, qui eodem die contulerat Diaconatum & Presbyteratum, & Ordinatum ab executione officii Sacerdotalis duntaxat. Ita etiam decernit Concilium Tridentinum cit. c. 13. ubi cùm videtur relinquere arbitrio Episcopi omnes Minores Ordines simul cum Subdiaconatu conferre Duos Majores excipit his verbis: *Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, privilegiis, ac indultis qui-*

buſvis conceſſis, non obſtantibus quibuſcumque.

Quoad pœnam, quam incurrunt, qui non ſervatis interſtitiis absque diſpenſatione ordinantur, quamvis Sixtus V. per Bullam *Sanctum & ſalutare* eos ſuſpenſos declarârit, tamen Clemens VIII. ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Summum Pontificem*, Bullam Sixti V. ad terminos Concilii Tridentini revocavit, quod nullam pœnam actu decernit, ſed Epiſcopo decernendam relinquit.

74 Præterea ut quis ad Subdiaconatum promoveri poſſit, neceſſarius eſt titulus Clericalis. (*d*) Ita fert antiqua Eccleſiæ lex, à ſummis Pontificibus & Conciliis ſtabilita: ut patet ex Concilio Arelatenſi I. an. 314. Can. 2. Ex Concilio Chalcedonenſi an. 451. Can. 6. Ex S. Leone Papa I. ep. 86. Ex S. Gregorio magno lib. 3. ep. 42. Ex Concilio Francofordienſi an. 794. Can. 27. & 28. Ex Capitularibus Caroli Magni lib. 5. c. 108. Ex Concilio Claremontano an. 1095.

Duplex modò diſtingui ſolet titulus Clericalis, *Eccleſiaſticus* ſcilicet, & *patrimonialis*. Prior eſt jus fruendi bonis Eccleſiæ, quod nunc acquiritur per Beneficium pacificè poſſeſſum, vel per penſionem Clericalem; cùm antiquitùs ipſamet Ordinatio eſſet titulus Eccleſiaſticus, quatenùs nempe Clericum certæ Eccleſiæ ita mancipabat, ut ab ejus miniſterio absque conſenſu Epiſcopi recedere non liceret; ideoque Ordinatio jus ipſi tribuebat ex bonis ejuſdem Eccleſiæ accipiendi alimenta & cætera vitæ neceſſaria, quemadmodùm ratione ſolemnis profeſſionis, qua Regulares addicuntur certo Ordini, Profeſſi ſuſtentari debent è bonis Monaſterii: *Cùm enim ſecundùm Apoſtolum*, inquit Innocentius III. Cap. *Cùm ſecundùm.* tit. de Præbendis & dignitatibus. *qui Altari ſervit, vivere debeat de altari, & qui ad onus dirigitur, repelli non debeat à mercede*; *patet à ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio JEſu Chriſti, cujus obſequio deputantur*, adde & Regulares de bonis Monaſterii, quæ cùm recenſeantur inter bona Eccleſiæ, profeſſio eorum reputatur titulus Eccleſiaſticus.

Equidem præter hunc titulum Cle- 75
ricalem nullum alium agnovit antiquitas, atque de eo ſolo loquuntur ſummi Pontifices & Concilia, de quibus primùm mentionem fecimus. Primùm Sæculô duodecimô circa Caput iſtud cœpit mutari Eccleſiæ diſciplina, in Concilio ſcilicet Lateranenſi Generali III. ſub Alexandro III. annô 1179. Ubi Can. 5. titulus patrimonialis cœpit ex diſpenſatione quadam approbari. Et quod Alexander conceſſerat ex indulgentia in memorato Concilio, veluti Lex evaſit Sæculô ſequenti, cùm videlicet Gregorius IX. Canonem laudatum Synodi iſtius in Corpus Juris retulit Cap. *Epiſcopus.* tit. *de Præbendis & Dignitatibus.* Et exinde promoti ſunt Clerici ad titulum vel Eccleſiaſticum vel patrimonialem; idque etiam innuit & expreſſit Concilium Tridentinum Seſſ. 21. c. 2. de reform. ubi pariter exigit in Ordinandis vel titulum Beneficii Eccleſiaſtici quod ad victum ipſis honeſtè ſufficiat, vel patrimonium aut penſionem, *quia non decet*, inquit, *eos, qui divino Miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum quæſtum exercere.*

Igitur Titulus patrimonialis eſt jus percipiendi fructus ex aliis, quàm Eccleſiæ bonis, quæ obveniunt vel gratuita do-

(*d*) *Tituli* nomen generatim ſumitur hic pro jure ad legitime poſſidendum, v. g. agrum; & ſpeciatim verò pro collatione ſeu proviſione Beneficii; quia virtute emptionis agri, & proviſionis Beneficii, emptor legitimè poſſidet agrum, & Clericus Beneficium.

donatione, vel hæreditaria fucceffione.

Ita verò neceffarius eft Titulus ad Ordines fufcipiendos, ut qui eó conficto Ordinantem decepiffet, ipfo jure ab Ordinum executione fufpenfus effet: hanc enim poenam Can. *Neminem*, & Can. *Sanctorum* ftatutam innovavit Concilium Tridentinum, & poft illud Urbanus VIII. an. 1624. Conftitutione, quæ incipit, *Secretis æternæ providentiæ.*

77 Tria hîc adhuc circa Subjectum Ordinationis explicamus, 1mo. an valida fit Ordinatio homini planè & omninò invito data. 2do. An valeat etiam Ordinatio percepta ab Hæreticis, Schifmaticis, improbis, indoctis & indignis. 3tio. Denique an mulieres Ordinationis fint capaces: Reliqua quæ de Subjecto Ordinum adhuc differere folent Theologi, in tertia hujus Tractatus parte, ubi de Difpofitionibus ad Ordines requifitis agemus, difcuffuri.

78 Quantùm ad 1mum. dicendum, nullam & irritam fore Ordinationem, quæ invito, reluctanti, nec ullo modo confentienti conferretur. Patet id ex refponfo Innocentii III. Cap. *Majores.* ubi eorum fententia dicitur refellenda, *qui dicunt, quòd Sacramenta, quæ per fe fortiuntur effectum, ut Baptifmus & Ordo, cæteraque fimilia, non folùm dormientibus & amentibus, fed invitis & contradicentibus, etfi non quantùm ad rem, quantùm tamen ad characterem conferantur.* Tùm etiam de Baptifmo (quod & valet de Ordine) expreffè afferit: *Quòd ille, qui nunquam confentit, fed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem fufcipiat Sacramenti; quia plus eft exprefsè contradicere, quàm minimè confentire.* Et verò in Tract. de Sacr. in gen. probavimus, in adulto Sacramentum fufcipiente requiri intentionem, feu voluntatem illud percipiendi.

Nec obfunt multorum Sanctorum exempla, qui inviti ac reluctantes ad facros Ordines affumpti, feu potiùs rapti fuiffe videntur. Namque non fimpliciter & abfolutè inviti femper ac reluctantes illi fuêre, fed ex modeftia, humilitate, timore ac reverentia facri minifterii, propriæ infirmitatis confcii Ordinationem refugiebant, cui tandem ex obedientia fe fubjiciebant. *Multi*, ait S. Auguftinus Epift. ad Donatum 173. aliàs 204. *ut Epifcopatum fufcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuftodiuntur, patiunturque quæ nolunt, donec adfit eis voluntas fufcipiendi operis boni.* Noverant illi æqualis periculi effe munus Sacerdotale ufurpare, Deo non vocante, ac illud Deo vocante, detrectare.

Quantùm ad 2dum. Wicleffus & Joannes Hufs, qui folos prædeftinatos Sacramentorum capaces effe contendebant, negarunt validam & ratam fore Ordinationem Hæreticis, improbis, &c. datam. E contra Catholici illicitam quidem, utpote facrilegam, & per fe malam, fed ratam & validam agnofcunt, quoad fubftantiam & characterem, Ordinationem ab hæreticis & fceleratis five datam, five acceptam. Prob. ex antiqua Ecclefiæ praxi, quæ permifit, ut redeuntes ab hærefi, in qua Ordines fufceperant, in eo gradu manerent, quem adepti fuerant, absque nova Ordinatione: qua indulgentia ufa fuit erga Novatianos in Concilio Generali Nicæno I. Can. 8. Erga Donatiftas in Concilio Africano Can. 35. qua ufus etiam fuit Innocentius I. erga cæteros hæreticos. Ratio eft, quia, prout ubi de Sacr. in gen. oftenfum, vis & efficacia Sacramentorum à Chrifto pendet, non ex privatis five miniftri five fubjecti recipientis meritis, proinde ficut impro- 79

bitas Ministri non impedit, quin Sacramentum ritè collatum characterem imprimat, ita nec improbitas subjecti recipientis Sacramentum. Undè cùm in antiquis Canonibus legitur ejusmodi Sacramenta nulla & irrita esse, intelligendum est, quantùm ad licitum usum & exercitium functionum Ordinis duntaxat, non verò quantùm ad substantiam ipsam Sacramenti.

80 Quantum ad 3tium. Apud Ethnicos Mulieres aliquas Sacerdotio insignitas fuisse tradunt passim Scriptores Ethnici Græci & Latini. Apud nonnullos veteres Hæreticos errorem hunc etiam pervasisse testantur Scriptores Ecclesiastici, S. Irenæus lib. 1. adversus hæreses c. 9. apud Gnosticos mulieres sacrificasse commemorat. Tertullianus lib. de præscrip. c. 41. de mulieribus hæreticis, *Ipsæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* S. Epiphanius hæresi 49. & post ipsum S. Augustinus lib. de hæresibus c. 27. ajunt, eundem morem observatum ab hæreticis (*e*) Quintillianis, Pepuzianis, Priscillianis, Artotyritis, ac Cataphrygis. *Apud illos hæreticos mulieres non tantùm in Diaconissas ordinabantur, sed Episcopi erant, & Presbyteri*, ait S. Epiphanius num. 2. *ita ut nullum sexûs discrimen servarent.* Narrat idem S. Doctor hæres. 79. apud Collyridianos (*f*) mulieres uno anni die solemni & illustri Sacrificium beatæ Virgini Mariæ offerre solitas fuisse.

Veterem hunc errorem renovasse videntur Novatores nostri, dum Christianos omnes cujuscumque conditionis & sexus, Sacerdotes à Deo sanctificatos esse docent, nullumque aliud admittunt Sacrificium, quàm gratiarum actionis, precationum ac laudum, quod ab omnibus potest & debet offerri.

Verùm constans est Catholicorum sententia Mulieres Ordinationis sacræ incapaces esse. Idque prob. 1mo. ex Scripturis. 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres*, inquit Apostolus, *in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et 1. Tim. 2. v. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.*

Perpetua hæc fuit Ecclesiæ fides ac Traditio. *Ex quo mundus creatus est*, ait S. Epiphanius hæresi 79. n. 2. & 3. *apud veræ Religionis cultores nulla unquam mulier Sacerdotiô functa est, sed soli viri ad hoc munus assumpti sunt.* Addit ibidem, quòd si cuidam mulieri munus illud ac privilegium concedi potuisset, procul dubio B. Virgini Dei genitrici, cui tamen concessum non fuit.

Ratio

(*e*) Variis his nominibus eosdem hæreticos designare voluit S. Epiphanius, qui à Montano Sectæ parente Montanistæ; à Priscilla & Quintilla mulieribus pseudoprophetissis, quas sibi socias adsciverat Montanus, Quintilliani & Priscilliani; à vico Pepuzæ, ubi conventus suos habebant, Pepuziani; à Phrygia, ubi errores suos potissimùm diffundebant, Cataphryges; à nefando tandem, quod celebrabant, Sacrificio, ex pane & caseo, Artotyritæ dicti fuerunt.

(*f*) Collyridiani Sæculi IV. hæretici circa an. 373. porti à quibusdam in Arabia & Scythia mulieribus. Superstitioso cultu B. V. Mariam prosequebantur, atque inter alia in ejus honorem speciales quasdam placentas, quæ *collyridæ* nuncupabantur, coquebant & offerebant; undè ipsi Collyridiani dicti fuerunt.

Ratio etiam est 1mo. Quia vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ. 2do. Quia non mulier viro sed vir mulieri dominari debet, mulier enim propter virum, non propter mulierem vir est, & ex viro mulier, non ex muliere vir, mulier à serpente seducta fuit, non vir. 3to. Quia turpe est, ait Apostolus, mulieri in Ecclesia loqui; nam est tùm contra legem à Christo latam, tùm contra ipsam sexûs muliebris conditionem ac naturam: nativo siquidem pudore mulieres à docendi munere removentur; habet enim munus istud certum dominii genus, quod muliebri verecundiæ ac subjectioni aptè non congruit.

81 Quantùm verò ad significationem nominum istorum, *Episcopæ*, *Presbyteræ*, *Diaconissæ*, quæ in veteribus Ecclesiasticis monumentis leguntur, sciendum sic dictas fuisse mulieres illas, non quòd Clero dedissent nomen, sed quòd earum mariti ad Episcopatum, ad Presbyteratum, aut Diaconatum promoti fuissent, id constat multis Conciliorum Canonibus, ut Can. 12. Concilii Turonensis II. an. 567. Can. 21. Concilii Antisiodorensis, an. 578. Cap. 1. & 2. Concilii Romani sub Gregorio II. an. 721. cap. 13. Aurelianensis an. 511. Can. 32. Epaonensis, an. 517. &c. &c. Diaconissarum verò inauguratio, quæ tum in Euchologiis Græcorum, tùm in veteribus Latinorum Pontificalibus describitur, non aliud fuit, quàm commissio officiorum quorumdam spiritualium erga mulieres, quas Diaconissæ privatim docebant; vel denudabant Baptismi solemnis tempore, & post Baptismum vestiebant &c. Equidem certo ritu per impositionem manuum Diaconissæ instituebantur, qui merè cæremonialis erat & Ecclesiasticæ institutionis, non Sacramentalis & ex divina institutione.

CAPUT VI. 82

De effectibus Sacramenti Ordinis.

Duplicem Theologi Catholici statuunt Sacramenti Ordinis effectum, *gratiam* scilicet sanctificantem cum speciali jure ad auxilia proportionata officiis cuilibet Ordini annexis; & *characterem*, qui, ut diximus Tract. de Sacram. in gen. cap. 4. §. 2. est *signum aliquod spirituale animæ impressum & indelebile, quo fit ut iterari non possit Sacramentum, per quod imprimitur.* De his duobus Sacramenti Ordinis effectibus sit

CONCLUSIO. 83

Sacramentum Ordinis & gratiam sanctificantem confert accipientibus debitè præparatis, & characterem imprimit indelebilem, cùm ritu legitimo confertur, undè iterari nunquam potest. 1ma. Pars iisdem argumentis quibus suprà c. 3. ostendimus Ordinem verum esse ac propriè dictum Sacramentum à Christo Domino institutum, quo gratia sanctificans confertur, demonstrativè probatur. Videri etiam possunt momenta, quæ in Tract. de Sacr. in gen. c. 4 §. 1. adduximus ad probandum, quòd Sacramenta novæ Legis gratiam conferant. 2da. Pars de charactere, quem Sacramentum Ordinis imprimere dicimus, probatur ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ in hæresi & extra Ecclesiam legitimè Ordinatos, redeuntes ad sinum suum, nusquam iterum ordinari permisit; imò sæpissimè œconomiæ ac pacis causâ cum suis gradibus & honoribus recepit. Ita egit cum Novatianis Concilium Nicænum I. generale an. 325. Can. 8. cum Messalianis Concilium Ephesinum an. 431. item cum Nestorianis, teste S. Cyrillo Alexandrino Epistolis ad Maximum & Gen-

Gennadium, & S. Gregorio Magno lib. 9. Epist. 61. Cum Pelagianis pariter actum fuisse asserit S. Leo Epist. 6. aliàs 86. Idem de Donatistis pariter testatur S. Augustinus Epist. 185. aliàs 50. Denique, ut alia multa sileamus, eâdem indulgentiâ actum fuisse cum Monothelitis colligitur ex Actione 1. VII. Synodi generalis. Probatur etiam ex Concilio Carthaginensi III. an. 397. Can. 38. ubi, *Non liceat*, inquit, *fieri rebaptizationes, & reordinationes.* Denique ex Conciliis Florentino & Tridentino, quorum textus unàcum aliis hanc in rem momentis in Tract. de Sacr. in gen. c. 4. §. 2. quæ videri possunt, adduximus.

Ratio verò & causa velut à priori hujusce Catholicæ Doctrinæ est, tùm quia vis omnis & efficacia Sacramenti ab uno Christo illius Auctore & institutore pendet, non à privata Ministri conditione: tùm quia, ut Patres Concilii Tridentini Sess. 21. c. 2. fatentur, Ecclesia nihil potest in Substantiam Sacramentorum. At si Sacramentum Ordinis ritu legitimo collatum iterare posset, tunc posset materiam à Christo Domino institutam ineptam reddere ad Sacramentum, adeoque aliquid posset in substantiam Sacramenti, utpotè ad quam pertinet materia ipsius.

84 Objiciuntur plurima Veterum facta, quæ produnt Ordinationes ab Hæreticis, Schismaticis, & Simoniacis collatas velut irritas & nullas fuisse, ac propterea reiteratas. Sic, ut refert Sigebertus Tom. 1. Hist. ad an. 761. constantinô Sedis Romanæ invasore ejectô, oculisque privatô, Stephanus IV. in Synodo ex Episcopis Italiæ & Galliæ congregata, invalidas declaravit Ordinationes à Constantino factas. Hincmarus Rhemensis iteravit Ordinationes ab Ebbone Rhemensi factas post Canonicam illius depositionem. Stephanus Papa VI. circa an. 896. irritas fecit Ordinationes omnes celebratas à Formoso, qui ab Episcopatu Portuensi ad Romanum convolarat, easque ipse iteravit, ac ab eodem Formoso consecratos Ministros iterum ipse consecravit. Urbanus II. undecimo exeunte Sæculo Daibertum à Nezelone Sedis Moguntinæ invasore Simoniaco ordinatum, iterum ordinat. Ep. ad Petrum Pistoriensem Episcopum &c. quæ refertur à Gratiano in Decreto, causâ 1. q. 7. c. 24.

Sed Respondemus breviter, èas, 85 quoad substantiam & Characterem, non fuisse veras reordinationes, quas fecisse commemorantur adducti Pontifices, quamquàm priores Ordinationes ab ipsis dicantur *nullæ, irritæ, cassæ, nullasque habere vires, & sic ordinati nihil habere, nihil accipere, &c.* Isthæc enim omnia de sola executione, ac libero usu seu exercitio & restitutione functionum suscepti Ordinis, à quibus ii, de quibus quæstio erat, Hæretici, Schismatici, Simoniaci, &c. suspensi fuerant, intelligenda sunt.

Duplex verò causa & ratio est, cur priores illæ Ordinationes factæ contra Ecclesiæ leges nullæ ac irritæ dicantur. 1ma. est, quia potestas de se nata & ordinata ad functiones sacras obeundas, nulla & irrita censetur esse, quando ligata est, suspensa, ac impedita ne in actum erumpat. Talis autem est omnium judiciô potestas Ordinationis, quæ tota in aliorum usum & commodum occupari debet. Quapropter cùm restituitur libera functionum Ordinis executio, facultas, quæ priùs ligata erat, & posteà solvitur, dicitur quasi de novo & iterum conferri. 2da ratio est, quòd, cùm alicui suspenso libera restituebatur functionum sui Ordinis executio, iidem fermè exteriores ritus ac cæremoniæ usurpabantur, qui in ipsa Ordinatione, prout videre est Can. 28. Concilii Toleta-

letani IV. an. 633. celebrati. Unde hujusmodi ritus quamdam adumbrabant Ordinationis speciem seu imaginem. Eo ferè modo, quo redeuntes ab Hæresi ad Ecclesiam, per impositionem manuum, unctionem & chrismationem recipiebantur, quæ cæremonia imago quædam erat Sacramenti Confirmationis, non verum ac propriè dictum hujus nominis Sacramentum.

86 ## CAPUT VII.

De Variis Ordinis Speciebus.

GEneratim Ordines Ecclesiastici dividuntur in Majores & sacros, ac in Minores & non sacros, non quòd hi etiam sancti non sint & sacri, suô scilicet modô, sed quòd non ita proximè accedant ad Sacram Eucharistiam.

Ecclesia Latina septem numerat, scilicet Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolytatum, qui Minores dicuntur; & Subdiaconatum, Diaconatum ac Presbyteratum, qui Majores & Sacri nuncupantur; quibus velut quædam initiandorum ad Ordines præparatio Tonsura Clericalis præmitti solet. Ita Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 2. & Can. 2.

Ecclesia Græca verò quatuor tantùm universim numerat, Lectoratum scilicet, qui Minor est, & tres Majores cum Latinis. Id constat ex eorum Euchologiis, ex Concilio VIII. generali Act. 9. Can. 5. Ex Niceta in vita S. Ignatii Episcopi Constantinopolitani, & ex Epistola Joannis VIII. ad Imperatorem Basilium an. 879. Hinc Concilium Tridentinum cit. Sess. 23. Can. 2. definivit tantùm, præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica adhuc alios Ordines, nec determinavit aut fixit, quis sit illorum Ordinum numerus, ne fortè Græcos, qui eundem nobiscum numerum non admittunt, damnare velle videretur. *Si quis dixerit*, inquit ibidem, *præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.*

Itaque sacrum istud Concilium Cap. 2. ejusdem Sess. 23. septem equidem enumerat & recenset Ordines, utrum verò sint pauciores, an plures nusquam definit, ne scilicet vel Græcos, qui tantùm quatuor, vel nonnullos Scholasticos, qui plures, quàm septem, admittunt, feriret; nempe Scholarum controversias attingere noluit: negotium illi adversus Novatores duntaxat fuit, qui varias Ordinum species & numerum in Ecclesia Catholica receptum sugillant & rejiciunt, satisque ipsi fuit Novatorum adversùs illos Ordines retundere obtrectationes. Cum eo igitur sit

CONCLUSIO. 87

Præter Sacerdotium sunt adhuc plures Ordines in Ecclesia.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, quæ Sacerdotii & Diaconatûs apertam facit mentionem, ut patet ex textibus suprà tùm ex Epistolis S. Pauli, tùm ex Actibus Apostolorum passim adductis. 2do. Ex antiqua & constanti Ecclesiæ Traditione, quam refert S. Cornelius Papa electus an. 251. Epist. ad Fabium Antiochenum, quam refert Eusebius hist. lib. 6. c. 43. (g) & in qua hæc inter alia

(g) Edit. Valesii.

alia contra Novatum Antipapam eloquitur: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica ; in qua tamen sciebat Presbyteros quidem esse quatuor & quadraginta ; septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolytos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.* Concilium Carthaginense IV. an. 398. pariter expressam mentionem facit eorundem septem Ordinum à Can. 2. usque ad 9num. Sæculô 6tô. S. Gregorius Magnus in lib. de Sacram. Sæculô 8vô. Ordo Romanus. Adducunt hîc aliqui etiam S. Ignatium Martyrem S. Joannis Apostoli & Evangelistæ Discipulum, qui primô jam Ecclesiæ Sæculô floruit, atque initiô secundi, an. videlicet 111. Martyrii laureâ donatus est: hic in Epistola ad Antiochenos, plures, atque eos ferè omnes, quos Ecclesia Latina agnoscit, commemorat Ordines. *Saluta*, inquit, *Presbyterium ... Diaconos Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, &c.* Verùm eruditi hanc epistolam inter dubias S. Ignatii scriptiones collocant; id tamen minimè officit, quin inter vetustissima Ecclesiæ monumenta reponi debeat. Sed non est, quòd hîc diutiùs in plurali Ordinum numero ex veteribus Ecclesiasticis monumentis comprobando immoremur; de iis enim singillatim dicturi sumus.

88 Priùs tamen occurrendum est objectioni, qua dicitur, quòd si plures admittantur Ordines, ruat Ecclesiastica Traditio & Doctrina de septenario Sacramentorum numero; nam sic plura erunt quàm septem.

Resp. neg. sequel. Septem enim illi Ordines sub unico genere, quod appellatur Sacramentum Ordinis, continentur; adeoque non augetur, nec crescit septenarius Sacramentorum numerus.

His ita generatim præmissis singulis paragraphis singulos Ordines, eo ordine, quo in Ecclesia conferri solent, expendimus: & quoniam Tonsura Clericalis ante eos omnes conferri soleat, ut quæ, quemadmodum suprà ex Concilio Tridentino jam animadvertimus, velut quædam ad eos præparatio sit, hinc primô locô, & antequam ad singulos Ordines descendamus, de ea paucis agere placet.

§. I.

De Tonsura Clericali. 89

Per Tonsuram Clericalem, ut diximus, Ecclesia initiandos præparat ad Ordines, estque cæremonia ab Ecclesia instituta, per quam Laicus baptizatus, & Sacramentô Confirmationis consignatus, sacro ritu in Clerum adscribitur.

Dicitur 1mo. *Cæremonia ab Ecclesia instituta*; quia Tonsura Clericalis non est institutionis divinæ; nec enim Ecclesia Græca illam observat, & in Latina nullum invenitur ejus vestigium tribus primis Sæculis; nullam quippe ejus facit mentionem S. Cornelius Epist. primùm à nobis laudata. Et S. Cyprianus eidem coætaneus epist. 61. non agnoscit alios Clericos, præter eos, qui Altari & sacrificiis deserviunt, ad quod munus non evehit Tonsura Clericalis.

Dicitur 2do. *Laicus baptizatus, & Sacramentô Confirmationis consignatus.* 1mo. Quia soli Ecclesiæ filii gaudere debent ejus honoribus. Atqui per Baptismum nascuntur Ecclesiæ filii. 2do. Quia Neophytus nondum Confirmationis signaculo munitus, dici-

dicitur à Patribus Semi-Chriſtianus, parvulus in Chriſto, qui ut adversùs perſecutores fidei decertare valeat tanquam gregarius miles, ſacro Chrismate roborandus eſt, ac perficiendus. Ergo à fortiori ut inter Duces hujus ſpiritualis militiæ adſcribatur. Ita expreſsè ſanxit Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de reform. cap. 4.

Dicitur 3tio. *Sacro ritu.* Eccleſia enim pro Clerico initiando & ordinando ſolemnes ritus præſcripſit ab Epiſcopo velut Miniſtro Ordinario peragendos; ut vel hinc Fideles intelligant, quanti facienda ſit Tonſura Clericalis. Porro ſacer illius ritus legitur in libro Pontificali, ejusque præcipua pars, & à qua nomen habet, eſt attonſio ſeu raſura capillorum in modum coronæ &c.

Dicitur 4to. *In Clerum adſcribitur.* Per illam quippe cæremoniam evehitur quis è ſtatu Laicorum ad Ordinem Eccleſiaſticum, & eo titulo gaudet honoribus & privilegiis Clericorum, prout monet Pontifex poſt completum Tonſuræ ritum his verbis: *Filii chariſſimi animadvertere debetis, quòd hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & privilegia Clericalia ſortiti eſtis.* Si nempe aut Beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur; ſecus enim eum beneficiô fori non gaudere decernit Concilium Tridentinum cit. Seſſ. 23. de reform. c. 6.

90 Ex hac Tonſuræ Clericalis deſcriptione & expoſitione patet eam non eſſe Ordinem, quidquid contrà ſentiant Canoniſtæ. Tùm quia Concilium Tridentinum memoratâ Seſſ. 23. cap. 2. varios enumerans Ordines, Tonſuram non appellat, ſed eam velut aliquid prævium ſupponit. Tùm quia Ordo quilibet poteſtatem aliquam activam ad aliquod officium confert, nullam autem hujusmodi confert Tonſura Clericalis, Clericus quippè ſolâ Tonſurâ inſignitus nullam habet in Eccleſia functionem. Equidem Innocentius III. Cap. *Cum contingat.* tit. *de ætate & qualitate præficiendorum*, eam vocat Clericatûs Ordinem, ſed hîc nomen *Ordinis* ſumit in latiori ſignificatione, nempè pro ſtatu, qui a Laico diſtinctus eſt, quemadmodùm Congregationes Monaſticæ vocantur Ordines Religioſi, prout alibi diximus: per Tonſuram quippe Clerici deputantur ad quoddam ſanctioris vitæ genus.

Quando autem & quo Eccleſiæ Sæculo 91
hæc Sacra Tonſuræ Clericalis, qua ſcilicet tonſio fit capillorum, quæ corona dicitur, eò quòd in orbem ſeu circulum ducatur, cæremonia ab Eccleſia fuerit inſtituta, dubium omninò & incertum eſt. Quæ enim hanc in rem à quibusdam proferuntur quinque priorum Eccleſiæ ſæculorum monumenta, vel fictitia ſunt, vel Clericis capillorum modeſtiam, ac proinde brevitatem duntaxat commendant, & ne comam nutriant, præcipiunt; ut Concilium Carthaginenſe IV. Sed nusquam iis injungunt, ut in ſphærulæ modum attondeantur illorum capilli.

Cur autem Eccleſia voluerit Clericos 92
Tonſuram deferre, quæ in ſphæræ modum deſineret, variæ ſunt opiniones; Venerabilis Beda cenſet id præſcriptum fuiſſe in memoriam ſpineæ coronæ, qua Chriſtus, dum in cruce penderet, redimitus eſt. Cenſent alii eſſe ſignum pœnitentiæ, antiquitùs enim Pœnitentes ſolebant tonderi. Volunt aliqui per eum ritum deſignari regiam quidem ſed ſpiritualem dignitatem, qua Clerici in Eccleſia potiuntur. Putant nonnulli eſſe cæro-

cæremoniam, qua Clericus docetur nuntium remittere ſæculari faſtui, vanis mundi delitiis & voluptatibus, nec non inanibus rerum fluxæ ac labentis naturæ curis: procul ergo illi, qui ad Tonſuram Clericalem accedunt, vel ambitione, vel amore vitæ mollioris, vel ſpe pinguis Beneficii alicujus obtinendi, ducti & excitati. Procul illi Patres-familias, qui ad ſublevandam rem ſuam domeſticam, vel augendam alicujus filii vel filiæ fortunam, vel deſiderió fruendi proventibus Eccleſiaſticis, natum Eccleſiaſtico ſtatui deſtinant priùs, quàm ejus indolem, mores, ingenium, probitatem exploraverint, ac præſertim Dei voluntatem aſſiduis precibus conſuluerint. Hinc non raró & natorum, & familiarum ruina.

93 Cæterùm hæc ſacra Tonſuræ Clericalis Cæremonia ab Eccleſia ad ſimilitudinem Novitiatûs qui in Ordinibus Regularibus & Monaſticis pro illorum Ordinum Candidatis inſtituitur, videtur introducta fuiſſe; eſt enim, quemadmodùm Novitiatus ad profeſſionem Monaſticam, quædam præparatio ad auguſtum Ordinis Sacramentum, in quo non minor perfectio ac ſanctitas requiritur, ac in vita Monaſtica. Quemadmodùm igitur Novitiatum, qui apud pleroſque Ordines Religioſos per unum annum durat, ingrediens, ſæcularem habitum, comam, & quidquid pompam mundanam redolet deponit, Religioſum habitum induit, atque toto Novitiatûs tempore piis exercitationibus aſſiduè inſtituitur, &c. Similiter Eccleſia à ſuis Novitiis exigit 1mo. ut habitum ſæcularem abjiciant. 2do. Caput attondeant. 3tio. Veſtem Clericorum propriam aſſumant, deferantque continuò cum ea, quæ decet, modeſtia. 4to. Profiteantur ſanctioris vitæ diſciplinam, &c.

§. II.

De Oſtiariis. 94

Oſtiariatus eſt Ordo, quo præficitur Clericus ad Eccleſiæ & Sacræ ejus ſupellectilis cuſtodiam, vindicandamque reverentiam domui Dei debitam.

Ipſius Materia ſunt clavium traditio & funis campanarum contactus. Forma ſunt hæc verba, quibus Pontifex, cum claves tradit Ordinandis, ipſos alloquitur: ſcilicet, *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro iis, quæ his clavibus recluduntur.*

Quatuor ſunt Oſtiarii munia, quæ 95 ex Pontificali recenſet Catechismus Romanus part. 2. de Sacramento Ordinis. 1mum. Oſtiarii eſt Eccleſiæ januas dignis aperire, & indignis claudere: putà infidelibus, excommunicatis, &c. 2dum. Curare, ne quis Laicorum propiùs ad Altare accedat. 3tium. Pulſare Campanam, & populum fidelem ſtatis horis convocare ad divinum officium. 4tum. Servare vaſa ſacra, & omnem Eccleſiæ ſupellectilem. Oſtiarii igitur, ex prima ſua inſtitutione, ſunt Sacrarii cuſtodes, & Eccleſiæ Theſaurarii. Quintum Oſtiarii munus addit Concilium Mediolanenſe I. tit. de Oſtiario. nempe invigilare, ut omnes in Eccleſia reverenter ſe gerant. Si unquam hoc Oſtiarii munus fuit Eccleſiæ neceſſarium, vel maximè hac noſtra ætate, qua propter decreſcentem Fidelium devotionem, diſſolutiones in Templis invaluerunt.

Quanta verò ſit Oſtiariorum digni- 96 tas colligi poteſt 1mo. Ex præſtantia Janitorum veteris legis ſuper populum. Erant illi Levitæ, ſelecta Domini hæreditas, excubantes ad quatuor portas Domûs Dei, & quidem magnô numerô;

merô; nam lib. 1. Paralip. cap. 9. verf. 22. recenfentur 212. ad majorem venerationem Templo conciliandam, & majeftatem ejus magis declarandam. Quòd fi in tanto honore erant, qui umbræ deferviebant, quantò magis qui propalatæ veritati nunc miniftrant. 2do. Ex dignitate, qua in Republica aliis præeminent, qui præficiuntur ad cuftodiam regii Palatii, & thefauri; quæ enim eorum dignitas, qui præficiuntur ad cuftodiendam ipfiusmet Dei Bafilicam, & Sacratiffima, quæ in ea recluduntur, fi tanti æftimantur aulæ regiæ cuftodes? 3tio. Ex Chrifti Domini præfertim exemplo Oftiariorum minifteria mirum in modum illuftrantur & commendantur; ipfe enim Summus Sacerdos & totius Sacerdotii fons & origo zelum fuum pro domo Dei in obeundis Oftiarii muniis quàm fæpiffimè declaravit, Marci 11. verf. 16. *Non finebat, ut quisquam transferret vas per Templum*, hoc eft, prohibebat, ne quis profanis onuftus farcinis per atrium Templi, brevioris & commodioris viæ causâ pertranfiret. Hæ voces, *Non finebat*, indicant Chriftum hocce munere fuiffe defunctum, non una aut altera vice, fed qualibet occafione, quæ fe ipfi quotidie in Templo docenti offerebat. Nec verbis tantùm & fuafionibus violatores facri loci redarguit, fed interdùm flagellis & verberibus ejecit, Matth. 21. Marc. 11. & Joan. 2.

§. III.

97 ### *De Lectoribus.*

Lectoratus eft officium, quo traditur poteftas legendi in Ecclefia Scripturam facram utriusque Teftamenti, & fcripta Sanctorum Patrum.

Materia ipfius apud Græcos eft impofitio manuum, apud Latinos verò eft traditio codicis, de quo lecturi funt, qui ordinantur. Forma apud Græcos eft oratio, quam Epifcopus manum imponens fundit fuprà Ordinandum; apud Latinos verò funt hæc verba: *Accipite, & eftote verbi Dei relatores, habituri, fi fideliter & utiliter impleveritis officium veftrum, partem cum iis, qui verbum Dei benè adminiftraverunt ab initio.*

Officia Lectoris quinque numerantur. 1mum. Lectoris eft in Ecclefia publicè legere, 1mo. Scripturam facram, non folùm Veteris, fed etiam Novi Teftamenti. 2do. Doctorum Orthodoxorum Scripta. 2dum. Lectori incumbit tradere Fidei rudimenta five Catechumenis, five baptizatis rudioribus, eaque ipfis explanare. 3tium. Lectoris olim munus fuit Epifcopo prædicanti legere eam Scripturæ partem, quam ille expofiturus erat. 4tum. Ad Lectorem pertinet Divinas laudes decantare, & præeffe Pfalmiftis, feu Cantoribus, qui prioribus Ecclefiæ temporibus erant veluti ejus Coadjutores. 5tum. Lector antiquitùs etiam novos fructus benedicere confueverat, ut colligitur ex Pontificali Romano, ubi Pontifex in degradatione Lectoris propter ejus crimina, fic loquitur: *In Ecclefia Dei non legas ulteriùs, aut cantes, nec panes, aut fructus novos ullatenùs benedicas; quia tuum Officium non implevifti fideliter & devotè.* 98

Atque ex his perfpicuum eft Lectoris Ordinem antecellere Oftiariatum, cùm ipfi competant munia honorificentiora; Oftiarius quippe fores materiales aperit, Lector fpirituales, corda fcilicet Fidelium: ille follicitus eft circa exteriorem domûs Dei decorem, ifte circa interiorem; & ita proximiùs difponit ad Euchariftiam dignè fufcipiendam. 99

Quanti autem Veteres fecerint Ordinem Lectoris, liquet ex Ep. 33. & 34. S. Cypriani, qui illustres Christi Confessores Aurelium scilicet & Celerinum in præmium suæ Confessionis Lectoratûs Ordine sublimavit. Refert etiam S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. Julianum ipsum Cæsareo sanguine illustrem honori duxisse, priusquam à fide deficeret, si ad Lectoris gradum proveheretur.

§. IV.

100 *De Exorcistis.*

Exorcistatus est Ordo, quo datur potestas expellendi dæmones à corporibus sive baptizatorum, sive Catechumenorum. Illius materia est traditio libri Exorcismorum; forma verò sunt hæc verba, quibus initiandos alloquitur Pontifex: *Habete potestatem imponendi manus super Energumenos sive baptizatos sive Catechumenos.* Et in oratione, quam pro eis ad Deum fundit: *Probabiles sint Medici Ecclesiæ tuæ, gratiâ curationum, virtuteque cælesti confirmati.*

101 Unicum officium Exorcistæ tribuunt Veteres, Concilium Laodicenum, Carthaginense IV. & Pontificale Romanum; nempe adjurare dæmones, quod est longè præstantius recensitis inferiorum Ordinum officiis, cùm Exorcista voce quidem humana, sed potestate divina, ut loquitur S. Cyprianus Epist. ad Demetrianum, dæmones ejiciat, efficaciusque ad Eucharistiam disponat.

102 Obganniunt Novatores nostri. Equidem gratiæ gratis datæ primô Ecclesiæ Sæculô omnibus Fidelibus, æquè, ac Apostolis concedebantur, prout ipse Christus Dominus promisit, Marc. ult. vers. 17. Promissum autem istud restringi debet ad primordia Ecclesiæ, quibus infideles post stupenda illa signa ad fidem erant adducendi, qua plantata & radicata prorsùs desierunt. Atqui potestas ejiciendi dæmones est gratia gratis data, & fides jam dudum in toto orbe est seminata & radicata. Ergo potestas ejiciendi dæmones à pluribus sæculis non existit in Ecclesia, nec unquam credita fuit annexa Ordinibus Ecclesiasticis.

Resp. Dist. maj. Gratiæ gratis datæ omnibus fidelibus concedebantur ad tempus, aliquæ, conc. Omnes omninò, neg. maj. Namque gratia remittendi peccata, convertendi panem in reale Corpus Christi, sunt gratiæ gratis datæ, cùm dentur in aliorum commodum & salutem: non fuerunt tamen communes Fidelibus, hactenusque permanserunt in Ecclesia. Unde concessa minore

Dist. cons. Potestas ejiciendi dæmones non ampliùs existit apud Laicos, & credentium vulgus, conc. Apud Ecclesiæ Ministros, neg. cons. Sicut enim donum interpretandi Scripturam Sacram permanet in Ecclesiæ Pastoribus, & curandi infirmos per Extremam Unctionem in Sacerdotibus; ita & potestas ejiciendi dæmones in Exorcistis, quamvis ejusmodi dona desierint in Laicis. Nam 1mo. Ecclesiæ denegari non debet, quod concessum agnoscitur Synagogæ. Atqui Synagogæ concessa est potestas expellendi dæmones, de qua Josephus lib. 8. Antiq. cap. 4. scribit, & quam ipse Christus agnovit Matth. 12. vers. 27. ubi *Si ego,* ait, *in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi Judices vestri erunt.* Quòd autem potestas illa in singulis Judæis non obtinuerit, ipse Josephus satis indicat loc. cit. & colligit Baronius ad an. Christi 57.

ſti 57. ex cap. 19. Act. verſ. 14. ubi refertur filios Scevæ Principis Sacerdotum Exorciſtas egiſſe. 2do. Ex conſtanti Eccleſiæ Traditione habetur, eam ſemper Miniſtros inſtituiſſe ad dæmones expellendos. Tertullianus lib. de præſcript. cap. 41. reprehendit in ſectis Hæreticorum, quòd etiam mulieres apud eos Exorciſmos agerent, ut ſuprà dictum ex ipſo eſt. Exorciſtarum etiam meminit S. Cornelius Papa epiſt. ad Fabium ſuprà cit. ut & S. Cyprianus epiſt. 45. ibid. & Tract. adversùs Demetrianum infenſiſſimum Chriſtianorum hoſtem, & crudelem perſecutorem. Porro illius tempore jam deſierant exteriora miraculorum dona. Concilium Laodicenum annô 302. Can. 26. prohibet, ne quis dæmones adjuret, qui ab Epiſcopo non fuerit ordinatus. Concilium Carthaginenſe IV. annô 398. exponit ritum, quo Exorciſta ordinari conſueverat. S. Hilarius Exorciſtam ordinavit S. Martinum, ex Severo Sulpitio in hiſtoria vitæ S. Martini. Denique Eccleſia ſive Orientalis, ſive Occidentalis, à temporibus Apoſtolorum hactenus exorciſmos ſeu adjurationes adhibuit adversùs dæmones; quamvis enim Exorciſtatus apud Græcos ab aliquot ſæculis non ſit Ordo ab aliis diſtinctus, apud eos tamen poteſtas & uſus imperandi dæmonibus in Sacerdotio permanet.

103 Inſt. 1mo. Vel ipsâ experientiâ conſtat poteſtatem illam jam dudum in Eccleſia deſiiſſe: nullum enim reperire eſt, qui exorciſmis dæmones è corporibus expellat. Ergo fruſtrà ordinantur Exorciſtæ.

Reſp. neg. ant. Imò multis experimentis etiam poſteriorum Sæculorum confirmatur illa poteſtas, licèt nonnunquam careat effectu, propter infirmam vel Exorciſtæ vel Energumeni fidem, aut aliam pravam affectionem. Apoſtoli liberare non potuerunt lunaticum à vexationibus dæmonis, Matth. 17. quærentibus Apoſtolis, quare id non potuiſſent, reſpondit Chriſtus v. 19. *propter incredulitatem veſtram.* Quin verſ. 20. ait eſſe quoddam dæmoniorum genus cæteris obſtinatius, ad quod ejiciendum in Exorciſta opus eſt jejuniis, orationibus, & longâ patientiâ. Sed inde non colligitur nec Apoſtolis, nec noſtris Exorciſtis poteſtatem adversùs dæmones fuiſſe conceſſam.

Inſt. 2do. In Eccleſia Romana Ordi- 104
natio Exorciſtæ videtur ludus & ſcena; iis quippe conceditur poteſtas adjurandi dæmones, & ſimul uſus hujusce poteſtatis interdicitur; nequidem enim Presbyteris eos adjurare licet. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Uſus interdicitur inconſultô Epiſcopô, conc. Interdicitur ſimpliciter & abſolutè, neg. ant. Porro gravibus ex cauſis ſanxit Eccleſia, ne quis, ſive Exorciſta, ſive Presbyter, ſine præſcitu & licentia Epiſcopi Energumenis exorciſmos adhibeat. Alii quippe, ut rudiores & melancholici, facilè ſibi perſuadent ſe vexari à Dæmone, cùm inſoliti ac diuturnioris morbi cauſa eos lateat: alii ex profeſſo, & maligna mente, arreptitios ſe fingunt, ut popularem in ſe admirationem concilient, & largiores eleemoſynas emungant. Meminere etiam Patres Concilii Laodiceni, & alii Scriptores Eccleſiaſtici quorumdam impoſtorum & circulatorum, qui, quæſtûs causâ, urbes & vicos circuibant, & ſuperſtitionibus ac incantationibus, corporum morbis, tanquam a dæmone creatis, mederi ſe ſimulabant. Quibus corruptelis & fallaciis, quæ ſacra miniſteria in contemptum ac deriſum vertebant, ut obviaret Eccleſia, pro ſua divinitùs ac-

cepta sapientia, cavit, ne quis, etiam Presbyterorum, dæmones è corporibus expellere attentaret, quin priùs ab Episcopo probatæ fuerint & morbi iniquitas, & morum Exorcistæ integritas, ac vitæ sanctitas: dæmon quippe eorum imperium facilè deridet, quos laqueis suis captivos tenet, ut patuit in filiis Principis Sacerdotum, in quos insiliit, cùm illum adjurarent in nomine JEsu, Act. 19. vers. 13.

105 Ob. 2do. Sanctus Clemens lib. 8. Constitut. cap. 26. hanc S. Thadæi Apostoli sententiam laudat, *Exorcista non fit Ordinatione.* Ergo Exorcistatus non est numerandus inter Ordines.

Resp. Hoc Opus non est S. Clementis, rejiciturque inter libros apocryphos à Gelasio Summo Pontifice in Concilio septuaginta Episcoporum an. 494. Deinde ex hoc loco solùm colligitur Apostolos judicasse Exorcistas sua ætate non esse specialiter ordinandos, cùm Spiritus Sanctus miraculorum dona in credentes promiscuè effunderet, in alios genera linguarum, in alios gratiam curationum, in alios virtutem ejiciendi dæmones, &c.

§. V.

106 *De Acolytis.*

Acolytatus est Ordo, quo datur potestas ministrandi Subdiacono & Diacono in Missæ Sacrificio; Acolytus enim secundùm vim græci nominis, est famulus, ac veluti pedissequus. Ejus materia est traditio ceropheralis cum cereo, necnon urceolorum vacuorum: Forma verò sunt verba, quæ profert Episcopus cùm illa instrumenta porrigit, ut, *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi.*

Tria numerantur Acolyti officia. 107
Primum ac præcipuum est parare vinum & aquam in urceolis, quos deinde exhibet Subdiacono. Secundum deferre lumina, dum Evangelium solemniter cantatur à Diacono. Tertium luminaria Ecclesiæ accendere & asservare, propter quod Ecclesiæ mancipati dicuntur; quia illud officium majorem in Ecclesia assiduitatem postulat: *Sciatis vos*, inquit ad Acolytos hos Pontifex in ipsorum Ordinatione, *ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari;* hincque vulgato nomine Ceroferarii vocantur.

Acolyti antiquitùs, ut fidi Episcoporum Ministri, eorum epistolas & mandata perferebant, ex epist 43. S. Cypriani. Eulogias etiam seu Eucharistiam ad absentes deportabant, ex Innocentio I. epist. 29. ad Decentium.

Ex Acolytorum officiis facilè intelligitur eorum Ordinem præcedentibus esse superiorem, cum celebrandæ Eucharistiæ, à qua singuli Ordines suum hauriunt decus ac perfectionem, propiùs inserviat; propteraque exigere majorem cordis munditiam, & vitæ sanctitatem.

§. VI.

De Subdiaconis. 108

Subdiaconatus est Ordo sacer, quo, ut præ se fert nomen Subdiaconi, seu, ut Græci loquuntur, Hypodiaconi (etiam *Hyperita* apud ipsos dicitur) datur potestas ministrandi Diacono & Sacerdoti in Missæ Sacrificio.

Apud

109 Apud Latinos materia Subdiaconatus ſemper fuit calicis vacui & patenæ vacuæ traditio ab Epiſcopo facta, necnon traditio urceoli cum aqua, mantili ac manutergio. Ita præſcriptum legitur in Concilio Carthaginenſi IV. apud S. Gregorium in Sacramentario; eumque omnia Pontificalia tùm antiqua, tùm hodierna referunt. Huic ritui quingentis circiter ab hinc annis addita fuit traditio libri Epiſtolarum; de ea quippe non meminêre, qui de Ordinatione Subdiaconi ante Sæculum duodecimum ſcripsêre: nec enim reperitur apud Yvonem Carnotenſem, nec apud Hugonem à S. Victore, nec apud Magiſtrum ſententiarum, imò nec apud S. Thomam. Subdiaconos tamen jam Sæculô nonô Epiſtolam intra Miſſarum ſolemnia legiſſe, conſtat ex Amalario qui circa annum 830. ſcripſit, lib. 1. de Officiis cap. 11. ubi uſum hunc improbat: *Miror, inquit, qua de re ſumptus uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſimè legat Lectionem ad Miſſam, cùm hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in conſecratione, neque ex litteris Canonicis, neque ex nomine ſuo.*

Apud Græcos ſola manuum impoſitio eſt materia Subdiaconatûs; ſolum hunc enim ritum antiqua & hodierna Græcorum Euchologia deſcribunt.

110 Forma Subdiaconatûs ſunt verba, quæ profert Epiſcopus, dum materia porrigitur. Nunc ea verba ſunt iſta: *Videte cujusmodi miniſterium vobis traditur, ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.* Sunt etiam iſta: *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Olim verba, quæ tanquam forma proferebantur, erant Oratio, quæ habetur in Sacramentario S. Gregorii ſub hoc titulo, *Benedictio Subdiaconi.* In Eccleſia Græca verò forma eſt Oratio, quam Epiſcopus fundit dum Ordinando manus imponit.

Subdiaconi munia quinque recen- 111
ſentur in Pontificali Romano. 1mo. Calicem & patenam in uſum Sacrificii Diacono offert, ponitque in Altari, cùm antiquitùs ipſe Diaconus iſta à Subdiacono tradita ad altare deferret, ex Rabano lib. 1. de Inſtit. Cleric. cap. 8. quod etiamnum obſervatur in Eccleſia Græca, ubi Diaconus ſacra vaſa magnâ cum pompâ defert ad altare. 2do. Sacerdoti ſacra facienti aquam fundit ad extremitates digitorum abluendas in ſignum ſummæ munditiei in Sacrificio requiſitæ; Item poſt Offertorium infundit aquam in calicem, in quem Diaconus immiſit vinum. Hinc in Ordinatione Archidiaconus urceolos cum bacili & manutergio tangendos ipſi porrigit. 3tio. Oblationes à populo ſuſcipit, & ex iis, quantùm ſatis eſt ad aſtantium communionem, in altari ponit, ne quid putridum in Sacrario remaneat, ut habetur in libro Pontificali. Hoc ampliùs in uſu non eſt. 4to. Legit Epiſtolam, & in hunc finem librum accipit à Pontifice; ſed de hocce munere, ut jam annotavimus, nihil habet antiquus Ordinationis ritus, nec Veteres Scriptores: Lectorum erat Epiſtolas legere, ut etiamnum eas legunt in Eccleſia Græca. 5to. Pallas altaris, corporalia, & purificatoria abluit cum cautione in Pontificali præſcripta.

Quanti verò ſint momenti ejusmo- 112
di miniſteria, quantamque in Subdiacono perfectionem exigant, pluribus

bus ex capitibus perſpicuè colligitur. Ac 1mo. quidem ex dictis de minoribus Ordinibus; ſi enim Eccleſia & recta ratio eam, quam diximus, morum integritatem, ac pietatis ſtudium in iis requirunt, qui in inferioribus gradibus ſunt conſtituti, remotiusque Euchariſtiæ conficiendæ inſerviunt; dubium non eſt, quin præſtantiora expetant merita in iis, qui ad ſacratiora miniſteria aſſumuntur. 2do. Subdiaconi functiones & neceſſariæ dotes æſtimari debent ex iis, quæ Eccleſia hactenùs præmittenda duxit ejus Ordinationi. Nimirùm ſua lege prohibuit, ne ſacer ille Ordo conferatur niſi Sabbatô Quatuor Temporum, hoc eſt, poſt triduanum jejunium, & profuſiores ſolitô Fidelium preces. 3tio. Idem colligitur ex lege ſervandi perpetuam continentiam, & quotidie perſolvendi Horas Canonicas, quam Eccleſia Subdiaconis imponit. Namque miniſteria illa cenſeri debent longè ſacratiſſima, perfectamque virtutem in Miniſtro exigere, ad quæ non patet acceſſus niſi virginibus, aut cœlibem vitam agentibus; hi quippe dicuntur à S. Cypriano lib. de habitu Virginum, *illuſtrior portio gregis Chriſti, & Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini;* tantumque diſtant à conjugatis, juxta S. Fulgentium lib. de Virginitate, *quantùm ſimilitudo pecorum ab imitatione diſcernitur Angelorum.* Ne ergo Subdiaconus ex altiſſimo illo perfectionis gradu decidat, Eccleſia memor verborum Dei Iſai. 48. verſ. 9. *Laude mea infrænabo te, ne intereas,* illum ad perennem Dei laudem adigit, dum quotidianum precandi officium per certas horas ita diſtributum ipſi injungit, ut verè cum Pſalmiſta dicere queat: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Undè hic Subdiaconatûs Ordo communiter à Theologis & Eccleſia ſacer appellatur, quo nomine Minores Ordines, quamvis res ſacræ ſint, utpotè divino cultui dicatæ, tamen non veniunt, propter miniſteria videlicet, quæ in Subdiaconis præſtantiora & ſanctiora ſunt, quàm in inferioribus Clericis, utpotè quæ immediatiùs ad ritum Sacrificii concurrant.

§. VII.

De Diaconis. 113

Diaconatus eſt Sacer Ordo, quo datur ſpiritualis poteſtas inſerviendi proximè Sacerdoti Sacra facienti. Idque innuit Græcum illius nomen; nam *Diaconus* idem eſt latinè ac *Miniſter.*

Ipſius materia eſſentialis & adæqua- 114
ta poſita videtur in manûs impoſitione, quamvis nonnulli eidem libri Evangeliorum traditionem conjungant. Forma verò Oratio quam profert Pontifex. In Ordinatione quoque Diaconorum apud Græcos, nihil aliud præter impoſitionem manuum & orationem aſſignatur quod materiæ & formæ eſſentialis rationem habeat. Sed qui traditionem libri Evangeliorum velut hujus Ordinis materiæ partem adjungunt, volunt etiam hæc verba, quæ profert Epiſcopus dum librum Evangeliorum porrigit: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium &c.* ad formam pertinere; verùm probabilius eſt hæc & alia, quæ in Ordinatione Diaconi occurrunt, ut ſunt impoſitio ſtolæ ſuper humerum ſiniſtrum cum verbis adjunctis, traditio Dalmaticæ, qua quilibet Ordinandus induitur &c. ad integritatem Ordinis pertinere dumtaxat, non ad eſſentiam, quia nullum eorum extat veſtigium, ſive in Ordine Romano, ſive

five in Sacramentario S. Gregorii, five in aliis libris Ritualibus ante annos fexcentos fcriptis.

115 Officia Diaconi tria affignat Pontificale Romanum. 1mum. Diaconi officium eft, ut ad Altare miniftret; Enimverò plura ibi eidem occurrunt obeunda officia. 1mo. Epifcopo vel Presbytero Sacra facienti in omnibus prefto effe debet; ipfi materiam facrificii panem fcilicet & vinum exhibet, calicem confecrandum unà cum ipfo offert, eadem verba fimul profert, *offerimus tibi calicem falutaris.* 2do. Evangelium folemniter & magna cum pompa ex altiori loco legit. 3tio. Indignos à dignis feparat terribili ifta voce, *Recedant pœnitentes*, *Sancta fanctis*; quæ, in mente S. Chryfoftomi, fpeciem quamdam extremi præ fe fert judicii, in quo, Angelorum minifterio, hœdi ab ovibus in æternum feparantur. 4to. Præeft aftantium precibus, monet, ubi flectenda genua, ubi levanda: quando Epifcopus benedictionem impertiturus eft, ut ad eam fe præparent: quando ab Oratione difcedere licet admonet hifce verbis, *Ite miffa eft*; in diebus verò jejunii cœtum dimittit his verbis duntaxat, *Benedicamus Domino*, ut eum commoneat laudibus divinis effe infiftendum. 5to. Juxta veterem Ecclefiæ difciplinam calicem feu Sanguinem Domini aftantibus difpenfabat quin & Corpus Domini fub fpecie panis diftribuebat, ex S. Cypriano ferm. de lapfis circa finem. S. Ambrofiô lib. 1. de Officiis c. 41. ex S. Juftino Apol. 2. ex Concilio Carthaginenfi IV. Can. 38.

Secundò Diaconus ex officio baptizat etiam folemniter, non quidem ut ordinarius minifter, fed extraordinarius, prout oftendimus in Tractatu de Baptifmo.

Tertiò, Diaconus eft Verbi Dei Minifter, vi quidem fuæ Ordinationis, fi prædicatio fiat per modum catechefeos, & fine illo apparatu, qui competit eis, qui ex cathedra conciones ad populum habent: folemnis enim Evangelii prædicatio eft præcipuum munus Epifcopi, quod per fe ipfum, nifi legitimè impediatur, obire tenetur, ex Concilio Tridentino Seff. 5. c. 2. de reform. & Seff. 24. c. 4. ita ut ne quidem, præfente Epifcopo, Presbyteris id concederetur in quibusdam Ecclefiis, ut in Africana tefte S. Auguftino, qui juffum Valerii Hipponenfis Epifcopi fenectute gravati in excufationem adducit, quòd nondum ipfe Epifcopus, fed folùm Presbyter, præter morem conciones ad populum habuiffet: at cùm Epifcopus aliquandò legitimè impediatur, Chriftus, ne alicubi unquam defit prædicatio verbi Dei, adjutores dedit Diaconos, quos huic muneri delegarent, ficut Apoftoli Stephanum, quem Pontifex initiandis in exemplum proponit.

Neque verò Patres hancce Diaconorum delegationem ad folam doctrinam coarctant, fed eam extendunt ad omnem Paftorum follicitudinem, ut verbum Dei prædicatum radicetur in animis, crefcat, & fructum afferat. S. Ignatius epift. ad Trallianos ait: Epifcopum in Ecclefia Chrifti typum gerere; Sacerdotes tanquam ejus Confiliarios, unum Corpus & Senatum cum eo conftituere, cujus ipfe Præfes fit & Caput: Diaconos verò imitari miniftrantes Angelos, quos Apoftolus perhibet Heb. 1. in omne minifterium mitti propter eos qui hæreditatem capient falutis.

Quanta fit hujus Sacri Ordinis dignitas, non eft, quòd hîc ulteriùs indicamus, utpotè quæ ex iis, quæ hactenus de illius muneribus diximus, eluceat &c.

§. VIII.

116 **De Presbyteris.**

Presbyter Græcè idem est ac Latinè Senior. Presbyter ergo secundùm etymon, est nomen ætatis; secundùm acceptionem verò est nomen Officii ac Præfecturæ; Magistratus enim & in Republica Præfecti Seniores vocari solent, ut denotetur morum gravitas, quæ eis competit, & in senibus magis elucet. Hinc Diaconi & alii Clerici inferiores nunquam Presbyteri appellantur, quia ipsorum est ministrare: præesse autem cùm sit Episcopi & simplicis Sacerdotis, Episcopus nonnunquam Presbyter nominatur, ut Epist. 2. & 3. S. Joannis, & 1. Tim. 4. v. 14. Timotheus dicitur inauguratus Ephesiorum Episcopus per impositionem manuum Presbyterii. Sed frequentiùs Sacerdotes Episcopô inferiores dicuntur Presbyteri, ut 1. Tim. 5. *Adversùs Presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus.* Et ita usus obtinuit, ut soli Sacerdotes inferiores simpliciter nominentur Presbyteri.

Igitur Presbyteratus sic acceptus, est Ordo, per quod datur potestas consecrandi Corpus Christi, & remittendi peccata.

Inter multos ritus, qui in Ordinatione Presbyterorum adhibentur, & referuntur in Pontificali Romano, sola manuum impositio est ipsius materia, & sola Oratio est ipsius forma essentialis; cætera verò, ut porrectio instrumentorum, verborum istorum, *Accipe Spiritum Sanctum*, pronuntiatio, ad integritatem dumtaxat, & clariorem potestatis presbyteralis significationem pertinent. Vide quæ superiùs de materia & forma Sacramenti Ordinis generatim fusiùs discussa sunt.

Quænam sint officia Presbyteri paucis ab ordinante Episcopo exponuntur 117 his verbis: *Oportet Sacerdotem offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare. Cùm magno enim timore ad tantum gradum ascendendum est, ac procedendum, ut cœlestis sapientia, probi mores, & diuturnæ justitiæ observatio ad id electos commendet.*

Inter Presbyteros alii sunt aliis gradu, honore, ac dignitate superiores. 118 Tales sunt Episcoporum Vicarii Generales, Officiales, Archipresbyteri, Archidiaconi, Pœnitentiarii, Theologi, Decani, Canonici, Parochi.

Vicarii Generales ii dicuntur, qui Episcoporum vices gerunt, eorum auctoritate ac potestate instructi. Est autem in Episcopo potestas Ordinis & jurisdictionis tùm gratiosæ, tùm contentiosæ. Potestas Ordines conferendi nonnisi Episcopo conferri potest: jurisdictio verò utraque Presbyteris committi potest. Vicarius generalis nonnisi voluntariam seu gratiosam jurisdictionem exercere potest; eâ, quæ contentiosa est, uni Officiali reservatâ.

Mandatum Vicarii generalis variis modis expirat. 1mo. Per revocationem mandantis Episcopi. 2do. Morte naturali aut civili mandantis, depositione aut resignatione ejusdem. Eodem jure Episcopô suspensô vel excommunicatô facultas Vicarii suspenditur. 3tio. Morte naturali vel Civili ipsius Vicarii, vel renuntiatione ipsius tempestivè facta. Mandatum Vicarii ad Beneficia debet esse generale, non speciale, ne votum detur captandæ mortis. Si quæ autem restrictiones fiant in Mandato exprimendæ sunt: occultæ quippe limitationes, seu in Mandatis non expressæ, non valent, nec Mandato derogant, ne

fides

fides Mandati, quod exhibetur, in errorem inducat.

119 *Officialis*, sic dicitur ab officio quod Episcopo impendit in exercenda ipsius jurisdictione contentiosa, in qua necesse est intervenire actorem, reum, & Judicem. Ad munus Officialis pertinet cognitio causarum tùm civilium tùm Ecclesiasticarum, tùm etiam criminalium.

120 *Archipresbyteri*, qui à Graecis Protopresbyteri dicti sunt, primum inter Presbyteros gradum & honorem obtinebant. Suum singulis Ecclesiis Cathedralibus in Occidente Archipresbyterum fuisse testatur S. Hieronymus in Epistola ad Rusticum. Officium Archipresbyteri assignat Concilium Carthaginense IV. Can. 17. nempe ut *Episcopus gubernationem viduarum & pupillorum, & peregrinorum, non per se ipsum, sed per Achipresbyterum aut per Archidiaconum agat.* Archipresbyterorum est mandata Episcoporum ad alios ejusdem civitatis Presbyteros deferre.

121 *Archidiaconus* dicebatur Episcopi oculus & manus, eò quod jurisdictionem gratiosam & contentiosam, tanquam generalis Episcopi Vicarius, etiam in Presbyteros ipsos olim exerceret. lib. 1. Decretal. tit. 23. cap. 1. In tantùm excreverat Archidiaconorum auctoritas, ut post annum millesimum Episcopi fuerint coacti totam ad se revocare jurisdictionem, eamque suis Officialibus ac Vicariis concredere. Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. c. 3. mandat, ut Archidiaconi, cæterique, ad quos pertinet, sibi subjectas Ecclesias visitent. Cap. 20. autem interdicit Archidiaconis causarum matrimonialium & criminalium cognitionem. Et Sess. 25. c. 14. prohibet iisdem ne Clericorum concubinariorum causam dijudicent.

Pœnitentiarius confessionibus Fideli- 122
um excipiendis præficitur cum facultate absolvendi à casibus Episcopo reservatis. Primis quinque Ecclesiæ Sæculis Episcopi per se ipsos rem pœnitentiæ administrabant: at crescente Fidelium numero, & Episcopis multis aliis curis occupatis, administratio pœnitentiæ, præsertim publicæ, uni Sacerdoti nomine & auctoritate Episcopi concredita fuit. Id constat ex Socrate lib. 5. Hist. c. 19. Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. c. 8. jubet, ut in qualibet Cathedrali Ecclesia, si id commodè fieri possit, Pœnitentiarius instituatur cum unione præbendæ &c.

Theologus, inde dictus, quòd Theo- 123
logiam seu sacras litteras Clericos edocere teneretur, & ad populum sacras habere conciones. Honorius III. ut faciliùs quævis Metropolitana Ecclesia Theologum sibi compararet, cap. *Super specula* de Magistris. decrevit, ut Capitula juniores Canonicos ad Universitates frequentandas mitterent; veniamque ipsis fecit residentiæ, tùm Clericis studentibus, tùm Magistris Theologiam seu sacras Litteras docentibus. Quod privilegium renovavit & confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 5. de reform. c. 1.

Decanus dicitur ille, qui decem vi- 124
ris præest; unde Decania territorium est, in quod Decanus aliquam habet jurisdictionem. A monastico regimine Decanatûs dignitas fluxit in Capitula Canonicorum. Quippe cùm unus Abbas vel Prior multitudini Monachorum regendæ non sufficeret, instituti sunt Decani, quibus decem Monachi committebantur gubernandi. Id colligitur ex S. Augustino lib. 1. de moribus Ecclesiæ, c. 21. Sunt inter ruris Parochos, qui dicuntur *Decani*, vel etiam *Archipresbyteri rurales*, quibus id muneris ab Episcopis injungitur, ut suæ

Decaniæ seu, ut vocant, Capituli ruralis Parochos ad congregationem certis temporibus advocent, atque generalem quamdam super illos curam habeant.

125 *Canonicus* sic dictus à *Canone* seu *regula*; sive quia primis temporibus Canonici communem degebant vitam, atque disciplinæ Monasticæ quamdam referebant imaginem; sive quia regulas seu Canones arctiùs observabant. Canon enim Græcè regula est, & Canonicus regularis; sive quòd in Canonem seu matriculam Ecclesiæ relati erant; sive denique à Canone frumentario, seu sportulis Ecclesiasticis ita dicerentur, quòd nempe ex Ecclesiæ redditibus alerentur, undè *sportulantes fratres* Clericos appellabat S. Cyprianus Epist. 66. Universa scilicet Ecclesiarum substantia in quatuor partes dividebatur; quarum unam Episcopus sibi reservabat, alteram Clerici pro suorum officiorum sedulitate obtinebant; tertia fabricis, quarta pauperibus & peregrinis erogabatur. Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. cap. 12. Canonicos appellat *Ecclesiæ senatum.*

126 Denique sunt *Parochi.* Parochiæ nomine olim tota aliqua Diœcesis significabatur; sed pressiùs significatur particularis quædam Ecclesia, cui unus Pastor seu Parochus & Curatus præficitur. Extitisse primis temporibus Presbyteros, qui præside Episcopo curam animarum habebant, constat ex S. Polycarpo Epist. ad Philippenses; ex Cornelio S. Pontifice Epist. ad Fabium suprà citata, in qua testatur suo tempore quadraginta quatuor Presbyteros Romæ extitisse. Ex S. Athanasio apolog. 2. Ex S. Epiphanio hæresi 49. n. 1. ex S. Innocentio I. Epist. 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum.

127 Non Ordinatione quidem, nec interna ac perfecta, sed externa dumtaxat jurisdictione à cæteris Presbyteris distincti sunt Parochi, qui nempe ratione sui tituli seu institutionis jus habent Episcopis quidem subordinatum, populis curæ suæ commissis administrandi Sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Matrimonii, & Extremæ Unctionis.

§. IX. 128

De Episcopis.

Nomen *Episcopi* Græcum est, atque latinè idem est ac Inspector, Speculator, Explorator, & Superintendens. *Altior*, inquit S. Augustinus in Psal. 126. *in Ecclesia locus positus est Episcopis, ut velut in specula constituti superintendant & custodiant populum.* Quo sensu Apostolus Act. 20. v. 28. Episcopos admonet his verbis: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Apostolorum tempore, si S. Chryso- 129
stomo credimus, nomen Episcopi commune erat etiam Presbyteris seu secundi Ordinis Sacerdotibus. Id probat 1mo. Hom. 1. in Epist. ad Philipp. ubi Apostolus benè precatur Sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis, nulla facta Presbyterorum mentione, *Quid hoc sibi vult?* inquit, *Ita ne unius civitatis plures erant Episcopi? nequaquam; sed hoc titulò designat Presbyteros; tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.* 2do. Ex 1. Tim. 3. ubi Apostolus, omissis Presbyteris, de solis Episcopis & Diaconis sermonem habet. *Oportet ergo*, ait, *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, &c. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, &c.* In quæ verba sic loquitur Hom. 11. *Inter Episcopum atque Presbyterum interest fermè nihil; quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa*

missa est; & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Usus tamen deinceps obtinuit, ut soli Majores seu primi Ordinis Sacerdotes appellarentur Episcopi (*b*) Vocantur etiam *Antistites*, quasi ante alios Clericos stantes, iisque præsidentes; *Pontifices*, quia præ aliis multa possunt facere: *Ecclesiæ Principes*, ut apud S. Ignatium Epist. ad Smyrnenses; Origenem Tract. 12. in Matth. S. Hilarium Can. 26 in Matth. Optatum Milevit. lib. 5. contra Parmenianum, &c.

130 Definitur Episcopatus *Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas conferendi Sacramenta Confirmationis & Ordinis, regendique Ecclesiam ipsi commissam*, hoc est, Clerum & plebem.

Dicitur 1mo. *Ordo supremus*, quia Episcopatus est apex & fastigium Sacerdotii. *Quid est Episcopus*, inquit S. Augustinus lib. quæst. in Vetus & Novum Testam. q. 101. *nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos*? Et S. Ignatius Epist. ad Smyrnenses, *Honora*, inquit, *Episcopum ut Principem Sacerdotum*. Dicitur 2do. *Quo datur Presbytero*; quia ex dictis nequit esse Episcopus, qui Presbyter non fuerit. Dicitur 3tio. *Potestas conferendi*, &c. Quibus verbis designatur potestas Ordinis Episcopo propria; quia confirmare Neophytos, & ordinare Ecclesiæ Ministros, sunt actus Ordinis, nec ad eos exercendos sufficit potestas jurisdictionis, quam habet Capitulum Sede vacante, & Episcopus nondum consecratus. Dicitur 4to. *Regendi Ecclesiam, ipsi commissam*, ut denotetur potestas Jurisdictionis; Jurisdictio quippe est potestas gubernandi subditos, jus dicendo, ferendo leges, coërcendo refractarios, & puniendo transgressores.

Hîc nobis dirimenda est controversia, 131 quam quartô Ecclesiæ Sæculô suscitavit Aërius ex Arianorum secta Presbyter, Wiclefus Sæculô decimô quartô, & Sæculô decimô sextô Lutherus ac Calvinus adoptârunt; scilicet an jure & institutione divina Episcopi sint Presbyteris superiores. Negant Novatores nostri post memoratos sectarios, affirmant autem uno ore Catholici. Cum quibus sit

CONCLUSIO. 132

Episcopi jure ac institutione divina sunt Presbyteris superiores potestate tùm Ordinis, tùm Jurisdictionis.

Prob. 1ma. pars, quæ est de potestate Ordinis 1mo. ex Scriptura Sacra. Luc. 9. v. 10. legimus à Christo Domino duos electos fuisse Præpositorum seu Ministrorum Ordines, Apostolorum scilicet, & septuaginta duorum discipulorum. Atqui Apostoli, quibus succedunt Episcopi, potestate Ordinis superiores erant discipulis, quorum successores sunt Presbyteri simplices seu secundi Ordinis. Illis etenim dixit Christus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De 72. verò discipulis hoc unum refert S. Lucas c. 10. v. 1. *Post hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus.* 2do. prob. ex iis argumentis & monumentis, quibus tùm in Tract. de Confirmationis Sacramento, tùm hîc, ubi de Ministro Sacræ Ordinationis, osten-

(*b*) *Procedente verò tempore*, inquit S. Chrysostomus Comment. in c. 1. Epist. ad Philipp. *proprium distributum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille verò Presbyter appelletur.*

ostendimus solum Episcopum esse tùm Sacramenti Confirmationis tùm Sacræ Ordinationis Ministrum. Is quippe jure divino potestate Ordinis, qui habet potestatem aliquam, qua alter caret, conferendi nempe quædam Sacramenta: sic v. g. Presbyter jure divino est superior Diaconô; quia potest conficere Eucharistiam, & Sacramentaliter remittere peccata; quod non potest Diaconus. Atqui, prout adductis locis demonstravimus, Episcopus potest conferre duo Sacramenta, scilicet Confirmationis & Ordinis, quod non potest Presbyter. Ergo. Et verò hæc semper fuit constans Ecclesiæ fides & doctrina, irritam & nullam esse Ordinationem ab alio, quàm à vero Episcopo datam; nec alio fundamento ducta fuit Synodus Alexandrina, anno 319. celebrata, ut declararet Ischyram, sancti Athanasii accusatorem ab Arianis seductum, nunquam verum fuisse Presbyterum, quàm quòd à Collutho simplici Presbytero ordinatus diceretur.

133 Prob. 2da. pars, quæ est de potestate jurisdictionis. 1mo. Ex Scriptura. & 1mo. quidem, quia Apostoli, quibus succedunt Episcopi, à Christo immediatè acceperunt internam potestatem dimittendi peccata, Joan. 20 v. 21. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Sacerdotes re ipsa vi suæ Ordinationis à Christo etiam habent radicalem potestatem dimittendi peccata, sed illius usum & exercitium per Jurisdictionem, quam Episcopi concedunt, accipiunt. Hinc possunt Episcopi usum illum potestatis legitimis ex causis ligare, impedire, suspendere, limitare ad certas personas, & certa crimina. Quin & ipsam potestatem, quam vi Ordinationis suæ Sacerdotes habent consecrandi Eucharistiam, licèt impedire non valeant Episcopi, ne valida sit consecratio ritè peracta, quia scilicet nihil potest Ecclesia in characterem & substantiam Ordinationis, possunt tamen sua prohibitione suisque censuris efficere, ut sit illicita. 2do. Certum est Episcopos à Christo in Presbyteros cæterosque Fideles jurisdictionem accepisse in definiendis Fidei & Religionis Capitibus, in ferendis legibus, ac contumacibus coërcendis. Nam 1mo. Act. 15. in causa circumcisionis & aliorum Legalium, tanquam Judices Apostoli pronuntiant in Concilio Hierosolymitano, *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, &c.* 2do. Apostolus ad Titum 1. v. 5. declarat se illum Cretæ reliquisse, *ut ea, quæ deerant corrigeret.* Et ipsemet de seipso 2. Cor. 10. v. 8. ait: *Et si ampliùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis Dominus non erubescam.* Qua quidem potestate sua ac jurisdictione usus fuit Apostolus in puniendo & ab Ecclesia ejiciendo Corinthium incestuosum: *Ego quidem*, ait 1. Cor. 5. v. 3. *jam judicavi eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi tradere satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.* 3tio. In Presbyteros ipsos, tanquam inferiores, Apostolos, eorumque successores Episcopos jus dicere posse, demonstrant illa Apostoli verba 1. Tim. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris.* Et v. 19. *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Nusquam autem legimus simplices Sacerdotes vi suæ Ordinationis auctoritatem & jurisdictionem in alios Presbyteros, multò minùs in Episcopos exercuisse. Et verò ex S. Augustino & Vincentio Lirinensi, quod semper & ubique in Ecclesia fuit observatum, nec in ullo Concilio invenitur institutum, illud censeri debet institutionis Apostolicæ & divinæ. Atqui talis est præeminentia dignitatis

tatis & jurisdictionis Episcopalis. Ergo &c.

134 Prob. 2do Ex SS. Patribus, qui hujusce præeminentiæ jurisdictionis Episcopalis frequentia edunt testimonia. S. Ignatius Epist. ad Trallianos, *Reveri mini Episcopum vestrum*, inquit, *sicut Christum, quemadmodùm beati nobis præceperunt Apostoli. Quid enim aliud est Episcopus, quàm is, qui omnem principatum & potestatem super omnes obtinet?* Et Epist. ad Magnesianos, *Decet vos*, ait, *obedire Episcopo, & in nullo ei refragari Quemadmodum itaque Dominus sine Patre nihil facit, sic & vos sine Episcopo, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus.*

Tertullianus lib. de Baptismo c. 17. *Dandi quidem Baptismi*, inquit, *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est.* Omnes ferè S. Cypriani Epistolæ testantur, in Ecclesia, sive Romana, sive Carthaginensi, & in cæteris Africæ Ecclesiis, unum Clero præfici Episcopum. Illud ipsum indicant Concilia ubique ab initio usque ad nostram ætatem celebrata, adeò, ut quartò Sæculô non solùm Catholici, sed & hæretici stupuerint Aërii frontem, qui ausus est asserere Episcopos & Presbyteros esse potestate ac dignitate pares; erroremque statim oppresserint, ut patet ex S. Augustino lib. de Hæres. hæresi 53. & S. Epiphanio, qui hanc nascentem hæresim vidit, hæres. 75. ubi sic loquitur: *Est illius* (Aërii) *dogma supra hominum captum furiosum & immane; quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? nullum inter utrumque discrimen est, par & idem honor ac dignitas.*

Meritò igitur Sacra Tridentina Synodus hanc Aërii & ipsius sequacium Novatorum nostrorum impietatem anathemate confixit Sess. 23. Can. 6. & 7. Et quidem pro potestate Ordinis Can. 7. *Si quis dixerit*, ait, *Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem anathema sit.* Et pro potestate Jurisdictionis Can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit.*

Nunc nobis de materia & forma, Ministro, subjecto, officiis, variisque gradibus Episcopatûs disserendum venit.

Quantùm ad materiam & formam 135 Episcopatûs, plures in Ordinatione Episcopi ritus observantur; nam 1mo. Liber Evangeliorum imponitur super cervicem & scapulas electi, nihil dicentibus Episcopis. 2do. Consecrator & ejus assistentes caput Consecrandi ambabus manibus tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum.* 3. Consecrator extensis manibus duplicem orationem fundit, qua electo gratiam Spiritûs sancti apprecatur, ut dignè Episcopali officiô fungatur. 4to. Postea caput & ambæ manus Electi à Consecratore chrismate inunguntur. 5to. Denique his peractis Consecrator tradit consecrato 1mo. Baculum benedictum. 2do. Annulum. 3tio. Librum Evangeliorum, dicendo, *Accipe baculum &c. ... Accipe annulum &c. ... Accipe Evangelium &c.* Atque hi quidem ritus sunt apud Latinos observari soliti: apud Græcos paulò aliter Ordinatio Episcopi perficitur.

Consentiunt omnes Theologi, im- 136 positionem manuum cum Oratione adjuncta esse materiam & formam Episcopatûs essentialem: at non omnes conveniunt esse totalem & adæquatam materiam & formam: nonnulli quippe addunt tanquam partem materiæ essentialem

lem expansionem Codicis Evangeliorum supra cervicem Ordinandi; & verba ista *Accipe Spiritum Sanctum*, tanquam partem essentialem: alii verò ea omnia ad partes duntaxat integrantes Ordinationis revocant. Certè neque in Scripturis, neque in monumentis trium priorum Sæculorum mentio aliqua occurrit hujus codicis Evangeliorum supra caput Ordinandi expansi, neque verborum istorum, *Accipe Spiritum Sanctum.* Hujus codicis Evangeliorum meminit quidem Concilium Carthaginense IV. an. 398. c. 2. Meminit & S. Joannes Chrysostomus, Hom. *De Legislatore.* An verò ritus iste ad essentiam, vel tantùm ad integritatem Ordinationis Episcopalis pertineat, etsi utrumque probabile sit, non invictô tamen argumentô demonstratur. Atque hinc in praxi omnes illi ritus necessariò sunt adhibendi.

137 Quod ad Ministrum spectat, Episcopi, quos nomine *Presbyterii* designat Apostolus 1. Tim. 4. v. 14. sunt Episcopalis Ordinationis Ministri. Ex Traditione autem Apostolica necesse prorsùs est Episcopum à tribus aut saltem duobus Episcopis ordinari, quorum unus Consecrans, alii duo Assistentes vocantur. Ita statutum legimus à Concilio Nicæno Generali I. an. 325. Can. 4. Concilium pariter Antiochenum an. 341. Can. 19. & Sardicense an. 347. Can. 5. id ipsum decernunt. Atque hic semper fuit Ecclesiæ usus, hæc perpetua & constans praxis.

138 An verò plures illi, aut tres Episcopi, ad Ordinationem Episcopalem ita sint necessarii, ut Episcopatus aliter collatus nullus sit, inter se non consentiunt Theologi: alii enim affirmant, idque innuere videtur Canon Antiochenus, qui, loquens de Episcopi consecratione, disertè pronuntiat *aliter, quàm per plures factam Ordinationem non valere.* Alii verò existimant numerum duorum aut trium Episcoporum non esse necessarium ad ordinandum Episcopum, necessitate Sacramenti, sed necessitate præcepti dumtaxat.

Subjectum verò Episcopatûs, ut jam 139 suprà in definitione Episcopatûs dictum, est Presbyter legitimè priùs ordinatus: Ecclesia quippe semper improbavit ac pro illicitis habuit Ordinationes factas per saltum, cùm scilicet omisso gradu inferiori transitus fit ad superiorem. Et quamquàm in aliis Ordinibus inferior gradus seu Ordo necessarius non sit ut superior validè conferatur, ac possit v. g. esse verus Presbyter, qui priùs ordinatus Diaconus non fuisset, non ita est in Episcopatu respectu Presbyteratûs; irrita scilicet & invalida foret Ordinatio in Episcopum illius, qui priûs ad Presbyteratum promotus non fuisset. Cujus quidem discriminis hæc ratio est, quòd, cùm Episcopus ex officio Corpus Christi consecrare debeat, necesse est illum ea priùs Ordinatione donatum fuisse, per quam confertur potestas consecrandi Corpus Christi. Atqui per Ordinationem Presbyteri potestas illa confertur, non verò per Ordinationem Episcopi: ista quippe supra potestatem Presbyterorum addit dumtaxat novum jus, novamque facultatem ad actiones quasdam hierarchicas exercendas: unde pares sunt Episcopi & Presbyteri in potestate consecrandi Eucharistiam; quamvis Episcopi legitimis de causis impedire possint ac suspendere Presbyteros, non quidem à valida, sed à licita executione seu exercitio suæ potestatis.

Quæ autem sint Episcoporum Officia, 140 & quibus dotibus instructos eos esse oporteat, quibus carere vitiis, accuratè ac singillatim exponit Apostolus tùm 1. Tim. 3. tùm Tit. c. 1. Et cùm Episcopi à Spiritu Sancto positi sint regere Ecclesiam Dei, eorum officii est ea omnia exequi, quæ ad regimen Ecclesiæ necessaria sunt, nempe docere,

ver-

verbum Dei prædicare, adminiſtrare Sacramenta, invigilare diſciplinæ ac morum ſanctitati, leges condere, ac contumaces pœnis canonicis coërcere; eorum, qui ordinandi ſunt, mores, vitæ inſtitutum, indolem, ſcientiam accurato examine tentare ac diſcutere. Vide Concilium Tridentinum Seſſ. 23. c. 1. de reform. & Seſſ. 24. c. 3.

141 Ex his omnibus infertur, Epiſcopos teneri ad reſidentiam, ipſis non licere tempore publicæ perſecutionis, aut calamitatis, qualis eſt e. g. lues peſtifera, fugere, ac oves ſuas periculo damnationis æternæ, ex defectu Saramentorum, exponere. Item Epiſcopos omninò in Eccleſia eſſe neceſſarios, quibus illa carere non poteſt, cùm ſine publico miniſterio ſtare non poſſit; nec ſine Epiſcopis conferri poſſit Sacramentum Confirmationis, & Ordinationis. Et certè Apoſtolus Act. 20. peculiares Epiſcopos certis Eccleſiis addictos alloquens, *Attendite*, inquit, *vobis*, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Ergo Epiſcopi per unamquamque Eccleſiam ſunt ex inſtitutione Spiritus ſancti; proindeque nulla eſt Eccleſia, quæ proprium Epiſcopum habere non debeat.

142 Denique varii ſunt Epiſcoporum gradus; nam alii ſunt Patriarchæ, eò quòd Duces ſint Patrum, qui ſub eorum ditione continentur, nempè Primatuum, & Metropolitanorum. Inter illos primum locum obtinet Romanus Pontifex, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, ac jure divino primatum honoris & juriſdictionis habet ſuper omnes ſimul & ſingillatim Eccleſias. Alii Primates dicuntur, qui Patriarchis quidem ſunt inferiores, ſed Metropolitanis ſuperiores. Metropolitani præſunt Provinciæ ſuæ Epiſcopis, & ab iſtis in foro contentioſo ad Metropolitanos provocatio fieri poteſt, &c. Porro illi omnes Ordinatione pares ſunt, ſola jurisdictione ac dignitate diſtincti.

Olim extitêre qui Chorepiſcopi dicebantur, erantque Epiſcoporum Vicarii, ſeu Suffraganei in pagis conſtituti; nam χώρα Oppidum ſignificat. Erat igitur Chorepiſcopus villanus ſeu vicanus aut oppidanus Epiſcopus, qui ruſticanas Eccleſias non ſine aliqua ab Epiſcopo urbis ſubordinatione ac dependentia gubernabat ac moderabatur. 143

Contentio eſt inter Theologos an hi Chorepiſcopi ſimplices duntaxat Presbyteri ſua Ordinatione fuerint aliqua ſuperiori auctoritate donati, an veri Epiſcopi. Veriſimile videtur Epiſcopos aliquando propter ampliſſimas Diœceſes, vel propter ſenium, vel propter perſecutiones Infidelium, & pericula itinerum, in pagis ac minoribus civitatibus Chorepiſcopos Epiſcopali charactere donaſſe, veluti Suffraganeos, quales hodie cernuntur in Germania noſtra, ubi quilibet Epiſcopus ſuum ſibi conſtituit Epiſcopali conſecratione donatum: imò. Id ſuadere videtur Can. 10mus. Concilii Antiocheni an. 341. in quo ſic habetur: *Ii, qui ſunt in vicis & pagis, qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem manuumve impoſitionem acceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent, earumque curâ & ſollicitudine gerendâ contenti ſint. Conſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment: nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe, & regio . . . fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis, cui ſubjicitur.* Nec obeſſe videntur hæc poſtrema Canonis hujus verba, *fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis, cui ſubjicitur.* Quamvis enim juxta Canones, Epiſcopus, 144

pus non conſecretur, niſi à tribus Epiſcopis, Ordo tamen Epiſcopalis non modò validè, ſed etiam, non obſtante lege illa Eccleſiaſtica, licitè in caſu neceſſitatis conferri poteſt ab uno Epiſcopo, quæ neceſſitas hîc facilè præſumitur; cùm tunc temporis difficiliùs eſſet tres Epiſcopos ex remotis locis in unum convenire ad Chorepiſcopum in pago inaugurandum. Vel dici poteſt, Canonem citatum ponere diſcrimen inter Ordinationem primarii Epiſcopi & Chorepiſcopi, quòd primarius Epiſcopus ex Canonum præſcripto conſecrandus ſit à Metropolitano, adjunctis duobus Epiſcopis aſſiſtentibus; Chorepiſcopus verò à ſuo primario Epiſcopo & duobus Chorepiſcopis ex locis adjacentibus.

2do. Id ſuadere videtur Epiſt. 39.
145 Nicolai Papæ I. (*i*) in qua Rudolpho Archiepiſcopo Bituricenſi, qui ad ipſum ſcripſerat Presbyteros & Diaconos à Chorepiſcopis ordinatos à quibuſdam Epiſcopis deponi, ab aliis verò denuò conſecrari, hiſce reſpondet: *Nos dicimus nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas conſecrationes; ad formam enim ſeptuaginta Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia? Sed quia ſacri Canones vetant, ne omnes ſibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuos videatur transferri, fiatque vilior honor Epiſcopi; decernimus nihil in hoc præter regulas ulteriùs fieri.*

Equidem Leo Papa III. qui Eccleſiam gubernavit ab an. 795. usque ad an. 816. annis 20. menſibus 5. diebus 7. ſcilicet, ad inſtantiam Epiſcoporum Galliæ, qui an. 800. de Chorepiſcoporum arrogantia apud ipſum conqueſti ſuerant, declaraſſe longè antè Nicolaum I. fertur, non eſſe Presbyterum, aut Diaconum, aut Subdiaconum, qui à Chorepiſcopis eſſet ordinatus; neque quidquam, quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſerint, eſſe peractum; ſed quidquid ex iis illicitè erat ab ipſis præſumptum, omnia à canonicè ordinatis Epiſcopis debere ritè peragi; *quia*, inquit, *quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum.* Quam declarationem amplexi ſunt Epiſcopi Germani & Galli an. 803. referturque in Capitulari Aquisgranenſi.

Sed ſi verum eſt, quod multi contendunt, non omnes Chorepiſcopos charactere Epiſcopali donatos fuiſſe, facilè eſt reſpondere Leonem III. & Concilium Aquisgranenſe loqui de Chorepiſcopis juxta eorum inſtitutionem ſpectatis, nempè ut Presbyteris, quibus vel Minores Ordines conferre non competit niſi ex privilegio, ut alibi dictum eſt; non verò de Chorepiſcopis illis, quos Epiſcopi quietis nimiùm amantes faciliùs Charactere Epiſcopali donabant, ut graviora Sacerdotii onera in eos conjicerent.

Verùm quidquid hac de re ſit, Chor- 146
epiſcopi univerſim abrogati fuiſſe videntur nono exeunte Sæculo; nulla enim poſterioribus Sæculis eorum fit mentio. Cauſa autem eorumdem abrogationis videtur fuiſſe partim ipſorum præſumptio, de qua frequentes erant Epiſcoporum querimoniæ memoratô Sæculô nonô: partim Epiſcoporum deſidia, & muneris ſui negligentia; ii quippe vel propriæ quietis nimiùm amantes, vel in aulis Principum frequentiores, Sacerdotii onera in Chorepiſcopos paſſim rejiciebant, ut teſtatur Hincmarus tom. 2.

(*i*) Nicolaus I. præfuit Eccleſiæ ab an. 858. usque ad an. 867. nempe annis 9. menſibus 6. diebus 20.

tom 2. Conciliorum Galliæ. At in ipsorum locum suffecti fuisse videntur Episcopi illi *in partibus*, ut vocant, *infidelium*, sub nomine Suffraganeorum.

147 *Solvuntur Objectiones*

contra Conclusionem.

Ob. 1mo. S. Paulus scribens ad Philippenses cap. 1. salutat *Episcopos & Diaconos*, nulla facta mentione Presbyterorum. Idem Apostolus Act. 20. vers. 17. a Mileto mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ, id est, Presbyteros seu Seniores, quos vers. 28. appellat *Episcopos positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei*. Ergo iidem erant Episcopi, qui Presbyteri.

Resp. Dist. cons. Idem nomine tenus, conc. Idem re seu Ordine & dignitate, neg. cons. Suprà ex S. Chrysostomo jam diximus, tunc temporis nomen Episcopi fuisse commune Presbyteris primi & secundi Ordinis; Seniores quippe erant omnes, saltem morum gravitate & dignitatis excellentiâ, quamvis potestate essent inæquales.

Respondet S. Epiphanius hæres. 75. n. 5. Apostolorum ævô vix alios fuisse quàm Episcopos, non simplices Presbyteros, *quia*, inquit, *necessitas Ecclesiæ eos non postulabat, cùm magna tunc multitudo* (populi Christiani) *non foret*; atque ad ministerium publicum sufficeret Episcopus cum Diacono. *Neque verò*, pergit, *ulla res est, quæ ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit; sed procedente demùm tempore, sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem accessio contigit.*

148 Inst. 1mo. In una civitate plures non erant Episcopi proprie dicti. Ergo quos Apostolus nominat Episcopos, erant duntaxat simplices Presbyteri.

Resp. 1mo. Non ex sola civitate Ephesina sed ex vicinis locis Apostolus advocavit Pastores. *In Mileto*, inquit S. Irenæus lib. 3. cap. 14. *convocatis Episcopis & Presbyteris, qui erant Ephesi, & in maximis civitatibus, dixit &c.*

Resp. 2do. Etiamsi supponatur Seniores ex sola civitate Ephesina ad Apostolum convenisse, isthæc ejus verba, *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, diriguntur ad hujus Ecclesiæ Senatum, cui præerat Episcopus; & ita Episcopus & Presbyteri positi erant à Spiritu sancto, ille quidem in primo jurisdictionis ordine, isti verò in secundo.

Inst. 2do. Idem Apostolus ad Titum 149
1. vers. 5. ait: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros.* Atqui Presbyterorum nomine simplices Presbyteri hîc intelligi debent, non autem Episcopi, aliàs sequeretur, quod falsum est, plures in eadem civitate sedisse Episcopos.

Resp. neg. illatum seu min. Cùm enim Cretæ Insula plures civitates contineret, necesse erat singulis singulos præfici Episcopos. Monet igitur Titum Apostolus, ut per civitates constituat Presbyteros, Episcopos scilicet, singulos per singulas; nondum de Presbyteris, qui non sunt Episcopi, sollicitus: eò quòd tunc plures haberi facilè non possent, & unus qui Episcopus esset cum adjuncto sibi Diacono ad omne Ecclesiasticum ministerium in illa adhuc Fidelium paucitate sufficeret, prout mox ex S. Epiphanio annotavimus. *Hîc*, ait S. Chrysostomus, *Episcopos intelligi vult*, Apostolus, *neque enim profectò vult insulam totam uni viro permitti, sed unicuique propriam curam ac sollicitudinem indici.*

150. Ob. 2do. Act. 15. Apostoli & Seniores pariter convenerunt ad terminandam motam controversiam de Legalibus, & pariter pronuntiarunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Ergo in exordiis Ecclesiæ par erat Presbyterorum & Episcoporum auctoritas.

Resp. Neg. conf. Quòd enim convocata fuerit tota Ecclesia Jerosolymitana, & Epistola Synodica omnium nomine scripta, demonstrat quidem perfectam omnium consensionem; sed non probat Presbyteros, seu Seniores tanquam Judices in hac Fidei controversia sedisse, & sententiam tulisse; namque ex sacro textu contrarium colligitur, refert quippe S. Lucas solos Apostolos in sanctissimo illo conventu fuisse locutos, & eorum sententiam omnibus placuisse.

151 Ob. 3tio. S. Hieronymus Comment. in cap. 1. Epist. ad Titum, & in Epist. 85. ad Evagrium, vel Evangelum totus videtur in eo esse, ut Presbyteros Episcopis pares & æquales efficiat. Priori locô docet 1mo. Eundem esse Presbyterum & Episcopum, easdem in utroque dotes requiri. 2do. Episcoporum à Presbyteris distinctionem ab Ecclesiæ exordio non fuisse, sed in Schismatis remedium institutam esse. 3tio. Communi consiliô Presbyterorum & Episcoporum primis temporibus res Ecclesiæ administratas fuisse, atque ad semina duntaxat Schismatum extinguenda factum esse, ut ad unum ex Presbyteris electum omnis Ecclesiæ cura devolveretur. 4to. Episcopos magis consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris superiores esse, cùm in commune Ecclesiam regere debeant.

Epistolâ verò 85. reprimit cujusdam hominis audaciam, qui Diaconos ipsis Presbyteris anteponebat; eadem occasione asserit 1mo. eosdem esse Presbyteros & Episcopos. 2do. In Schismatis remedium factum esse, ut unus Presbyter aliis præficeretur. 3tio. Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocasse, quem Episcopum nominabant: quomodò si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.

Resp. 1mo. Minimè suspectam hîc esse debere S. Hieronymi sententiam circa præeminentiam & superioritatem Episcoporum supra Presbyteros. Docet enim in Dialogo adversùs Lucifer. 1mo. Episcopos supremos esse Sacerdotes, in quibus summa residet potestas, sine qua tot forent Schismata, quot Presbyteri. 2do. Ad solos Episcopos pertinere jus dandi Spiritum sanctum baptizatis per Sacramentum Confirmationis. 3tio. Jus illud seu potestatem à Spiritu sancto esse. 4to. In Epistola 85. docet solos Episcopos jus habere alios Ministros ordinandi. 5to. Episcopos Presbyteris esse superiores probat exemplô Aaronis, qui supra alios Presbyteros haud dubiè eminebat. Et Comment. in Epist. ad Tit. cap. 3. ait Episcopos similes esse Moysi, Presbyteros verò septuaginta Senioribus à Moyse electis. Nemo autem negabit, Moysen illis auctoritate superiorem fuisse. Igitur

Resp. 2do. Ad 1mum. Dist. In mente S. Hieronymi, idem est Episcopus qui & Presbyter, nomine & appellatione, usu aliquo & exercitio jurisdictionis externæ, pro disciplina illius temporis, conc. Idem charactere, Ordine, Jurisdictione, ac radicali potestate, neg. *Eosdem*, inquit locô, qui objicitur, *Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant; proptereà indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est locutus Apostolus.*

Ad 2dum.

Ad 2dum. Dist. pariter: Episcoporum à Presbyteris distinctio non fuit ab exordio Ecclesiæ, sed in remedium Schismatis, quantùm ad aliquid, nempe usum & exercitium externæ jurisdictionis ac regiminis Ecclesiastici, in cujus partem ab Episcopis vocabantur Presbyteri, conc. Quantùm ad characterem, Ordinem, ac jurisdictionem ipsam in radice, origine, ac primaria institutione consideratam, neg. Et verò Episcoporum institutionem à Schismate duntaxat Corinthiaco velut ex occasione primùm factam esse, docere non potuisset S. Hieronymus, nisi aut crassæ historiæ Ecclesiasticæ ignorantiæ accusetur, aut supinæ contradictionis. Quomodò enim ignorasset S. Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum Episcopum creatum fuisse; S. Petrum Antiochiæ sedisse, atque priusquàm indè discederet, Evodium suum in ea Sede successorem ordinasse; S. Marcum Alexandriæ Episcopum fuisse, antequam exortum fuisset Schisma Corinthiorum?

Ad 3tium. asserit quidem S. Hieronymus olim communi consiliô Episcoporum & Presbyterorum Ecclesias gubernatas fuisse, quod fatemur: at non asserit communi & æquali potestate atque auctoritate, quæ duo longè à se invicem distant.

Ad 4tum. Ista S. Hieronymi verba Comment. in Epist. ad Tit. *Episcopi magis consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositione divina, superiores seu majores sunt Presbyteris*, plurimùm nobis favent: ex iis enim sequitur, partim Ecclesiæ consuetudine, partim dispositionis dominicæ veritate, quod jus divinum luculenter adstruit, Presbyteros esse minores Episcopis. Quod ibidem addit, *Episcopos in commune debere Ecclesiam regere cum Presbyteris*, ad jus divinum minimè referendum est: neque enim jure ac institutione divina statutum est, Presbyteros ab Episcopis vocandos esse in partem sollicitudinis, curæ & administrationis regiminis Ecclesiastici. Qua etenim libertate partem aliquam suæ auctoritatis concedere illis possunt Episcopi, eâdem & possunt totam ad se revocare, sibique solis reservare; cùm id sit disciplinæ, *& ab humana consuetudine magis, quàm à divina dispositione profluere* testetur ipse S. Hieronymus. Et verò S. Cyprianus sæpiùs in suis epistolis inculcat, se ab initio Episcopatûs sui decrevisse nihil prorsùs in tractandis Ecclesiæ suæ rebus moliri velle, nisi communicatô cum suis collegis consiliô: attamen non ita se ea lege adstrictum voluit, quin sine consilio Cleri sui, & non rogato plebis consensu, Aurelium Lectorem ordinaverit (*k*).

Ad ea, quæ ex ejusdem S. Hieronymi Epistola 85. num. 101. ad Evagrium seu Evangelum objiciuntur, patet solutio ex dictis ad 1mum. 2dum. & 3tium. atque eadem omninò est adhibenda responsio, scilicet, eosdem esse Presbyteros & Episcopos, nomine & appellatione, usu & exercitio jurisdictionis externæ, pro antiqua Ecclesiæ disciplina; non verò charactere, Ordine, jurisdictione ac radicali potestate. Nec obstat comparatio Imperatoris, qui ab exercitu; & Archidiaconi, qui à Diaconis eligitur. Ad hoc quippe unum tendit hujusmodi comparatio, ex Ordine scilicet Presbyterorum unum assumi, qui consecretur in Episcopum, sicut eligitur ex militibus Imperator, ex Diaconis Archidiaconus:

(*k*) Epist. 33.

modum verò consecrandi in Episcopum non exponit, nec attingit cit. loc. S. Hieronymus, cùm ad scopum suum seu institutum nihil conferret.

152 Ob. 4to. S. Augustinus Epist. 82. aliàs 19. ad S. Hieronymum, *Quanquam*, inquit, *secundùm honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyteriô major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymô minor est.* Ergo ex sententia S. Augustini nomine tenùs duntaxat, & ex Ecclesiæ usu solummodò, Episcopi majores sunt Presbyteris.

Resp. neg. cons. Enimverò S. Doctor scribit vocabulum Episcopi, non verò characterem Episcopalem, ex usu Ecclesiæ evasisse honoris titulum, scilicet ex quo decretum est, ut omnis Ecclesiæ cura, in cujus partem vocabantur Presbyteri, ad Episcopos devolveretur, cùm priùs Episcopi nomen non tam honoris, quàm officii & laboris esset, non solùm apud Christianos, sed etiam apud Judæos & Ethnicos teste Cicerone lib. 7. Epist. hæc ad Atticum scribente: *Vult Pompejus me esse, quem tota hæc Campania & maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectus & rerum summa referatur.*

153 Ob. 5to. Eutychius Patriarcha Alexandrinus qui Ecclesiæ Sæculô 10mô. floruit, memorat in Annalibus suis, nullum extitisse in Ægypto Episcopum usque ad Demetrium, cui Heraclas successit in Sede Alexandrina circa an. 234. ideoque Patriarchas illius Ecclesiæ per illud tempus fuisse consecratos impositione manuum Presbyterorum. Ergo &c.

Resp. Eutychium illum, si hæc scripsit, nullam fidem mereri. Nam 1mo. incredibile est sanctum Marcum, qui fundavit Ecclesiam Alexandrinã, eamque 19. annis rexit, solum ex Apostolis seu Apostolicis viris nullos ordinasse Episcopos, solamque Ægyptum tamdiu sponsô fuisse viduatam. 2do. Una est omnium Scriptorum vox, Anianum, qui sub S. Marco militavit, sancto huic Evangelistæ successisse in Sede Alexandrina. 3tio. Ex Tertulliano lib. contra Valentinianos, Valentinus erat Ægyptius, & ad hæresim defecit ægrè ferens, quod alter in Episcopatu ipsi prælatus fuisset, quod testatur S. Epiphanius hæresi 31. 4to. S. Dionysius creatus Episcopus Alexandrinus an. 248. scribit adversùs Nepotem Episcopum in Ægypto, ex Eusebio lib. 7. Hist. cap. 19. & in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud eundem Eusebium cit. lib. cap. 42. meminit cujusdam Cheremonis grandævi Episcopi Ægypti. 5to. Denique inauditum est in Ecclesia Episcopum inaugurari à simplicibus Presbyteris.

Ob. 6to. Concilium Carthaginense IV. ad quod convenisse feruntur 214. Episcopi, & cui subscripsit S. Augustinus, Presbyteros pares facit Episcopis; sic enim habet Can. 35. *Collegam se Presbyterorum esse cognoscat* (Episcopus). Et Can. 34. *Episcopus quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur.* Ergo &c. 154

Resp. neg. ant. Imò laudatus Canon 35. confirmat nostram sententiam, nedum destruit; ita enim Patres statuunt, *ut Episcopus in Ecclesia & in conventu Presbyterorum sublimior sedeat: intra domum verò Collegam se Presbyterorum esse cognoscat.* Itaque nomen Collegæ non semper significat omnimodam æqualitatem ut in duobus Consulibus, Imperatoribus, Episcopis, sed plerumque societatem duntaxat & collectionem hominum ad idem munus explendum, servato tamen sociorum

ciorum ordine. Sic Imperator exercitûs Centuriones & alios inferiores Præfectos vocitare ſolet ſocios, commilitones & collegas. Quòd autem Patres Carthaginenſes eo ſenſu nomen Collegæ acceperint, conſtat ex ipſo Canonis textu, in eo quippe decernunt Epiſcopo non ſolùm primam ſed & ſubliniorem Sedem, quoties celebris Presbyterorum conventus habetur, ut in Eccleſia vel Synodo: in privatis verò & familiaribus congreſſibus monent Epiſcopum, ne Presbyterum coram ſe ſedente ſtare patiatur, utpotè qui non ſit ejus miniſter, quemadmodùm Diaconus; ſed ſocius & collega in regimine Eccleſiæ, in qua præeſt iſte ſuô & inferiori modô; & ita in omni loco ei ſedere competit, &c.

155 Ob. 7mo. Conſtat ex benè multis Eccleſiaſticis monumentis Presbyteros in Conciliis ſimul cum Epiſcopis ſediſſe, & jus ferendi ſuffragii habuiſſe. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Presbyteri jus ſuffragii habuerunt in Conciliis, conſultandô, diſputandô, conc. definiendô, ſubdiſt. ex ordinatione ſua & innata poteſtate, neg. Ex licentia Epiſcoporum, iterum ſubdiſt. in rebus ad diſciplinam duntaxat ſpectantibus, & in Synodis Diœceſanis aut etiam Provincialibus, trans. In rebus fidei & Conciliis Oecumenicis neg. ant. Gregorius XIII. conſultus à Concilio Rothomagenſi annô 1581. an deciſivum, vel tantùm conſultativum ſuffragium haberent in Concilio Presbyteri, pro ultimo reſpondit. Idem definitum fuit in Synodo Burdigalenſi an. 1583. & ibid. an. 1624. Hinc etiam conventus Baſileenſis an. 1431. celebratus, inter alia momenta ex eo etiam velut latrocinium ab omnibus habitus eſt, quòd in illo ad ſuffragia ferenda ſimplices Presbyteri admiſſi fuerint.

§. X.

Utrum Singuli Ordines ſint Sacramenta. 156

Poſtquam ſingulorum Ordinum naturam & eſſentiam expoſuimus, ſupereſſe videtur, priusquam hanc primam hujus de Sacramento Ordinis partem finiamus, examinare & expendere num ſinguli iſti Ordines ita explicati Sacramenta ſint necne. Quod quanta poterimus brevitate perficiemus.

Certum eſt apud omnes Catholicos Presbyteratum eſſe Sacramentum, namque fide divina conſtat Ordinem generatim ſumptum eſſe novæ Legis Sacramentum propriè dictum, ut ſuprà demonſtravimus: atqui hæc Eccleſiæ definitio juxta communem Theologorum ſententiam non cadit in Ordines à Presbyteratu diſtinctos; nam præterquam quòd absque ulla cenſuræ nota Sacramenti dignitatem denegant alii Epiſcopatui præcisè ſpectato, ſeu prout diſtinguitur à Presbyteratu, alii Diaconatui, & multò plures Subdiaconatui ac inferioribus Ordinibus, Concilium Tridentinum Seſſ. 23. Can. 1. ita definit Ordinem eſſe Sacramentum, ut ſolius Presbyteratus expreſsè meminerit: *Si*, inquit, *quis dixerit non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile & externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi anathema ſit.* Igitur ſolummodò de Ordinibus à Presbyteratu diſtinctis hîc quæſtio inſtituitur.

157. Ac quidem 1mo. quantùm ad Episcopatum, in eo duo distinguuntur, potestas scilicet consecrandi Eucharistiam, quæ Episcopis & Presbyteris communis est, sub quo respectu, cùm ab Episcopatu Presbyteratus non distinguatur, non potest esse Ordo & Sacramentum à Presbyteratu distinctum. Et potestas conferendi Ordines aliaque officia hierarchica exercendi; de hoc Episcopatûs officio, an nempe sit Ordo verumque Sacramentum quæstio movetur.

Veteres Scholastici benè multi, ut Hugo à S. Victore, Magister sentent. Alexander Alensis, S. Bonaventura, Albertus Magnus, S.Thomas, Dominicus Soto & alii passim, qui in librum sentent. ad dist. 24. scripserunt, docuerunt Episcopatum non esse verum Ordinem ac Sacramentum à Sacerdotio distinctum, sed esse duntaxat extensionem characteris Sacerdotalis, ad novum officium, novam & ampliorem potestatem, ac dignitatem; ita ut Episcopus alius non sit, quàm Sacerdos perfectus, qui apicem Pontificatûs adeptus est: his præcipuè inducti momentis: 1mo. Quia ex communi Theologorum sententia septem tantùm numerantur Ordines. Atqui si Episcopatus esset verus Ordo ac Sacramentum, non septem sed octo numerari deberent. 2do. Ordinum distinctio & varietas repetitur ex habitudine seu respectu quem habent ad consecrationem vel dispensationem Eucharistiæ. Sed hac in parte nihil habent Episcopi supra Presbyteros. 3tio. Episcopatus non imprimit characterem distinctum à Sacerdotali; secùs enim posset quis consecrari Episcopus, quin priùs consecratus fuisset Presbyter; quod tamen falsum est. 4to. Si Episcopatus characterem imprimeret, tunc character ille esse superior, & Sacerdotalem includeret, sicut Sacerdotalis includit characterem Diaconatûs & Subdiaconatûs; ac proinde opus non esset charactere Sacerdotali, quod est falsum.

158 His tamen non obstantibus momentis communiter nunc tenent Theologi Episcopatum esse verum Ordinem & Sacramentum à Presbyteratu distinctum; idque probant 1mo. Quia nulla ipsi deest conditio ad verum Sacramentum requisita. 1mo. Signum exterius, impositio scilicet manuum. 2do. Institutio divina, *Posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 20. vers. 28. 3tio. Vis & efficacia producendi seu conferendi gratiam, *Admoneo te*, ait Apostolus ad Timotheum Epist. 2. cap. 1. vers. 6. *ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Et cap. 4. vers. 14. 1mæ. ad eundem Epistolæ, *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*, id est, interprete S. Chrysostomo, *Collegii Episcoporum*, *Neque enim*, inquit, *Presbyteri Episcopum ordinassent.* 4to. Ordo Episcopatûs characterem imprimit, quo fit, ut semel legitimè susceptus nunquam possit iterari. 5to. Denique jus & facultatem largitur alios ordinandi, sive Episcopos, sive Presbyteros; *Hujus rei gratiâ*, inquit Apostolus ad Titum, cap. 1. *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros.*

2do. Quia Episcopatus specialem confert potestatem, tùm dandi Spiritum sanctum per Sacramentum Confirmationis, tùm ordinandi alios Episcopos, & Presbyteros: unde maxima ex parte distinctionem Ordinis Episcopalis à Presbyteratu repetit S. Epiphanius hæres. 75. Ergo vel indè manifestum est, Episcopatum esse Ordinem ac Sacramentum naturâ & charactere à Presbyteratu distinctum.

Ad

159 Ad momenta verò Veterum Scholaſticorum pro contraria opinione Reſpondent, & quidem

Ad 1mum Etſi Epiſcopatus ſit Ordo & Sacramentum à Presbyteratu diſtinctum, non propterea augetur numerus ſeptenarius Ordinum, quia Epiſcopatus in Sacerdotio continetur tanquam ſpecies nobilior in ſuo genere. Atqui tota Ordinum diſtinctio & varietas, ut ſuprà expoſuimus, repetitur ex habitudine, quam dicunt ad Euchariſtiam conſecrandam vel diſtribuendam; qua in parte Epiſcopus plus aliquid non poteſt, quàm Presbyter: unde ſub eo reſpectu fingi non poteſt Ordo major vel ſuperior Sacerdotiô. Quia tamen hanc poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam variô modô participant Presbyteri & Epiſcopis, inde ſunt duæ ſpecies Sacerdotum. Presbyteri in conſecranda Euchariſtia, ſaltem quoad uſum, pendent ab Epiſcopis, qui poſſunt eis interdicere ne conſecrent, vel ſuſpendere ad tempus, vel præcipere ut tali locô, tali modô, tali tempore celebrent. Et præterea Presbyteri non ita habent hanc poteſtatem, ut eam aliis communicare poſſint; Epiſcopi autem & habent, & communicare aliis poſſunt.

Ad 2dum. Patet ex mox dictis reſponſio. Quia enim Epiſcopatus ſupra Presbyteratum nihil addit directè quantùm ad poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, idcirco non auget ſeptenarium Ordinum numerum: quia tamen indirectè ſaltem ac mediatè tendit ad Euchariſtiam, quatenus ſcilicet dat jus & poteſtatem ordinandi Sacerdotes, qui eam conſecrant ac perficiunt, idcirco verus eſt Ordo ac verum Sacramentum à Presbyteratu diſtinctum.

Ad 3tium. neg. anteced. Cùm enim Epiſcopalis Ordinatio ita ſit à Chriſto inſtituta, ut eſſentialiter debeat præſupponere Presbyteratum, inde fit, ut validè non poſſet quis in Epiſcopum conſecrari, qui priùs non eſſet Sacerdos ordinatus. Pendet ergo character Epiſcopalis à Sacerdotali, tanquam à præſuppoſito neceſſario eſſentiali. Non ita eſt v. g. de charactere Sacerdotali reſpectu Diaconatûs: poteſt enim validè ordinari Presbyter, qui anteà non eſſet ordinatus Diaconus, quia functiones Sacerdotales non pendent ex charactere Diaconatûs, ſicut pendent functiones Epiſcopales à prævio & præſuppoſito charactere Sacerdotali.

Ad 4tum. Character Epiſcopalis integer & perfectus eſt major Presbyterali, quia illum includit, & præterea unum alium; & hoc modô comparamus Epiſcopos cum Presbyteris, cùm alios dicimus eſſe ſuperiores, & alios inferiores. Fatendum tamen, quòd, ſi quis conferat characterem, quem habet Epiſcopus ex ultima ſua conſecratione, cum charactere, quem habet ex Ordinatione Presbyterali, tunc iſte major ſit intenſivè, quia ſumma poteſtas eſt, poſſe conſecrare Euchariſtiam; ille verò major ſit extenſivè, quia ad plura ſe extendit.

Quantùm ad Diaconatum Durandus 160
in 4. diſt. 24. q. 2. Cajetanus Tom. 1. Opuſc. tract. 11. Franciſcus Victoria, relect. 2. prop. 3. negare aut ſaltem dubitare videntur, num Diaconatus ſit verum Sacramentum, quamvis eum in Sacrorum Ordinum numerum recenſeant. At Novatores omninò inficiantur eum eſſe Ordinem, minùs Sacramentum; quia primos Diaconos nonniſi ad communium menſarum miniſterium, & eleemoſynarum diſtributionem inſtitutos fuiſſe contendunt: ajunt igitur Diaconatum eſſe profanum miniſterium ab hominibus inſtitutum ad temporalia Eccleſiæ bona adminiſtranda, eleemoſynas diſtribuendas, &c. Contra hos & illos ſit

161 CONCLUSIO.

Diaconatus est Ordo sacer & Sacramentum verum, quo initiati sunt septem primi Diaconi Act. 6.

Prob. Quia nulla conditio ex iis, quæ ad verum Sacramentum requiruntur desideratur in Diaconatu. 1mo. Est signum sensibile, in ipsa scilicet manûs impositione & oratione, Act. 6. v. 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* 2do. Est à Christo institutus. Unde enim ritum hunc usurpassent Apostoli, nisi edocti à Christo & jussi fuissent? Hinc S. Ignatius in Epist. ad Smyrnæos, *Diaconos*, inquit, *revereamini, ut Dei mandatum.* S. Hieronymus, in Epist. ad Evangelum (*l*) comparat Diaconos veteribus Levitis, qui procul dubio à Deo instituti fuerant. Et Dialog. adversus Lucifer. ait, Ecclesiam multis gradibus consistere, *Ad ultimum Diaconis, Presbyteris & Episcopis finitur.* Censet igitur Diaconos, perinde ac Presbyteros & Episcopos à Christo positos seu institutos fuisse. Concilium Tridentinum denique Sess. 23. Can. 6. definit *esse in Ecclesia ex divina ordinatione institutam hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, Ministris*, id est, Diaconis.

3tio. Diaconatus signum est in Religione Christi constans ac perpetuum. Ab ipso enim Apostolorum ævo ad hanc usque diem continuâ & nusquam interruptâ praxi per manuum impositionem & orationem ordinati sunt Diaconi, ad suum Episcopis & Presbyteris, cùm solemniter celebrant, exhibendum ministerium.

4to. Illi manuum impositioni & orationi, qua ordinantur Diaconi, annexam esse gratiæ promissionem, hæc demonstrant: 1mo. quia ipsamet manûs impositio cum oratione adjuncta nihil aliud est quàm divinæ gratiæ ac cœlestis Spiritûs invocatio. 2do. Dispositiones, quas in septem primis Diaconis postulârunt Apostoli, nempe ut essent *viri boni testimonii, pleni Spiritu sancto & sapientia*, denotant sic viam sterni debuisse gratiæ, quæ infundenda erat. 3tio. Stephanus statim ab accepta ordinatione dicitur plenus gratia & fortitudine, & statim Evangelium prædicavit, sicut Philippus Diaconus Act. 8. Apostolus verò in 1. ad Tim. c. 3. de Diaconis ait: *habentes mysterium fidei in conscientia pura.* 4to. Concilium Chalcedonense Can. 2. asserit, *Episcopum, qui propter pecuniam Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos ordinat, vendere gratiam pretio inæstimabilem.* 5to. Concilium Trid. Sess. 23. Can. 4. docet, Episcopum in conferendo Ordinis Sacramento non frustrà dicere, *Accipe Spiritum sanctum:* quæ verba Episcopus pronuntiat extendens dexteram manum supra caput illius, qui Diaconus ordinatur; *Accipe*, inquit, *Spiritum sanctum ad robur, ad resistendum diabolo ac tentationibus ejus.*

5to. Quis credat per manûs impositionem & orationem ad solum mensæ communis ac profanæ ministerium ordinatos ab Apostolis Diaconos fuisse? non ita profectò est: ad longè sublimius ac præstantius ministerium destinati sunt. Quapropter eos, cùm ordinantur, sic Pontifex alloquitur: *Provehendi, Filii Charissimi, ad Leviticum Ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Ec-*

(*l*) Seu Evagrium.

Ecclesiæ ascenditis; Diacônum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare. Unde S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos, n. 2. *Oportet*, induit, *Diaconos, mysterium Christi Jesu ministros, omni modô omnibus placere. Non enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri.* Idem asserit in Epist. ad Magnesianos, n. 6. *Quibus*, inquit, *commissum est ministerium Jesu Christi.* Vide etiam quæ suprà initiô Capitis hujus in Conclusione, item §. 7. disseruimus.

162 Obganniunt Novatores 1mo. Act. 6. ubi prima refertur Diaconorum institutio, nulla plane mentio fit sacri alicujus ministerii, sed tantùm curæ viduarum, eleemosynarum, quæ distribuendæ erant, & mensarum, non quidem cibos apponendo, sed providendo, ne quid ad vitam pauperibus deesset. Atqui certè ministerium istud merè profanum est, & sacrum excludere videtur, ut Apostoli ipsi declarare videntur Act. 6. *Non est æquum*, inquiunt, *nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Ergo &c.

Resp. Dist. maj. Fit tantùm mentio viduarum, & ministerii mensarum vulgarium, quæ etiam tunc temporis sacræ erant, conc. Vulgarium dumtaxat, subdist. tanquam ministerii secundarii, conc. Primarii, neg. maj. Utramque mensam, vulgarem & sacram, Apostolorum ætate conjunctam fuisse, patet exemplô Christi, qui in ultima Coena utramque conjunxit; & Apostolorum, qui utriusque mentionem faciunt, 1. Cor. 11. *Unusquisque*, ait Apostolus, *cœnam suam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* En communis seu vulgaris cœna. Pergit subinde Apostolus, & ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* En Sacra seu Eucharistica Cœna, quæ primarium erat ac præcipuum sacri ministerii objectum. Itaque Diaconi utrique mensæ ministrabant, vulgari quidem, tanquam minùs præcipuo ac secundario; sacræ, tanquam primario ac magis præcipuo ministerii sui objecto, nec primum ministerium excludebat secundum, imò supponebat, *Non est æquum*, dicebant Apostoli, *nos derelinquere verbum Dei, ut ministremus mensis.* Et re vera licèt Apostoli in Diaconos viduarum ac pauperũ curam rejecissent, non tamẽ penitùs hanc sollicitudinis ac ministerii partem à se removerunt. S. Lucas Act. 11. v. 12. testatur Paulum & Barnabam pauperum curam habuisse. Idem de se ipso & Barnaba declarat Apostolus c. 2. Epist. ad Galat. Idem commendat in Epistolis ad Corinthios.

Regerunt Novatores 2do. S. Hieronymus Epist. ad Evangelum, Diaconos mensarum dumtaxat ac viduarum ministros appellat. Ergo. 163

Resp. Dist. ant. Diaconos appellat mensarum & viduarum ministros, ab officio secundario, ut eorum superbiam frangat (in ea Epistola quippe, ùt suprà, cùm de Episcopatu ageremus, annotavimus, reprimit cujusdam hominis audaciam, qui Diaconos ipsis Presbyteris anteponebat) conc. Quasi ad id tantùm instituti fuerint, neg. ant. Et certè in laudata Epistola docet Diaconos hoc esse in Ecclesia, quod Levitæ erant in Synagoga. Atqui Levitæ in Veteri Lege erant selecti, ut Templo ministrarent. Ergo &c.

Circa Subdiaconatum & minores Ordines, utrùm scilicet sint Sacramenta, non levis est inter Scholasticos controversia. Affirmarunt S. Thomas in 4. dist. 24. & plures è Veteribus Scholæ Magistris, quos sequuntur Victoria, Petrus Soto, Bellarminus & alii ex Recentioribus benè multi, his præcipue ad- 164

ducti momentis. 1mo. Pro Subdiaconatu, quia teste Concilio Trid. Sess. 23. c. 2. hic Ordo ad majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur. 2do. Quia jam à multo tempore ut Ordo sacer habetur (*m*), & vasa sacra tangere Subdiaconis permittitur. 3tio. Quia lex servandæ perpetuò castitatis Subdiaconis imponitur. 4to. Etiam pro Minoribus: Quia nullus ex his Ordinibus, æquè ac Subdiaconatus, iterari potest. Ergo in quolibet eorum imprimitur Character. Atqui Character non potest imprimi nisi per Sacramentum. Ergo. 5to. Quia Christus instituit omnia ministeria necessaria, ut debita cum veneratione Eucharistia celebraretur. 6to. Quia ex Concilio Trid. Sess. 23. c 2. ab initio nascentis Ecclesiæ Subdiaconatus & quatuor Minores Ordines fuerunt in usu. Ergo à Christo sunt instituti.

165 His momentis non officientibus, negant Subdiaconatum & Minores Ordines esse Sacramenta ex Veteribus Amalarius lib. 2. de Officiis Eccles. c. 6. Yvo Carnotensis 2. part. Decreti c. 72. Gratianus Dist. 21. in Præfatione. Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramentis. Magister sententiarum lib. 4. dist. 24. Durandus. Et ex Recentioribus Cajetanus, Dominicus Soto, Navarrus, Vasquesius, Estius, & alii quamplurimi; adeò, ut hæc sententia videatur evasisse communior.

Illius hæc sunt momenta. 1mo. Quia Scriptura nihil de Subdiaconatu & Minoribus Ordinibus memorat, sed solummodò Episcopatûs, Presbyteratûs, & Diaconatûs mentionem facit. 2do. Quia neque illorum meminêre duorum priorum Sæculorum Ecclesiastici Scriptores. 3tio. Quia Veteres Patres & Scriptores tres dumtaxat Majores seu Sacros & Hierarchicos Ordines agnoscunt, Episcoporum scilicet, Presbyterorum, & Diaconorum. Ut S. Ignatius Martyr Epist. ad Smyrnæos. Concilium Antiochenum Sæculô 3tio. celebratum in Synodica adversùs Paulum Samosatenum Epistola, quam refert Eusebius lib. 7. Hist. c. 30. S. Hieronymus Epist. ad Evangelum seu Evagrium. S. Augustinus Epist. ad Valerium Hyponensem Episcopum. Synodus Laodicena Sæculô 4tô. Can. 21. Concilium Agathense an. 506. Can. 66. Quæ duo Concilia Subdiaconatum à Sacris Ordinibus excludunt. 4to. Quia Patres constanter docent in Ordinatione Sacra & collatione eorum Ordinum, qui Sacramenta sunt, dari Spiritum Sanctum per manuum impositionem, nunquam verò meminerunt dari per instrumentorum porrectionem. Atqui in Ordinatione Subdiaconorum & Clericorum inferiorum nulla fit manuum impositio. Ergo Patres non crediderunt in ejusmodi Ordinatione dari Spiritum Sanctum, nec proinde conferri Sacramentum. 5to. Quia verum Sacramentum debet habere Christum Auctorem, gratiam producere ex opere operato, atque eo ritu conferri, qui in Scripturis tanquam necessarius & essentialis refertur, ubi de Ordinatione Ministrorum sermo est, nempe impositione manuum & oratione, & quem proinde Patres, prout priori argumentô diximus, præscribunt. Atqui nihil tale occurrit tùm in Ordinatione Subdiaconorum, tùm Clericorum inferiorum.

Non 1mum. Tùm quia de illa per Christum facta institutione altum, ut 1mô. argumentô declaravimus, in Sacris litteris silentium: tùm quia Ecclesiastici Scriptores benè multi docent Subdiaconatum

(*m*) C. 9. *de ætate & qualit.*

tum ab Ecclesia crescente Fidelium multitudine, institutum fuisse. Ita Amalarius lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis c. 6. Petrus Lombardus lib. 4. dist. 24. litterâ I. Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 3. c. 13. Cardinalis Bona rerum Liturgic. lib. 1. c. 25. Urbanus II. in Concilio Beneventano an. 1031. Innocentius III. Cap *à multis.* ubi significat ab Urbano II. primùm Subdiaconos institutos fuisse. Quamquàm alii existiment ipsum Innocentium III. hujusce institutionis primum auctorem fuisse.

Non 2dum. Nulla enim promissio gratiæ annexa legitur Ordinationi Subdiaconorum & inferiorum Clericorum in ritu sive Græcorum, qui præter Lectoratum nullos minores Ordines agnoscunt, sive Latinorum. Non dicit Pontifex apud Græcos *Divina gratia, quæ semper infirma curat &c.* Neque apud Latinos, *Accipe Spiritum sanctum.* Neque etiam Subdiaconi & inferiores Clerici ordinabantur in Sanctuario sicut alii majores Ministri, sed extra Sanctuarium.

Non 3tium. Judice ipso Concilio IV. Carthaginensi an. 398. Can. 5. ubi ait: *Subdiaconus, cùm ordinatur, quia manûs impositionem non accipit &c.* Apud Græcos quidem Episcopus manus imponit, sed Goarius in Notis p. 247. observat illam manûs impositionem ceremonialem dumtaxat esse, non Sacram. Similiter nec Minores Ordines, ut patet, conferuntur cum manuum impositione &c. 6to. Solus Episcopus, ut c. 5. §. 2. hujus Tractatus ostendimus, est Minister Sacramenti Ordinis. Atqui Ecclesia potestatem simplicibus Sacerdotibus concedit conferendi Subdiaconatum & inferiores Ordines, ut loc. cit. conclus. 2dâ. probavimus. Ergo &c.

7mo. Denique Si Minores Ordines essent institutionis divinæ, Ecclesia, utpote fidelis custos depositi à Deo sibi crediti, illos cautè conservasset. Atqui Ecclesia Græca, ut suprà monuimus, à mille annis & suprà solum Lectoratum ex quatuor Minoribus Ordinibus retinet, nec propterea Latini cum Græcis congregati in Concilio Constantinopolitano Generali VIII. in Lugdunensi II. & Florentino, ullam litem moverunt, quasi Græci à divina institutione recederent. Ergo verisimilius est hujusmodi Ordines ab Ecclesia esse institutos, nec proinde habere rationem Sacramenti propriè dicti.

Hæc sunt Theologorum illorum argumenta, qui contendunt Subdiaconatum & cæteros inferiores seu minores Ordines non esse Sacramentum. Ad prioris sententiæ momenta autem respondent, & quidem ad 1mum. Ultrò cum Patribus Tridentinis agnoscunt Subdiaconatum esse Ordinem sacrum. At Concilium Trid. non asserit eum aut ab omni ævo relatum fuisse inter Ordines sacros, aut verum esse Sacramentum; contrarium porro se ostendisse ajunt. 166

Ad 2dum. Subdiaconatum quidem dici sacrum Ordinem, eò quòd speciali modô hominem Deo consecrat, ac devovet; nec inde inferri meritò posse illum verum esse Sacramentum, eò quòd vasa sacra tangere Subdiaconis permittatur.

Ad 3tium. Nec etiam meritò dici potest Sacramentum, quòd Subdiaconis lex continentiæ imponatur; nam olim Fideles propriis manibus etiam ipsum Corpus Christi attrectabant, quod Subdiaconis non tamen licet, quin propterea continentiæ legi adstringerentur. Presbyteratus utique est Sacramentum, & tamen ei apud Græcos non est annexa lex cœlibatûs, cùm Presbyteris Græcis, non improbantibus Latinis, liceat uti uxoribus suis ante Ordinationem ductis.

Nec apud nos Subdiaconi hac lege aſtricti ſunt. Denique Profeſſioni Religioſæ etiam adjuncta eſt lex continentiæ; nec tamen idcirco ipſa Sacramentum dici poteſt. Igitur lege continentiæ adſtringi Subdiaconos, ajunt, non propter Sacramentum, quod ſuſcipiunt, ſed propter ſtatûs, ad quem anhelant, dignitatem.

Ad 4tum. Nec Tonſura Clericalis ſemel validè collata, nec conſecrationes Eccleſiarum iterantur, etſi nullus in eis character imprimatur. Quod ergo tùm Subdiaconatus tùm minores Ordines repeti non poſſint, non inde eſt, quòd imprimant characterem, ſed quia ſic ſtatuit Eccleſia, & aliundè quæ ſemel Deo conſecrata ſunt, ſemper conſecrata remanent.

Ad 5tum. Negant Chriſtum omnia neceſſaria miniſteria inſtituiſſe, ut debita cum veneratione Euchariſtia celebraretur; ſi enim, inquiunt, pro variis miniſteriis aſſerendi ſunt diverſi Ordines, & diſtincta Sacramenta à Chriſto inſtituta, tunc in Oſtiariatu implicitè continebuntur quatuor Ordines, & in Lectoratu quinque; nam ex dictis Oſtiario competunt quatuor officia, & Lectori quinque; & ita erit penes Eccleſiam innumeros, ſub prætextu divinæ inſtitutionis, Ordines & Sacramenta multiplicare; quod nemo dixerit.

Ad 6tum. Etiamſi Concilium Tridentinum cit. Seſſ. 23. c. 2. dicat Subdiaconatum & quatuor minores Ordines, ſeu eorum ſaltem nomina, ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe, quod de Eccleſia Latina dumtaxat intelligi debet, nam in Eccleſia Græca non omnes illi Ordines ſunt in uſu; Non tamen inde ſequitur eos eſſe inſtitutionis divinæ; nec enim ea omnia, quæ ſemper in Eccleſia obſervata ſunt, à Chriſto inſtituta dici poſſunt aut debent, ſed ſolùm non eſſe facilè mutanda. Benedictio fontis Baptiſmalis, & exorciſmi in ritu Baptiſmi ſemper uſurpata ſunt; inde tamen nullus colliget, ea à Chriſto fuiſſe inſtituta.

PARS

167 # PARS SECUNDA.

De Hierarchia Ecclesiastica.

Hierarchiæ nomen ex Græco fonte descendit, nempe ex vocabulis ἱερος, Latinè *Sacer*, & ἀρχη Latinè *Principatus*, Hierarchia igitur idem est ac *Sacer Principatus*. *Principatus* autem est terminus relativus, significans ordinem ad subditos; nemo quippe sui ipsius Princeps aut Dominus dicitur. *In nomine Principatus*, ait Sanctus Thomas (*n*), *duo intelliguntur scilicet ipse Princeps & multitudo ordinata sub Principe.* In Hierarchia ergò alii sunt Principes, agentes ac divinas illustrationes in subditos refundentes; alii subditi & patientes, vel recipientes divina charismata, seu dona & gratias.

Principatus iste dicitur *Sacer* non præcisè ex eo, quòd sit à Deo institutus; nam omnis potestas, etiam civilis & politica est a Deo, Rom. 13. sed quia est in ordine supernaturali & gratiæ, totusque versatur in functionibus sacris; & scopus ejus ac finis est ad Deum adducere, & subditos Dei formes reddere.

168 Hierarchiæ nomen primò usurpatum invenitur in Opere cui titulus præfixus est: *De Hierarchia Cælesti & Ecclesiastica*, cujus Auctorem quamplurimi veteres Scholastici, ut S. Thomas, S. Bonaventura, Hugo Victorinus, post S. Maximum Martyrem, S. Gregorium Magnum, &c. ac Recentiores, constituunt S. Dionysium Areopagitam (*o*) à S. Paulo, prout S. Lucas Act. 17. memorat, Athenis ad fidem Christianam adductum. Quibus tamen obnuntiant non pauci Scriptores etiam Catholici contendentes hoc Opus prodiisse ad finem Sæculi IV. aut certè paulò ante damnationem Eutychetis in Synodo Chalcedonensi an. 451. his præcipuè adducti momentis. 1mo. Quia Eusebius Cæsariensis, & S. Hieronymus, qui accuratè veterum Scriptorum catalogum texuerunt, nullam hujusmodi Operis mentionem fecerunt. 2do. Quia nullus ex Patribus ante Sæculum VI. & ante annum Christi 532. Opus illud laudavit, quamvis luculenta suppeditet argumenta adversùs Hæreticos, quos impugnabant. 3tio. Quia illius Operis Auctor describit templorum ornatum, pompam & magnificentiam, qua Sacra mysteria peragebantur, Monachorum consecrationes, Catechumenorum & pœnitentium exercitationes, quæ ad ætatem Apostolorum, & S. Dionysii Areo-

(*n*) 1. p. q. 108. a. 1.

(*o*) *Areopagita* dictus est S. Dionysius ab *Areopago* foro Atheniensi, ad quod Judices, è quorum numero ipse erat, noctu convenire solebant, & sine lumine judicia exercebant, ne personarum acceptionem haberent.

Areopagitæ non videntur posse referri, cùm Christiani tunc temporis à Paganis exagitati simul convenire non solerent, nisi de noctu, & in ædibus privatis aut cryptis.

169 Verùm respondent Priores Doctores. Ad 1mum. Quantùm ad Eusebium, illius silentium affectatum nimis, ac dolô malô simulatum demonstrat S. Maximus Monachus adversùs Monothelitas agens, numeratque alios Scriptores antiquos, quorum nulla ab Eusebio mentio facta est, putà librorum Narcissi, Hymenæi, & aliorum, quos tamen eum latuisse, minimè credendum est, cùm locupletissimæ bibliothecæ Pamphili Martyris hæres sit factus. Sed nempe homo Arianus, fraude hæretica, ea prodere timuit, quibus hæresis Ariana validius sterneretur; hinc etiam Theognostum silentiô præteriit, quia nimirùm sciebat eum Arii dogmatibus adversari, cujus tamen lucubrationes citat S. Athanasius lib. *de Synodi Nicænæ decretis contra hæresim Arianam.* Nobilissimus ergo Theologus iste Eusebio incognitus esse non potuit, utpote quem Athenasius ad adstruendam Filii Dei divinitatem, ab Eusebio impugnatam, tam ipsi, quàm cæteris Arianis ob oculos ponit. Caducum igitur omninò videtur argumentum affectatum Eusebii silentium, quod adversùs Dionysii Opera in testimonium adducitur.

Nihil etiam mirum est, quòd S. Hieronymus lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, de Operibus Dionysii mentionem non faciat: constat enim, eos duntaxat antiquos Scriptores ab ipso collectos fuisse, quos recensitos ab Eusebio reperisset; superadditos autem eos, qui post Eusebii tempora claruêre: id quod ipsemet Hieronymus profitetur *præfat. Commentarii ad Deut.* Quamquàm, ut ut hoc non esset, tamen captu facillimum sit, hominem in angulo mundi latitantem, & ab hominum commercio remotum, uti de seipso testatur Hieronymus, Scripta Dionysii Areopagitæ latere potuisse, quæ Ariani quaquaversùm dispersi studiosè suppresserant, non secùs ac cæteros Auctores, à quibus sectæ suæ recens natæ cladem ominabantur. Lateurint itaque Dionysii Opera alicubi, seu Hæreticorum fraude, seu casu, velut alia multa, donec circa finem Sæculi 5ti. atque S. Gregorii Magni ætatem prodierint in lucem. Unde etiam habetur responsio ad 2dum. Scilicet, si quæ adversùs Hæreticos Sæculi 5ti. luculenta argumenta S. Dionysii Areopagitæ Scripta contineant, quorum tamen non meminerint Patres ejusdem Sæculi, id indè provenit, quòd eos hæc Opera latuerint.

Ad 3tium. Contendunt Priores Doctores, cæremonias, quarum Dionysius meminit, Apostolicis temporibus jam viguisse, quod tùm alii cum S. Basilio, tùm verò Baronius Tom. 1. Annalium, ubi *de Essenis* agit, eruditè evincunt. Quòd si tamen in illius Scriptis adnotata inveniantur, quæ Apostolorum eorumque Discipulorum temporibus omninò nondum in usu erant apud Ecclesiam, dicendum videtur, ea ab aliis deinceps S. Dionysii libris addita fuisse, nec tamen proindè totum Opus ei esse abjudicandum.

Verum quidquid sit de Auctore illorum 170
librorum, certum est ea magno in pretio fuisse habita, ex quo in lucem prodierunt; viri insignes ut S. Maximus Martyr, Hugo Victorinus, & alii, licèt numero pauci admodum (p) profundissimam eruditionem, quæ in iis continetur, suis Commentariis explanarunt; & ex iis Operibus deinceps SS. Patres, & omnes Theologi passim hauserunt, unde fidei dogmata confirmarent, & proprias lucubrationes ornarent, ac ditarent. Eorum nos vestigiis insistentes, ex divino Auctore isto, in Tractatione hac nostra, depromimus, quæ ad institutum nostrum faciunt.

Por-

(p) Dionysio enim & Thomæ Aquinati, vel unicè, vel præcipuè saltem eos, qui de Sacro Principatu extant, tractatus debemus.

171 Porro Hierarchiam Dionysius lib. de Hierarchia cap. 1. sic describit: *Est Hierarchia*, inquit, *meô judiciô, sacer Ordo, scientia & actio, quae ad Dei formitatem, quantùm fas est, accedit, atque ab insitis sibi divinitùs illustrationibus, proportione quadam ad Dei subvehitur imitationem.*

Tria ergo in Hierarchia includuntur, scilicet *sacer Ordo*, *Scientia*, & *Actio*. *Sacer Ordo*, juxta hujus loci Interpretes, est sacra potestas, seu auctoritas à Deo ordinata ad perficiendos subditos. *Scientia* sunt divinae illustrationis motiones, & alia charismata, quibus Hierarchia fit Deiformis, veluti speculum purissimum radios divini luminis excipiens, ut in subditos transfundat. *Actio* sunt functiones Hierarchicae, de quibus posteà agemus.

172 Hierarchiam porro ita descriptam in triplicem partitur Divinus Auctor noster, in *Cœlestem* nimirùm, seu *Angelicam*, *Legalem*, & *Ecclesiasticam*. De cœlesti sic habet Eccles. Hierar. cap. 1. *Quaedam igitur Angelorum est, & Archangelorum Hierarchia, & Supermundialium Principatuum, & Potestatum, & Virtutum, Dominationumque, & divinorum Thronorum, aut aequipotentium Thronis essentiarum, quas Theologia, attentè & semper circa Deum esse, & post Deum, tradit, Cherubim eas Hebraeorum voce, & Seraphim nominans, &c.*

De altera verò seu Legali Hierarchia, de qua proprius liber nondum repertus est, cap. 5. Eccles. Hierarchiae sic docet: *Post illam verò Cœlestem, Supermundanamque Hierarchiam, ad nostra quoque, summa illa Divinitas, sua sacratissima munera benignè derivans; cum parvuli (juxta eloquium) essemus, Legale indulsit Sacerdotium, obscuris verarum rerum imaginibus, & figuris, à primitivis suis remotissimis, signisque haud facilè penetrabilibus . . . congruam & viribus nostris convenientem lucem, ut imbecillioribus oculis, innocuè infulgens.* Quasi diceret, nempe post Hierarchiam Angelicam Sacrosancta Trinitas, quae triplicis Hierarchiae principium est, inter homines quoque Hierarchiam instituit, at imbecilli, velut parvulorum, intelligentiae respondentem, dum Populo Electo lege per Moysen data Legale Sacerdotium instituit, quod tamen totum nonnisi figura erat Legis novae veri Sacerdotii.

Demum ad nostram seu Ecclesiasticam Hierarchiam pergit Divinus Auctor noster, aitque: *Porro perfectiorem eruditionem Hierarchiam nostram Theologia vocat, impletionem hanc illius* (Legalis) *sacrumque appellans finem. Est autem tam Cœlestis illa perfunctio, quàm Legalis, quarum nostra haec, quòd sit media, utriusque extremitates apprehendit, societate mirabili: ac superiori illi quidem, Spiritualibus Intelligentiis, fulgoribusque communicat; inferiori verò, quae signis carnalibus variatur, perque ipsa sacratiùs promovetur in Deum.* Nempe quemadmodùm homo corpore constans ac Spiritu, medius est inter Angelum & brutum, ac de utroque participat, ita Hierarchia Ecclesiae, Legisque gratiae seu novi Testamenti, media est inter Angelicam, quae signis sensibilibus penitùs caret, ac inter Legalem Synagogae, in qua universa ferè per signa, atque figuras peracta sunt.

De hac igitur nostra seu Ecclesiastica Hierarchia, pro eo, quem initiô hujus Tractatus nobis statuimus, instituto, in praesentiarum duntaxat agimus. Neque enim est, quòd de Cœlesti Hierarchia praeter ea, quae, ubi de Angelis agebamus (q), de illa disseruimus, quidquam dicamus,

(q) Tom. 2. Theol. nost. Tract. 2.

dicamus, quibus si quæ deesse videantur, clariùs utique ea dispecturi sumus, ubi semel (quod faxint Superi!) in Beatorum illorum Spirituum societate æternam felicitatem adepturi sumus. Hierarchia verò Legalis, in qua summum principatum tenuit Moyses, jam diu præteriit & abolita est, nec non figura duntaxat fuit Hierarchiæ nostræ Ecclesiasticæ, proinde ex iis, quæ de hac dicturi sumus, facilè intelligi poterit, præterquam quòd in decursu Theologiæ nostræ, ubi nempè tulit occasio, non semel de illa locuti fuerimus.

173 Igitur Hierarchia Ecclesiastica ad Scholæ normam definiri potest, *potestas hominum sacrorum ordinata, debitum in subditos retinens principatum.*

Dicitur 1mo. *Potestas;* quia nullus principatus absque potestate, & agendi auctoritate.

Dicitur 2do. *Hominum* ad distinctionem à Cœlesti Hierarchia, quæ est potestas Angelorum &c.

Dicitur 3tio. *Sacrorum*, qui à Deo divinas illustrationes & alia charismata accipiunt, ut in alios refundant, quemadmodùm speculum priùs in se colligit Solis radios, quàm corpora vicina collustret atque incendat.

Dicitur 4to. *Ordinata*, quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt, Rom. 13. Is autem Hierarchicus Ordo est, ut media per prima, & infima per media in Deum reducantur: *Mos divinitatis hic est sanctissimus*, inquit Dionysius cap. 5. *per prima, secunda, & inferiora ad divinissimam suam lucem deducere.* Similia habet S. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum; quod Pachymeres illustrat similitudine lapidis magnetis, qui primum ferreæ catenæ annulum contingens, sequentes ad se trahit.

Porro in mirabili illo ordine & concentu tria observant laudati Auctores; primum: divinas illustrationes ac motiones à Deo in supremum Monarcham, eoque mediante ad medios, & ab his ad ultimos transfundi; Sic cum Moyse supremo Hierarcha veteris Hierarchiæ ore ad os loquebatur, & palàm, & non per ænigmata, sicut cum aliis Prophetis, Num. 12. & de plenitudine Spiritûs, quem in eo posuerat, in septuaginta Seniores seu Principes transfudit, Num. 11. Secundum: in superioribus Hierarchis, putà in Episcopis, contineri perfectiones inferiorum, non vice versa. Tertium: inferiores in Superiores omnem actionem Hierarchicam rejicere ac refundere, utpote qui, tanquam posteriores catenæ annuli, motum à prioribus accipiant; atque ita efflorescit sacer Ordo veluti unum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundùm mensuram uniuscujusque membri, ut loquitur Apostolus Ephes. 4. In Hierarchia Ecclesiastica hunc Ordinem gratia perficit; cùm enim homines ejusdem naturæ sint & perfectionis, ex iis Deus, quos vult, eligit ad sacrum Principatum, & pro dignitatis gradu diversam charismatum mensuram præparat.

Dicitur 5to. *Debitum retinens in subditos principatum.* Ut significetur ad Hierarchiam complendam, præter Ordinem & charismata necessariam esse potestatem jurisdictionis, sine qua non intelligitur Principatus; neque enim qui scientiâ vel sanctioris vitæ meritô aliis prælucet, & errantes salutaribus monitis ac fraterna correctione ad Deum reducere nititur, Principatum in eos exercet, nisi & auctoritate illos coërcere possit; cùm ejusmodi charitatis officia debeantur non solùm æqualibus, sed etiam Superioribus.

Porro, ut alibi jam dictum, duplex est jurisdictio, scilicet Ordinaria, & Delegata. Ordinaria est, quæ competit personæ, v. g. Episcopo, Parocho, ratione statûs ac muneris. Delegata, quæ conce- 174

conceditur ei, cui cura aliorum ex officio non incumbit, ut facultas prædicandi, confessiones excipiendi ei concessa, qui Pastor non est.

Aliquando delegatur jurisdictio simul cum dignitate, ita ut Delegatus vice delegantis constituatur, ut Prorex aut Proconsul in politicis, Vicarius Generalis, Officialis, Pœnitentiarius Episcopi in regimine Ecclesiastico: aliquando verò sine dignitate, ut si quis deputetur ad speciale quoddam officium, putà ad concionandum: hanc non constituere Hierarchiam docet S. Thomas 2. 2. q. 188. a. 4. ad 1. ubi *Dicendum*, inquit, *quòd ille qui operatur ex virtute alterius, agit per modum instrumenti. . . . Undè quòd aliquis auctoritate Prælatorum prædicet, vel alia ejusmodi faciat, non supergreditur discipulatûs, vel subjectionis gradum, qui competit Religiosis.* Et in Opusculo adversùs impugnantes Religionem, c. 4. *Quando*, ait, *Papa dat privilegium alicui Religioso, quòd possit prædicare, non propter hoc committit ei officium, sed magis officii executionem.* De ejusmodi delegatis intelligendum, quod habetur Digest. de Officio Delegati, *Delegatus non præest jurisdictioni, nec judicio.* Secùs dicendum de Jurisdictione delegata cum dignitate; hæc enim ad Hierarchiam sufficit; quia sic delegatus una moraliter est persona cum delegante, agitque ut ejus conjunctum organum, Archidiaconus v. g. ut oculus Episcopi, Vicarius Generalis, ut ejus manus, habentque singuli territorium & subditos.

175 Porro existere hujusmodi humanam & Ecclesiasticam Hierarchiam tanquā de fide definivit Concilium Trid. Sess. 23. Can. 6. his verbis: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit.*

Prob. Quia ex dictis tria Hierarchiam constituunt, nempe sacer Ordo, seu potestas divinitùs ordinata, charismata, & actio. Atqui isthæc tria reperiuntur in Ecclesia Catholica. Ac imo quidem Christus Ecclesiæ suæ Rex & Sacerdos, Caput & Pontifex, ut ait Apostolus *Hebr.* 8. legem ei dedit; primos ejus Sacerdotes instituit ordinavitque &c. Unum Discipulorum suorum aliis præfecit Præsulem, atque generalem summumque Vicarium suum constituit, eique supremam potestatem tradidit, Matth. 16. v. 19. his verbis: *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Per claves autem significatur jus regendi Ecclesiam, & peragendi omnia, quæ ad illius regimen spectant, ut ordinatio Ministrorum, absolutio à peccatis, Evangelii prædicatio, Scripturarum interpretatio, excommunicandi auctoritas; qui enim habet claves civitatis, vel domûs, Dominus est ut eam aperiat vel claudat, & quos voluerit, in eam admittat, vel ab ea excludat. Sicut ergo Regibus, dum ineunt possessionem urbium, dantur claves earum; *ita Christus*, ait S. Chrysostomus Homil. 55. *cùm Petrum universo terrarum orbi præponere disponeret*, ait, *tibi dabo claves Regni, non terrarum, ne terrena & temporalis putaretur illa potestas, sed Regni Cælorum.* Quæ expendens S. Gregorius lib. 4. Epist. 32. sic scribit: *Voce Dominica sancto & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa; ipsi quippe dicitur, tibi dabo claves Regni Cælorum.*

Item Joan. 21. eidem Petro dixit Christus Dominus usque ter *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, quibus verbis eidem summum Ecclesiæ Principatum non obscurè tradidit.

Cæteris verò Apostolis etiam dixit Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, &c.* Et Joan. 20. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, hoc est, eam potestatem, quam dedit mihi Pater, in vos transmitto, ut ipsemet exponit Matth. 28. v. 18. dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo* (& ex illa potestate) *docete omnes gentes.* Quibus verbis profectò & Ecclesiæ Principatum eis tradidit, quamvis subordinatum summique Vicarii ipsius Romani videlicet Pontificis Principatui subjectum.

2do. Divina charismata non desunt in Ecclesia Catholica, distinxit quippe Christus in ea & statuit diversos Ministros, ac Præsides, non sine multiplici gratiarum, virtutum, donorum, ac ministeriorum differentia. Ita enim docet Apostolus ejus 1. Corinth. 12. ubi, *Divisiones gratiarum sunt*, inquit, *idem autem Spiritus, & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem verò Dominus, qui operatur omnia in omnibus.* Et verò ex dictis, ubi de effectibus Sacramenti Ordinis egimus, per hujusmodi Sacramentum confertur Spiritûs plenitudo, & potestas ministrandi Sacramenta ad Fidelium sanctificationem instituta.

3tio. Apostoli & eorum Successores hactenus actus hierarchicos exercuerunt, & etiamnum exercent; qui actus ad hæc tria capita revocantur à Theologis, nimirùm subditos purgare, illuminare, & perficere; purgare enim in Ecclesiastica Hierarchia est Diaconorum, illuminare Presbyterorum, perficere autem Episcoporum, prout infrà ostendemus. Ergo re vera existit Hierarchia Ecclesiastica.

176 Objiciunt Novatores: Ibi non est Hierarchia, ubi non est sacer Principatus. Atqui in Ecclesia Catholica non existit sacer Principatus: enimverò Angeli ultimæ Hierarchiæ in homines Principatum exercent; mos enim divinitatis est, infima per media adducere, ut supra ex Dionysio dictum est; huncque mirum ordinem sensibiliter exhibuit Genes. 28. scala mystica à terra ad cœlum usque pertingens, cujus cacumini Deus erat innixus, videbanturque Angeli per eam descendentes, divinæ providentiæ mandata executuri, & ascendentes quasi hominum vota oblaturi, & rationem suæ administrationis reddituri; sunt enim Administratorii Spiritus in ministerium missi, nempè à Christo Domino, qui à S. Joanne visus est Apocal. c. 5. *tanquam agnus occisus habens cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram;* quia per illos cœlestes Spiritus, utpotè fortissimos & vigilantissimos, Christus ventilat adversarias potestates, tuetur homines, ac in via salutis dirigit, sicut scriptum est Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Isthæc autem ministeria hierarchicè, id est, eo Ordine & ea auctoritate perficiunt, quæ decent sacrum eorum Principatum: Ordine quidem; quia Angeli tertiæ Hierarchiæ Principes universaliora administrant in terris, præsunt Regnis, Provinciis, & toti Ecclesiæ, ut colligitur ex cap. 10. Daniel. v. 13. & 20. ubi alius vocatur Persarum Princeps, alius Græcorum, alius, nempè Michael, Synagogæ defensor perhibetur: Archangeli verò & Angeli singularia curant, illi majora, isti minora: Auctoritate etiam pollent, ut patet ex cap. 23. Exodi v. 20. & 21. ubi sic habetur, *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via . . . observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittet, cùm peccaveris, & est nomen meum in eo.* Ergo Angeli

tertiæ

tertiæ Hierarchiæ Principatum exercent in homines tanquam in sibi subditos, ac proindè nulla est Hierarchia Ecclesiastica.

Resp. neg. min. Ad ejus prob. dist. Angeli tertiæ Hierarchiæ (*r*) Principatum in homines exercent, quoad aliqua & modò invisibili, conc. Quoad omnia eaque præcipua, & modô visibili, neg. min. Sicut enim Deus, licèt Angelorum ministeriô ordinem suæ providentiæ exequatur circa res terrenas, nihilominùs constituit Reges & Principes, qui cum potestate temporalia administrant, jura suis subditis decernunt, bonos juvant ac promovent, protervos coërcent & puniunt: ita in ordine supernaturali Deus per Angelos homines quidem interiùs illuminat, monet, terret, ut fugiant à facie arcûs, & ad ipsum rectà tendant; atque eatenùs homines subditi sunt Cœlesti Hierarchiæ, sed propterea ex Apostolo Hebr. 2. *Non Angelis Deus subjecit orbem terræ futurum*, id est Ecclesiam, qualem prædixerunt Prophetæ futuram post Christi resurrectionem, nec illis tradidit claves Regni Cœlorum, & potestatem ligandi & solvendi, seu externum Ecclesiæ regimen: sed iis duntaxat, quibus dixit Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; euntes ergo docete, &c.*

177 Instat Calvinus lib. 4. Inst. c. 11. §. 8. Christus Principatum Apostolis & eorum Successoribus interdixit, ait enim Matth. 20. v. 25. & 26. *Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister . . . sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Ergo.

Resp. dist. ant. Christus Apostolis interdixit Principatum politicum, transf. Spiritualem, neg. ant. Verbis enim, quæ hîc opponuntur, docet Discipulos, quomodò uti debeant potestate sibi tradita, scilicet, ut in ea per charitatem Spiritûs serviant invicem, ut dicitur *Galat.* 5. & quidem Magistri & Domini sui exemplô, qui cùm in forma Dei esset, *Philip.* 2. formam servi accepit, in qua Discipulis etiam ministravit, quod expendens Eusebius Cæsariensis in Opusculo in illud, *Non veni pacem mittere*, sic scribit, *Si Dominus in figura servi propter dilectionem sponsæ; qui naturâ servi sunt, quam figuram debent assumere?* Principatum non deposuit, quod erat impossibile, sed quodammodò illud oblitus ad pedes Discipulorum se dejecit, & propter nimiam suam charitatem omnia sustinuit pro servorum salute; quia (ut scribit S. Gregorius Nazianzenus ad Tyanensem Archiepiscopum, ne in Monachos animadverteret, quòd saxis tantum virum etiam ad Altare sacrificantem impetiissent) *pœnam sumere, improbitatem coërceret; at injuriam tolerare, vel probitatem adducit, quod perfectiùs est.* Hinc S. Chrysostomus Homil. 1. in Ep. ad Tit. *Non tam ad principandum promovetur* (Titus) *quàm ad serviendum innumeris Dominis, qui contraria cupiunt semper & dicunt.* S. Gregorius quoque lib. 9. Epist. 38. *Per Episcopatûs onera*, inquit, *servus sum omnium factus.* Et quilibet deinceps Summus Pontifex suis epistolis ac mandatis hunc titulum præfixit, *Servus Servorum Dei*, absque tamen præjudicio spiritualis Principatûs, sed exemplô Apostoli, qui cùm omnium servum se fecisset, ut plures lucri faceret 1. Cor. 9. v. 19. scribit tamen 2. Cor. 10. v. 6. se in promptu habere ulcisci omnem inobedientiam.

(*r*) Ex dictis in Tract. de Angelis &c. c. 1. §. 7. Angeli tertiæ Hierarchiæ sunt Virtutes, Archangeli & Angeli.

Diximus in prima parte Responsionis hujus, *transeat*, absolutè enim falsum est Christum prohibuisse, ne Sacerdotium & Principatus politicus in una & eadem persona sociarentur, ut contendunt Acatholici, quia à Deo sic ordinatæ sunt, ambæ illæ potestates, ut mutuò se juvare debeant, procul ut sint contrariæ. Enimverò potestas Ecclesiastica auxilium politicæ aliquandò implorare cogitur adversùs subditos impios & contumaces, qui ejus imperium contemnunt; Scriptum quippe est Isa. 60. v. 10. *Reges eorum ministrabunt tibi*, & v. 12. *Gens enim & regnum quod non servierit tibi, peribit.* Et vicissim potestas politica indiget Ecclesiasticâ, ut cives non ad oculum Principi serviant, sed ex animo, & sicut Domino. Quid ergo obstat, quominùs duæ illæ potestates sub duplici titulo in una & eadem persona existant distinctæ & impermixtæ, cùm coadunatæ promptiùs se mutuò juvare queant?

178 Dices. Lex est per Apostolum promulgata 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Undè S. Bernardus lib. 2. de Considerat. ad Eugenium Summum Pontificem cap. 6. num. 2. *Ergo tu*, inquit, *& tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis: si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque . . . forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio.* Ergo Principatus spiritualis & politicus in una persona sociari nequeunt.

Resp. neg. conf. Namque 1mo. Apostolus per negotia secularia non intelligit regimen politicum, alioquin intempestiva admodùm foret ejus commonitio; cùm Timotheo & aliis Ecclesiæ Ministris vix per infideles tunc temporis liceret vivere, nedum imperare; sed monet duntaxat, ne pro conquirendis vitæ necessariis se implicet negotiis mundanis, putà mercaturâ, negotiationibus, &c. Sanctus Bernardus verò non improbat Principatum temporalem in Summo Pontifice, cùm Epist. 244. acriter perstringat Romanos, quòd vectigalia eidem debita sibi vindicarent, juberentque eum decimis & oblationibus contentum more prisco vivere. Hoc igitur unum contendit S. Doctor, nimirùm administrationem temporalem esse statui Summi Pontificis accidentariam, non à Christo, sed ab aliis concessam, non ut potestatem spiritualem impediat aut distendat, sed ut illi inserviat. *Esto*, ait, *ut alia quacumque ratione hæc* (temporalia) *tibi vindices; sed non Apostolico jure. Nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super omnes Ecclesias.*

Igitur de fide est, existere in nostra 179
nova Lege Hierarchiam Ecclesiasticam, quæ proinde tribus constat Ordinibus, nempe Episcopis, Presbyteris, & Ministris, prout Concilium Tridentinum suprà à nobis adductum definivit Sess. 23. Can. 6.

Quinam autem nomine Ministrorum, 180
qui etiam Hierarchiæ Ecclesiasticæ partem faciant, venire debeant, non convenit inter Scholasticos; Equidem omnes tuentur Diaconos hîc nomine Ministrorum venire; at an etiam eodem nomine intelligi debeant Subdiaconi & cæteri inferiorum Ordinum Ministri, disceptant inter se. Affirmant aliqui, quia, inquiunt, non solùm Diaconi immundos purgant, quatenùs eos ad sacra mysteria præparant, quod est actus hierarchicus, sed etiam Subdiaconi & inferiores Ministri, Subdiaconi scilicet & Lectores per lectionem Sacrorum librorum,

rum, Exorcistæ per orationes super energumenos. Sed negant alii, ajuntque Subdiaconatum & alios inferiores Ordines nonnisi impropriè & imperfectè dici posse hierarchicos. 1mo. Quia non sunt à Christo instituti, ut suprà ostensum est, cùm tamen Hierarchia Ecclesiastica ex Concilio Tridentino sit divina ordinatione instituta. 2do. Quia SS. Patres, ut S. Ignatius, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, tres tantùm numerant in Ecclesia Duces & Principes, scilicet Episcopos, Presbyteros, & Diaconos: *Non alios Judices domûs Israel expressè affirmat*, inquit S. Hieronymus in cap. 3. Michææ, *nisi Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.* Et in cap. 2. Epist. ad Titum, *Non solùm Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, ac scientia præcedant; verùm & inferioris gradûs Exorcistæ, Lectores, & Æditui, & omnes omninò, qui domui Dei deserviunt.*

181 Quòd si verò Subdiaconi & inferiorum Ordinum Ministri Fideles etiam purgare quodammodò dicantur, id agunt non certè ex institutione divina, sed ex institutione Ecclesiæ ministerialiter duntaxat & ad Diconi imperium, cujus vices gerunt: neque enim quos purgant, possunt punire, aut aliquid eis imperare, nisi quod à Diacono ordinatum & imperatum fuerit. Hinc lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 28. Diaconi habent excommunicandi potestatem, non verò inferiores Clerici, quos Ecclesia instituit in adjutorium Diaconorum. Undè imperfectè duntaxat & impropriè inferiores hi Ministri Hierarchici & Principes sunt, non propriè & perfectè; enimverò, ut dictum, nec à Christo sunt instituti, nec habent subditos, in quos vim coërcitivam exerceant, quæ tamen, ex dictis, ad Principatum propriè dictum requiritur. Equidem Diaconi etiam ordinati sunt ad ministerium Episcopo & Presbytero exhibendum, neque respectu eorum Principatum exercent, benè autem respectu inferiorum Clericorum, & plebis: nam Diaconi, quos Cardinales vocant, hoc est, qui ex Ordinatione sua adscripti sunt obsequio alicujus Ecclesiæ, cogunt inferiores Clericos, puniunt, Fidelibus Eucharistiam dispensant, & alia munia hierarchica obeunt, propter quæ *Præsides* expressè vocantur à Concilio Antiocheno Can. 1. Sed de Diaconis fusè egimus suprà (*s*), ubi vide.

Porro circa Hierarchiam Ecclesiasticam sic definitam & explicatam tria hîc nobis inquirenda veniunt, scilicet 1mo. Ex quibus personis ipsa constet. 2do. Quænam Scientia, & Charismata ad eam requirantur. 3tio. Denique, Quinam sint actus Hierarchici; quæ singulis Capitibus expedimus.

(*s*) Part. 1. cap. 7. §. 7.

CAPUT

182 # CAPUT PRIMUM.

Ex quibus perſonis Hierarchia Eccleſiaſtica conſtet.

EX quibus perſonis Hierarchia Eccleſiaſtica conſtet, per ea, quæ tùm part. 1. hujus Tractatus de ſingulis ſacris Ordinibus, tùm hîc primùm diſſeruimus, non operoſum eſt definire: nempè Epiſcopi ſeu Eccleſiæ Præſules, Presbyteri, & Diaconi præcipuè Hierarcharum nomine veniunt; tùm etiam Regulares & Religioſi plurimi Reipublicæ Eccleſiaſticæ Hierarchis adnumerandi ſunt, &c. de quibus omnibus ſingulis paragraphis agimus.

§. I.

183 ### *De Epiſcopis ſeu Eccleſiæ Præſulibus.*

Præſulis nomen genericum eſt, ordinemque admittit; nam Præſulum alii ſunt inferiores, ſuperiores alii; atque proinde illorum ſunt varii gradus, quos ſuprà part. 1. (*t*) ubi de Epiſcopatu agebamus, recenſuimus.

Igitur inter Eccleſiæ Præſules & Epiſcopos primum locum obtinet, ut ibidem annotavimus, Romanus Pontifex, qui & Epiſcopus Romanus dicitur, necnon Metropolita Latii, Primas Italiæ, Patriarcha Occidentis, Papa, ſive Pater Eccleſiæ univerſalis, totius Eccleſiæ viſibile Caput, ac Judex controverſiarum; quia Petri in Sede Romana Succeſſor eſt.

Enimverò S. Petro omnes iſti tituli, ac prærogativæ competebant: fuit enim primis Pontificatûs ſui annis Urbis Romanæ Epiſcopus; ſubinde nonnihil extra Urbis colles poteſtatem ſuam tanquam Metropolita in totum Latium exercuit; denique ultimis vitæ ſuæ annis, cùm jam auctus eſſet per totam Europam non minùs Epiſcoporum, quàm cæterorum Chriſtianorum numerus, Petrus officium Patriarchæ totius Occidentis geſſit, Caput verò totius Eccleſiæ ab ipſo Servatore, prout alibi dictum eſt, conſtitutus eſt. Eandem verò Eccleſiam poſt Petrum tenuêre Succeſſores ejus, Linus, Cletus, Clemens, &c. aliique, uſque ad Benedictum XIV. hodie feliciter regnantem, longa ac nunquam interrupta ſerie. Noverat nimirum Chriſtus, Petrum non ſemper Eccleſiæ præſtò futurum, tuncque defuturum quidem Eccleſiæ Caput, ac Judicem, niſi legitimum Succeſſorem haberet.

Cæterùm titulum *Summi Pontificis*, ut & *Papæ* Pontifex Romanus adeò ſibi proprium habet, ut alteri nulli attribui poſſit. Equidem Imperatores Gentiles ambitioſô conſortiô ſacra Coronis jungentes, & ipſi *Pontifices* appellari voluere; & mirum eſt, etiam primos Imperatores Chriſtianos, putà Conſtantinum, ejuſdemque Filios titulum *Pontificis*, Gentilium more, retinuiſſe; è quibus Baronio teſte ad an. 363. Gratianus primus nomen *Pontificis* reſpuit. *Papæ* nomen quod attinet, animadvertit Mabillonius noſter lib. 2. *de re diplomatica*, antiquitùs omnes quidem Epiſcopos citra diſcrimen *Papas* fuiſſe appellatos; nullum tamen eorum ſibimet titulum hunc attribuere auſum, niſi ſolum Romanum Pontificem. Addit præter eà, Summum Pontificem, imò & Archiepiſcopos ſubin' titulô Majeſtatis fuiſſe honoratos. Hæc de Summo Pontifice Romano Epiſcopo hîc dicta ſufficiant, de eo enim ſupremaque in univerſam Eccleſiam juriſdictione & auctori-

(*t*) Part. 1. c. 7. §. 8.

auctoritate ipsius egimus Tom. 2. Theol. nost. Tract. 3. ubi vide.

184 Summo Pontifici subjicimus *Cardinales*; hi enim ex quo jus ac potestas Romanum Pontificem eligendi ad sola Cardinalium suffragia redacta est, cœperunt administrationis Auctoritate cæteris Præsulibus anteponi, ita quidem, ut potestate Ordinis *Cardinales Presbyteri*, ac *Cardinales Diaconi Cardinalibus Episcopis* sint inferiores. Etenim Cardinalium est Pontifici, quem elegerunt, à consiliis esse; eosdem Romanus Pontifex *Fratres* appellat; hi in Comitiis publicis primi ab Romano Pontifice sedent, primi suffragium ferunt. Et sicut Episcopi sua habent Canonicorum Collegia, sic & in Ecclesia Romana Pontificiorum velut Canonicorum Collegium est Purpuratus & sacer Cardinalium Conventus, qui unum cum ipso Pontifice, velut Capite, corpus efficit.

185 Hæc quoad dignitatem, atque officium Cardinalium: jam de etymo, origine, habitu, numero, &c. eorum. *Cardinalis* itaque à *Cardine* dictus est; *Cardo* autem significat id, quod in negotio, vel causa præcipuum est. Sic Cardinalis dicitur etiam quasi *Principalis*. Atque ita Cardinalis Episcopus, hoc sensu, erit primarius & Principalis Antistes, Cardinalis Clericus Principalis Presbyter, Diaconus &c. Qua ratione Canonici quarumdam Ecclesiarum, ut Compostellanæ, Ravennatis, Aquilejensis, Mediolanensis, Beneventanæ, & Pisanæ *Canonici Cardinales* sunt nuncupati.

Originem autem, ac antiquitatem hujus dignitatis quod attinet, existimant nonnulli, eam à S. Gregorio, alii à S. Sylvestro esse repetendam. Quidam ad Marcelli, qui ab an. 304. usque ad an. 309. Ecclesiæ rebus præfuit, alii ad Pontiani, qui ab an. 231. usque ad an. 235. Ecclesiam gubernavit, referunt Sæculum. Eugenius IV. in epist. ad Archiepiscopum Cantuar. ait, Cardinalium nomen non fuisse initiò nascentis Ecclesiæ expressum, munus tamen & officium à S. Petro Apostolo, ejusdemque Successoribus evidenter institutum. Onuphrius existimat, Cardinales cœpisse à Cleti & Evaristi Summorum Pontificum ætate. Verùm Cardinalium nomen ante Sylvestri tempus non legimus, imò rarum adhuc id erat ea ætate; subin' Gregorii I. ætate cœpit id pluribus Episcopis frequentiùs tribui.

Distinguit autem Cardinales à cæteris Prælatis præcipuè Rubeus Galerus, 186 quem, auctore Ricciolo, in Concilio I. Lugdunensi in signum fundendi pro libertate Ecclesiastica sanguinis ab Innocentio IV. acceperunt, id quod Moreri in suo Dictionario ad an. 1245. refert. Distinguit prætereà Cardinales titulus *Eminentiæ*, qui Cardinalibus an. 1631. ab Urbano VIII. Papa est attributus; verùm titulus hic non ita his proprius est, quin & aliis quibusdam conveniat; docet enim Joannes Baptista Nani in Historia Reipublicæ Venetæ, ab eodem Urbano VIII. Electores Ecclesiasticos Romani Imperii, non secùs ac M. Equitum Melitensium Magistrum titulô *Eminentissimi* fuisse donatos.

Numerus Cardinalium, utpotè æqualis totidem Christi Discipulis, ultra 72. 187 non facilè excurrit, è quibus nonnisi sex sunt Episcopi, qui nimirùm sunt Suffraganei Romæ, cum dignitate Metropolitarum, uti Auctor est Henricus Le Bret in *Epitome Historiæ Universalis*. Sunt autem Episcopi, Ostiensis, qui Pontificem consecrat, Portuensis, Tusculanus, Sabinensis, Prænestinus, & Albanensis. Sequuntur Cardinales Presbyteri, Parochi nimirùm principalium Ecclesiarum Parochialium, eodem Le Bret auctore; & horum sunt 50. Demùm Cardinales Diaconi Beneficia aliarum

rum Ecclesiarum, quæ non sunt Parochiæ, possident, quorum plerumque sunt 14.

188 Superest, ut animadvertamus, quandonam potestas Romanum Pontificem eligendi ad Cardinales redacta sit. Enimverò primis quinque Ecclesiæ Sæculis electio Romani Pontificis per Clerum, populumque Romanum ad pluralitatem votorum stetit. Indè verò electionem eam diu turbârunt Odoacer Rex Herulorum, tùm Theodoricus Arianus, aliique Reges Gothorum; demùm & Reges Longobardorum; quin & ipsi Imperatores Romani, quibuscum Justinianus electum Romanum Pontificem coëgit Confirmationis titulô certam pecuniæ summam dissolvere. Abrogârunt quidem eam petitionem Constantinus Barbatus, Ludovicus Pius, aliique; at dein' annô nimirùm 963. recrudescente controversia Schismati subin' ansam præbente, tandem Cardinalium cœtus prævaluit, & Cœlestinum II. Innocentio II. per liberam & legitimam electionem substituit.

189 Sequuntur Patriarchæ, quos suprà part. 1. ubi de Episcopis & eorum gradibus sermonem terebamus, ita appellari diximus, quòd Duces sint Patrum, qui sub eorum ditione continentur, atque toti cuipiam Regno ampliori, quàm cæteri Præsules, potestate præfuerunt. In prima igitur Ecclesia post Christi Vicarium cæteras inter dignitates Ecclesiasticas Patriarchatus eminuit; quo titulo tres tantùm honorabantur Episcopi, Romanus nempè, Antiochenus, & Alexandrinus; quibus postliminiò auctoritate Concilii Nicæni accessit Patriarchatus Hierosolymitanus, dein' & Constantinopolitanus. Demùm auctoritate Summorum Pontificum Venetis, & Lusitanis dati fuêre Patriarchæ, &c. &c. Inter Patriarchas etiam locum obtinet Antistes Aquilejensis, qui Udinæ in Foro Julio residet ditionis Venetæ.

Hos inter Romanus semper primas obtinuit, eique cæteri, veluti supremo totius Ecclesiæ Capiti, se submiserunt, donec circa an. 856. Photius famoso illo Schismate Ecclesiam Græcam ab Occidente separârit.

Cæterùm quibus juribus Patriarchæ, tanquam Duces & Principes Patrum, olim gavisi fuerint, tradit Abbas Fuliensis in *Geographia sacra.* Videlicet 1mo. semper negotiis magni momenti, quæ intra fines Patriarchatûs sui occurrebant, decernere poterat Patriarcha. 2do. Episcopos suo Patriarchatui subjectos ad comitia poterat evocare. 3tio. A tempore, quo ab Imperatoribus Ecclesiæ fuit concessa libertas, poterat Patriarcha viciniores Metropolitas, & Episcopos ordinare, confirmare, deponere, aliisque pœnis Canonicis subjicere. At Patriarcha Romanus non modò in proprio Patriarchatu, sed & in aliis ordinare, confirmareque jam olim poterat. 190

Post Patriarchas recensentur Primates, 191 dein' Archiepiscopi, ac demum Episcopi, qui omnes in dignitate Episcopali, tanquam Apostolorum Successores conveniunt, licèt inæquali potestate, quam potestatis seu jurisdictionis inæqualitatem insinuavimus sup. part. 1. ubi de Episcopatu. Amplior nimirùm dignitas potestatis est Primatis, quàm Archiepiscopi, & hujus, quàm Episcopi. Sic Anicetus Papa decrevit, ne Episcopus crimen Archiepiscopi seu Metropolitani sui ad alium nisi ad Primatem, aut ad Sedem Apostolicam deferret. Quoniam autem Archiepiscopis in iis præcipuè locis, qui insigniores essent, sedes attributæ sunt, idcircò & *Metropolitæ* seu *Metropolitani* vocantur, velut qui eam Urbem incolere soleant, quæ Provin-

ciæ

ciæ cujusdam Metropolis, id est, mater ac caput est.

192 Insigne Archiepiscopi est pallium, quo illum Clemens I. ornavit, voluitque ut ei & crux præferretur. Quanquam Marcus (u) Pontifex usum Pallii etiam Episcopo Ostiensi, quòd ab eo Romanus Episcopus consecraretur, tribuerit. Imò Garnerius S. J. in Libro diurno Rom. Pontif. quem Notis illustravit, cap. 4. docet, Pallium Episcopis quoque olim missum fuisse. Henricus Le Bret jam citatus, ex Eusebio Cæsariensi primam Pallii institutionem S. Lino (x) tribuit, additque, quòd, sicut Ephod insigne erat auctoritatis Sacerdotum Synagogæ, ita Pallium sit in Ecclesia insigne potestatis Pastoralis. Describit dein' idem Auctor Pallium esse vestem summam candidam ex ovium lana, cui à fronte & à tergo duæ fasciæ pendeant, & quæ ad humeros circulum claudat, ac quatuor purpureis crucibus insignita sit. Ad Episcopos Chorepiscopi referuntur, de quibus cit. suprà loc. egimus. Possumusque dicere hanc antiquæ Ecclesiæ dignitatem hodiedùm adhuc vigere, prout ibidem jam annotavimus, quamvis sub alio nomine. Chorepiscopi namque nihil ferè diversi erant ab illis Episcopis, quos hodie vocamus *In Partibus*, quique sub tiulo *Suffraganeorum* eas Diœceses administrant, quarum Episcopi fors desunt. Existimantque aliqui institutionem Chorepiscoporum institutioni horum Suffraganeorum ansam præbuisse; his tamen præ illis quædam prærogativæ fuerunt indultæ.

193 Hîc disceptant Theologi an Episcopi jurisdictionem suam habeant immediatè à Christo, an verò mediatè, mediante scilicet Summo Pontifice. Utrimque afferuntur Patrum testimonia, & rationes. Nobis tamen ea sententia probabilior videtur, quæ docet, Episcopos immediatè à Christo suam jurisdictionem habere, ut qui successores sint Apostolorum, quos Christus ipse instituit Ecclesiæ suæ Principes; quemadmodum B. Petum totius & universalis Ecclesiæ suæ Caput constituit; cui Romanus Pontifex succedit; qui proindè à Christo immediatè jurisdictionem suam in universum Orbem Christianum habere dicitur. Illa tamen jurisdictio à Christo Episcopis immediatè concessa est cum subordinatione ad Summum Pontificem Petri Successorem, quemadmodùm Apostolos instituit cum subordinatione ad Petrum. Id apertè evincunt SS. Patrum testimonia, quæ hanc in rem adduci solent.

§. II.

De Presbyteris seu Sacerdotibus. 194

Non hîc ea repetemus, quæ suprà part. 1. cap. 7. §. 8. de Presbyteris disseruimus, sed id duntaxat animadvertimus ex Presbyteris alios esse, qui potestate jurisdictionis gaudent, alios, qui eâdem carent. Priores sunt Curati & Parochi; posteriores simplices & non Curati vocantur.

Circa Priores quæritur an sint institutionis divinæ; ad quod respondemus affirmativè. Et prob. 1mo. ex Scriptura Luc. 10. vers. 1. & 3. sic refert Evangelista: *Post hæc autem designavit Dominus & alios 72. & misit illos binos ante faciem suam ite,* 195

Tttt 2 ecce

(u) Præfuit Ecclesiæ an. Chr. 336. per menses 8. dies 22.
(x) Præfuit Ecclesiæ ab an. Christ. 67. usque ad 78.

ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Eo loci Chriſtus Apoſtolis jam in primo Ordine Hierarchiæ collocatis, Luc. 6. inſtituit ſecundum Ordinem, nempe Presbyterorum, ſeu Parochorum, qui hucusque ab exordio Eccleſiæ retentus eſt. Enimverò Apoſtolus 1. Tim. 5. meminit Presbyterorum, qui ſub Epiſcopo præerant: *Qui benè præſunt Presbyteri*, inquit verſ. 17. *duplici bonore digni habeantur.* Et verſ. 19. *Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Ergo Presbyteri illi ſubjacebant correctioni Epiſcoporum. S. Ignatius in Epiſtolis ſuis ſæpè commendat reverentiam & obedientiam erga Presbyteros: *Feſtinate ergo, dilectiſſimi*, inquit in Epiſt. ad Epheſios, *ſubditi eſſe Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis; qui enim iſtis ſubditus fuerit, Chriſto obedit, qui eis boc conceſſit.*

196 Cùm verò ita crevit fidelium numerus, ut in unum convenire non poſſent ſub Epiſcopo in pagis & majoribus Urbibus, ut Romæ, erectæ fuerunt Parochiales Eccleſiæ, ubi Synaxes, ſeu conventus celebrabantur ſub uno Presbytero, cui *Parochi* nomen inditum eſt. Nomen iſtud multi Græcum eſſe jubent, & ab eo verbo, quod Latinè idem ac *præbere* ſonat, derivatum volunt. Erant enim *Parochi*, qui Legatis publicè Romam miſſis ſalem & ligna præparabant, hoc eſt, qui rerum omnium copiam Legatis Regum, Principum, populorumque hoſpitiô receptis ſuppeditabant. Id quod annotavit Acron in illud Horatii lib. 1. Serm. Satyr. 5.

Tunc Parochi, quæ debent, ligna ſalemque. Unde horum inſtar Parochos eſſe dictos in Eccleſia, quidam arbitrantur, eò quòd ſint Sacerdotes auctoritate Epiſcoporum Eccleſiis præfecti, ut populis ſacrum Verbi Divini Sacramentorumque ad animos paſcendos pabulum ſubminiſtrent. Alii contrà exiſtimant, *Parochum* dici quaſi *Paræcum. Paræcus* autem Græcis eſt incola ſive habitator in loco. Ita Pomponius Juriſconſultus in leg. *Pupillus.* ff. *de verb. ſig. Incola eſt*, inquit, *qui in aliquam regionem domicilium ſuum contulit, quem Græci Paræcon nominant.*

A quonam autem & quando nomen hoc Presbyteris inditum ſit, non ſatis conſtat, ſicuti nec certum eſt, quonam tempore facta ſit *Parochiarum*, quæ eis *Parochorum* nomen præbuêre, erectio. Sunt qui velint initiô Parochiis occaſionem præbuiſſe diviſionem Urbis Romanæ in 25. regiones, factam à Marcello Papa, qui Eccleſiæ rebus præfuit ab anno 304. usque ad annum 309. quam diviſionem Evariſtus, qui ab anno 110. usque ad annum 119. & Dionyſius, qui ab anno 258. usque ad annum 270. Eccleſiam gubernârunt, jam priùs inchoaverant. Atque Presbyteros illos, quos laudatus Pontifex regionibus illis præfecerat, à munere Sacramenta, Verbumque Divinum adminiſtrandi, *Parochos* dictos eſſe (y). Sed quidquid ea de re ſit, certum eſt Eccleſias Parochiales cœpiſſe erigi longè ante quartum Sæculum; cùm uſus illarum eodem Sæculo ubique jam obtineret, ut colligimus ex S. Athanaſio Apologiâ 2. S. Hieronymô, lib. contra Luciferianos. Innocentiô I. epiſt. ad Decentium. Et ex Concilio Neocæſarienſi annô 313. Can. 13. in quo prohi- 197

(y) Alio nomine etiam *Curati* dicuntur, quòd nempe animarum Fidelium curam gerant.

prohibetur Presbyter ruralis ſacrificium in civitate offerre præſentibus Presbyteris Urbanis. Concilium Sardicenſe, ad quod 300. Epiſcopos conveniſſe refert S. Athanaſius, annô 347. etiam ſtatuit Can. 15. ut ſi Epiſcopus ruri negotiorum causâ diutiùs commoretur, die Dominica interſit Miſſæ Parochiali.

198 Porro conſtans eſt Veterum doctrina, Presbyteros illos ſucceſſores eſſe ſeptuaginta Diſcipulorum illorum, quos Chriſtus inſtituit Luc. 10. Ita, præter alios, docent Beda in cap. 10. Luc. Theodulphus Aurelianenſis, qui floruit tempore Caroli Magni, in Capitularibus. S. Thomas 3. p. q. 67. a. 2. ad 2.

Ex quibus tùm S. Scripturæ tum Veterum Scriptorum teſtimoniis ſic conficitur argumentum: Qui ſuccedunt Miniſtris à Chriſto inſtitutis, hi ſunt inſtitutionis divinæ; ideò enim jure divino Romanus Pontifex eſt Caput Eccleſiæ, quia ſuccedit Apoſtolorum Principi; & Epiſcopi ſunt divinitùs inſtituti, quia ſucceſſores ſunt Apoſtolorum. Atqui Curati ſeu Parochi ſuccedunt 72. Diſcipulis à Chriſto inſtitutis, & quibus jurisdictionem tribuit. Ergo Curati ſeu Parochi pariter ſunt inſtitutionis divinæ.

199 **Prob. 2do. ex ſæpè jam laudato Can. 6. Seſſ. 23. Concilii Tridentini, ubi definit in Eccleſia Catholica eſſe Hierarchiam divina Ordinatione inſtitutam, eamque conſtare Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. Atqui Presbyteri eo loci non poſſunt intelligi niſi Parochi; ſiquidem alii vel jurisdictionem habent, vel non: ſi primum, ejusmodi jurisdictio eſt delegata, ac proinde non eis competit jure divino, ſed ex Epiſcoporum beneplacito; nec ſufficit ad conſtituendum Hierarcham,** prout alibi diximus. Si ſecundum, ſubditos non habent, nec proinde Sacrum Principatum exercent.

Nihilque proindè obſtat, quin dicatur hæc Parochorum jurisdictionis poteſtas immediatè etiam à Chriſto eſſe; quia Parochi eo modo ſuccedunt ſeptuaginta duobus Diſcipulis, quo Summus Pontifex Apoſtolorum Principi, & Epiſcopi cæteris Apoſtolis: atque ideò Summus Pontifex à Chriſto immediatè habet jurisdictionem in totam Eccleſiam, & Epiſcopi in ſuæ Diœceſis Fideles; quia ſuccedunt, ille B. Petro, & iſti Apoſtolis; ſucceſſor enim ab eo habet jurisdictionem, à quo habuit prædeceſſor; aliàs non verè ſuccedit, ſed novo ordine inſtituitur. Ergo eodem jure Parochi jurisdictionem immediatè à Chriſto accipiunt, quo Summus Pontifex & Epiſcopi ſuam.

Hæc tamen Parochorum jurisdictio ea ratione limitata intelligitur, ut tamen Epiſcopi tùm in eos tùm in ſubditam plebem jurisdictionem retineant. Id evincitur ex Traditione & praxi univerſalis Eccleſiæ, in qua Epiſcopi ſive ante, ſive poſt Parochiarum erectionem, hucusque plebis ſubditæ curam geſſerunt. Apoſtolus in Epiſtolis ad Timotheum & Titum, qui procul dubio erant Epiſcopi, præcipit, ut ſollicitè curent non ſolùm quæ ſpectant Presbyteros & Diaconos, ſed etiam plebem, viduas, ſenes, juvenes, ſervos, &c. 200

S. Ignatius Epiſt. ad Trallianos: *Reveremini*, ait, *Epiſcopum veſtrum ſicut Chriſtum, quemadmodùm beati præceperunt Apoſtoli. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quàm is qui omni principatu & poteſtate ſuperior eſt, quoad homini licet pro viribus imitator Chriſti Dei factus? quid verò Sacerdotium aliud eſt,*

quàm sacer cœtus, *Consiliarii & Assessores Episcopi?* Atqui Consiliarii non medii intercedunt inter Senatûs Principem, & eos, quibus jus dicitur; sed ad istos Principis sententia directè & immediatè dirigitur.

Tertullianus lib. de Bapt. cap. 17. sic loquitur: *Dandi quidem* (Baptismi) *habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est.*

Canon 40mus. Apostolorum sic decernit: *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere prætextant; nam pro Domini populo, qui ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.*

Accedit ratio petita ex Tract. de Legibus. Scilicet Parochia non est Communitas perfecta, quæ sibi sufficiat, propriis regatur legibus, Magistratus seu Ministros sibi constituat, inobedientes redigat, & in contumaces justas pœnas decernat; sed se habet ad Diœcesim sicut pars ad totum, membrum ad corpus, cui unum præest caput, nempè Episcopus, influens in singulas corporis partes, quas per necessaria organa, id est, Parochos, movet ac dirigit. Undè perspicuum est, curam Episcopalem in omnes & singulos Parochianos influere, iisque immediatè præsidere, salva tamen Parochi auctoritate; utpotè Patris familias, quem Dominus constituit super familiam suam.

201 Quæ sint Parochi munia, quæ actiones, seu quid agere teneatur, jam sæpè cit. part. 1. cap. 7. §. 8. breviter annotavimus, atque etiam hactenùs dicta non obscurè innuunt. Omnia compendiô recenset Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 1. *de Reform.* his verbis: *Cùm præceptô Divinô mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplô pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, &c.*

De Diaconis non est, quod quidquam iis, quæ cit. part. 1. cap. 7. §. 7. de Diaconatu disseruimus, addere necessum sit.

§. III.

De Regularibus. 202

A Regula, sub qua vivunt, qui sæculo nuntium remiserunt, Monachi & Religiosi, appellantur Regulares.

Nomen Religiosi à Religione derivatur, significatque Dei cultorem. Quamvis autem nomen hoc sit omnibus commune, qui veram Religionem profitentur, atque ea ratione Christiani Principes vocentur Religiosissimi Principes; appropriatur tamen iis, qui abdicatis rebus omnibus, divino cultui se totos mancipant, solentque simpliciter & antonomasticè, inquit S. Thomas, appellari Religiosi, Græcè *Therapeutæ*, id est, *Dei cultores*; & *Ascetici*, Latinè *Supplices*, scilicet à præcipuo munere eorum, quod est Deum exorare.

Nomen verò Monachi Græcum est. Illud exponit Dionysius Hierarch. Eccl. cap. 6. dum *Monachos* ait appellari, quòd

quòd *rebus divisibilibus relictis, Monadi, id est, Divinitati soli placere contenderent.* Ergo nomina Religiosi & Monachi sunt prorsùs Synonima, idem significantia, & promiscuè usurpata à Veteribus. Enim verò juxta nominum interpretationem eo ipso, quo quis relictis omnibus soli Deo adhærere satagit, Religiosus est & Monachus. *Sancti Præceptores nostri*, inquit Dionysius noster, *divinis eos appellationibus sunt prosecuti; alii quidem Therapeutas* (hoc est, Dei cultores) *alii verò Monachos, cùm à sincero Dei famulatu atque cultu, tùm ab individua & singulari vita denominantes; quippe quæ sanctis rerum dividuarum conjunctionibus ipsos ad Deiformem quamdam unitatem, Deoque gratam perfectionem adducat.*

Ergo Religiosi aut Monachi nomen est divina appellatio, & titulus gloriæ & honoris; proindeque, ut B. Petri Apostoli verbis utamur, 1. Epist. cap. 4. Non erubescat frater in hoc nomine, nec ejus signa abscondat, quod sine peccato & cujusdam apostasiæ specie fieri nequit: sed si exprobretur ipsi ab infidelibus & mundanis hominibus, beatus erit; *quoniam quod est honoris & gloriæ super eum requiescit.*

203 Porro Quid sit status Monachorum seu Religiosorum fusè explicatum est in Tractatu de Statu Religioso Philosophiæ nostræ præfixo, quem consule. Hîc nobis duntaxat definiendum an Regulares, id est Monachi & Religiosi, ipsis Reipublicæ Ecclesiasticæ Hierarchis sint adnumerandi.

Equidem haud ignoramus non deesse Theologos, qui Regulares omnes veros Hierarchas esse inficiantur, fulti oraculis Summorum Pontificum & Conciliorum quorumdam pronuntiantium Hierarchiam ex Episcopis, Parochisque componi, velut veris Apostolorum ac Discipulorum Christi successoribus. Nihilo seciùs tamen & Concilia, & Pontifices, Regularium operâ usi, eos in Hierarchiam velut insertos voluêre, ea ferè ratione, quæ Regibus familiaris est, ut præter ordinarium exercitum, qui regiis stipendiis vivit, honoraria etiam vexilla explicentur, quibus se spontè, & sumptu suo ii addunt, qui plerumque prima in acie dimicant, & dummodò strenuè rem gerant, neque ab Regis auctoritate se subtrahant, parùm interest, quales ii sint, ut apud omnes in pretio & admiratione habeantur. Haud secùs præter eos, quibus de jure & ex officio salus animarum incumbit, habet Deus, Deique Vicarius selectas aliquas copias, quæ illis subsidiô veniant ad munera commodiùs cumulatiùsque implenda, quas eundem in finem quinquaginta Pontifices longa serie privilegiis, armisque instruxêre.

Itaque affirmant Sanctissimi æquè 204
ac doctissimi Pontifices Hierarchiæ rationem è Parabola Vineæ, quæ est Ecclesia, esse petendam; in ea primi primô mane dimittuntur in vineam, Reverendissimi Antistites; ab iis secundi venerabiles Parochi; nonâ autem & undecimâ horâ Religiosi, serò quidem ad opus vocati; quod tamen ita seriò exigunt, ut vesperè legitimis in operis habeantur, & pari, qua cæteri, mercede donentur. Equidem mercede hac haud indigna videntur, profusus ab Religiosis toto Orbe pro Fide & Ecclesia sanguis, sudor prodigè exundans, debellata hæresis, attritus error, schisma profligatum, magnis animis propugnata vindicataque libertati suæ Ecclesia, tot sacræ Conciones,

ciones, tot scripta librorum volumina, labores diu noctuque, foris domique pluribus jam Sæculis exantlati, obsequia toti orbi exhibita, opera tot animarum millibus impensa, vita demum ipsa ad Dei gloriam sub auspiciis tot Pontificum, aliorumque Ecclesiæ Præsulum inter sexcentas ærumnas exposita.

205 Atque in specie de Canonicis, Clericisque, ut vocant, regularibus nullus est dubio locus; cùm hi à Venerabili Clero, quantùm quoad potiores Actiones Hierarchicas nihil differre videantur, prætereà Ordine & Scientia, quibus etiam Hierarchia constat, ut initiô hujus partis 2. diximus, sunt instructi. Quapropter & Patribus Societatis JEsu Paulus III. in Bulla *Cùm inter.* ea privilegia attribuit, quæ nonnisi Hierarchis conveniant. Patet id ex duplici ratione, quam pro munifica largitione sua Pontifex affert, quarum una hæc est: *Ne gregi Dominico animarum cura desit, & illum antiquus serpens indefensum, & impræparatum invadat.* Altera: *Attendentes ad fructus uberes, quos in domo Domini hactenus produxistis, & producere non desinitis vestra Religione, integritate, scientiâ, doctrinâ, moribus, & experientiâ, &c.* Quibus sanè encomiis celeberrimæ hujus Societatis venerandis Patribus minimè assentatus est S. Pontifex, sed pro eorumdem nunquam satis commendando merito, quæ vera sunt, enuntiavit. Quis enim ignorat, quantis obsequiis & beneficiis Reverendi Patres isti Ecclesiam Catholicam sibi semper devinxerint ac etiamnum obstringant? Quàm formidandos se ipsius hostibus semper exhibuerint, ac etiamnum exhibeant? Quàm potentibus sanæ semper doctrinæ armis eos dejecerint? Quàm sedulo & infatigabili labore, concionibus, exhortationibus, aliisque Christianæ pietatis officiis, animarum saluti semper consuluerint, ac consulant? Quanta sollicitudine juventutem Christianam virtutibus, omnique tùm humaniorum, tùm liberalium artium, tùm denique sublimiorum disciplinarum scientiis imbuant, adeò, ut vix in Republica & Ecclesia Catholica sit alicujus nominis vir, qui sua eis non debeat? Quis posthæc eos Ecclesiæ veros Hierarchas non dicat ac veneretur?

Sed & universè Ordinum Mendicantium Hierarchiam ille solus inficietur, cui gravissimæ Romanorum Pontificum Constitutiones, seu ignotæ, seu neglectæ sint. Plurium aliarum locô juvat Bullam *Etsi Mendicantium.* à Pio V. datam inspicere; *Attendentes, ait Pontifex, etiam illos, qui onus diei, & æstûs tam in prædicationibus, quàm cæteris spiritualibus muneribus quotidiè sustinent omnia & singula privilegia* (Mendicantibus indulta) *auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus.* Dein' singillatim Gregorus IX. in Bulla *Cùm messis.* Fratribus Minoribus privilegia pleraque, etiam quoad Sacramentorum administrationem, indulgens, tres hasce suggerit causas: primam; *Cùm messis multa sit, operarii autem pauci, &c.* Alteram; *Quòd ministerium vestrum diligenter implentes, vos operarios inconfusibiles exhibetis.* Tertiam; *Utique spiritu vivitis, spiritu & ambulatis, de doctrina vestra, & conversatione flores & fructus proveniant gratiores.* 206

Clarissimum Ordinem Prædicatorum ipse S. Thomas Doctor Angelicus, unâ 207

simul

simul & alios Religiosos Ordinis Hierarchiæ Ecclesiasticæ vindicat tùm 2. 2. q. 187. a. 1. tùm Opuscul. 19. c. 4. cujus verba suô locô referemus. Porro sufficiat hîc memorasse, ex hoc celeberrimo Ordine prodiisse quatuor Summos Pontifices, Innocentium V. Benedictum XI. Pium V. & nuper Benedictum XIII. Cardinales, teste S. Antonino 3. part. tit. 23. c. 11. §. 1. usque ad annum 1458. viginti tres, Patriarchas sedecim, Archiepiscopos viginti quinque, Episcopos plurimos. Sunt ex hoc Ordine in Sanctorum numerum relati S. Petrus Martyr; S. Thomas, Doctor Ecclesiæ; S. Vincentius Ferrerius; S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus; S. Hiacynthus; S. Catharina Senensis; S. Pius V. &c. Fuerunt in hoc Ordine, teste Antonio Senensi Lusitano in *Bibliotheca Fratrum Ordinis*, Scriptores 651. decem, qui in omnes Biblicos libros Commentarios scripserunt; plures quàm 50. qui in 4. *libros Sententiarum*. Qui scripsêre Summas casuum conscientiæ, viginti, nimirùm ætate laudati Antonii Senensis; nam ab eo tempore modò enumeratis haud sanè pauci additi fuêre.

Cùm autem de singulis tùm Clericorum tùm Mendicantium Ordinibus speciatim agere non vacet, ad eorum, qui vitam Monasticam profitentur, Hierarchiam convertimur; præcipuè autem hîc Benedictinos nostros intelligimus.

208 Certè universim Monachorum Præpositos superiores de Hierarchia esse, auctor est S. Bernardus, dum cum Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Sacerdotibus, in eadem Hierarchia simul Abbates collocat. Ait enim lib. 3. *de Consid. Quòd, sicut illic* (in Cœlo) *Seraphim & Cherubim, cæteri quoque usque ad Angelos, & Archangelos, ordinantur sub uno capite Deo, ita hîc quoque sub uno Summo Pontifice Primates, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum.*

Facilè autem quivis intelliget, Sacro nostro Ordini Benedictino in Hierarchia Ecclesiastica non ultimum deberi locum, si cognoverit eidem *Ordinem*, *Scientiam*, & *Actionem*, quæ tria, ut alibi jam animadvertimus, Hierarchia seu sacer Principatus noster involvit, ex sua institutione competere. 209

Et 1mo. Ordo, quem hujus partis initiô sacram potestatem & auctoritatem à Deo ordinatam ad perficiendos subditos, ex Dionysio, seu auctore Hierarchiæ Ecclesiasticæ, nuncupavimus, eumque triplicem esse declarat Synodus Tridentina sæpè laudata Sess. 23. nempè Præsulum, Presbyterorum, & Ministrorum; Ordo, inquam, competit Benedictinæ familiæ vi sui instituti & Regulæ. Eum enim S. Benedictus Patriarcha & Legislator noster Ordini suo proprium esse voluit, dum cap. 62. Regulæ suæ *de Sacerdotibus Monasterii* sic præcipit: *Si quis Abbas sibi Presbyterum, aut Diaconum ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotiô fungi*; memor fortè mandati Syricii Papæ, qui præfuit Ecclesiæ ab anno 385. usque ad annum 398. quo Monachis injungitur, ut Sacris deinceps Ordinibus initiarentur, quò non sibi solis, sed aliorum quoque saluti vacarent. Quam in rem animadvertendum, ante ætatem S. Benedicti Superiores Monachorum Sacerdotem ab Episcopo accipere solitos fuisse, qui certis temporibus Sacrificium Missæ iis faceret, ac Sacramenta administraret, ut patet ex Vita S. Pachomii, c. 24.

Morem hunc proprios Sacerdotes assumendi S. Benedictus Legislator noster omni-

omninò recepit; atque mandavit Abbati, ut nonnisi è suis, qui Diaconatu, aut Sacerdotio initiarentur, Episcopo offerret. Ex quo illud conficitur, sacrum nempè Ordinem nostræ Benedictinæ Religioni proprium atque domesticum esse. Quod argumentum aliæ insuper confirmant rationes, gravissimaque auctoritas magnorum virorum, ut Cardinalis de Turrecremata; Rhabani, S. Ruperti Abbatis Tuitiensis, D. Petri Damiani; & aliorum.

2do. Eidem Religioni Benedictinæ competit etiam Hierarchica actio, quæ in functionibus Hierarchicis consistit, ut sunt Sacrificii incruenti oblatio, Verbi Divini prædicatio, sacrorum Mysteriorum multiplex administratio, laudum Divinarum per idoneos Ministros celebratio, &c.

Quemadmodùm enim S. Benedicti Alumni in Clericatu, ut ita dicamus, sunt nati, ita & ad vitam non contemplativam duntaxat, sed & activam vi institutionis suæ vocati videntur. Profectò vitam activam probant Apostolicæ ipsius S. Legislatoris nostri functiones; dum montem Cassinum ab idolis expurgavit, Cassinensem omnemque circùm vicinum populum Religionis Christianæ mysteriis imbuit, lustricoque fonte expiavit; idque non per vocationem humanam, sed per expressam revelationem divinam; id quod Gordianus in *vita S. Placidi* apud Surium 5. *Octob.* docet. Probant eandem vitam activam Augustinus, Mellitus, pluresque alii Angliæ Apostoli; Bonifacius Apostolus Germaniæ; de quo Othlonus in ejus *vita* apud eundem Surium 5. Junii sic habet: *Sicut Abraham ob fidei, obedientiæque meritum Pater omnium dictus est in Christo credentium, haud aliter S. Præsul Bonifacius omnium Germaniæ Incolarum Pater dici potest, pro eo, quòd illos verbô sanctæ prædicationis primitùs Christo genuit.* Probant alii non modò Germaniæ, sed omnium ferè gentium Apostoli, quorum vel syllabum texere nimis longum foret.

Et verò hujus Ordinis, id est, Benedictinæ familiæ, inquit Christophorus Brovverus, in vindiciis Ordinis S. Benedicti, *quis nescit hanc laudem esse propriam, ut ambiat meritis, & benefactorum gloriâ, quàm latè patet, orbem Christianum? etenim ut palmas taceam, & adoreas in reliquo Occidente partas, certè innumeras abstulit ex hac Germania nostra magna; cujus inferæ, superæ Regionibus, tot retrò Sæculis, hæc unica ferè dedit scientiæ, veræque pietatis Doctores, Duces, Magistros; unica, inquam, Boreæ populis citimis, extimis, in magna errorum nocte prætulit veri honestique facem. Scilicet hæc virtutis ardua via, & non mortali doctrinarum curriculo, communem mortalium mensuram supergressa, pondera tot cathedrarum ingentia suis humeris, velut Atlas cœlum, sustulit, excelsoque locô in Republica Christiana, non populis duntaxat & urbibus, sed Principibus terrarum Dominis, benè beateque vivendi leges & præcepta dedit.* Hæc de Ordine nostro Brovverus, quæ hîc attexere quidem placuit, non quòd propriam amemus laudem, eique inhiemus, sed ut eos duntaxat, qui ex malè intellectis S. Dionysii seu Auctoris Hierarchiæ Eccles. necnon quorumdam aliorum Veterum testimoniis, Ordinem hunc nostrum ac sacram Religionem ab actione Hierarchica arcere allaborant, ad mitiorem sententiam adducamus, intelligantque eidem Actionem hanc haudquaquam deficere.

3tio. Denique in Ordine Benedictino scientiam seu divinas illustrationes, & motiones, aliaque charismata, quæ, velut divini luminis radios, excepta in alios transfundat,

fundat, quæ scientia est tertia Hierarchiæ proprietas; hanc, inquam, scientiam in Benedictina familia nostra semper viguisse, ac etiamnum vigere amplissimam, nemo est, qui ignoret. Unde patet Benedictinos Ecclesiæ militantis veros esse Hierarchas. Atque ex modò deductis principiis nihil arduum erit cuilibet dispicere; quinam aliorum Ordinum in specie Monachi ad Hierarchiam in strictiore hoc sensu acceptam, pertineant.

210 Nec obstant testimonia Veterum Patrum, quibus Monachos ab Hierarchia seu sacro Principatu arcere videntur, & ad Statum subditorum & initiandorum reducere. Sic Dionysius seu Auctor Hierarch. Eccles. cap. 6. docet in consecratione Monachi Codicem Evangeliorum capiti ejus non fuisse impositum; ut isthac cæremonia discerent, Monachi officium esse, non alios adducere sed in se ipso subsistere. Et S. Hieronymus; *Monachus*, inquit, *non docentis*, *sed plangentis habet officium.* Item S. Chrysostomus Homil. 59. ad populum Antioch. *Verè lugendi domus est Monasterium*, *ubi saccus & cinis*, *& solitudo est*, *ubi risus non est*, *& sæcularium turba negotiorum*, *ubi jejunium*, *ubi stratum humi cubile.*

Hæc enim hi Patres de illis Monachis veteribus, & qui sua, vel etiam priori ad suam ætate vixerunt, elocuti sunt; nempè de illis veteribus Monachis, qui nec sacro Ordine erant initiati, nec proximorum saluti vacabant, sed ab hominum turba & colluvie semoti, quò liberiùs Deo servirent, durissimam in solitudine vitam egerunt: de quibus S. Justinus Martyr, qui annô 150. vel 165. pro Christo vitam posuit, seu quisquis est Auctor Responsionum ad quæstiones Christianorum, quæst. 110. *multos pios viros diu ante tempora sua extitisse*, ait, *qui in desertis locis eos quærerent*, *vitæ necessaria iis libenter suppeditaturi.* Non verò de posteriorum temporum Monachis, ut sunt Benedictini, qui vi suæ institutionis ad vitam non contemplativam duntaxat, sed & activam vocati sunt; apud quos proinde *Monachi* nomen non in sensu quodam generico, & abstractiva prorsùs ratione, sed certis circumstantiis, constitutionibus, legibusque alligatum respici debet, prout scilicet actionem vitamque activam etiam connotat.

Hæc etiam est Responsio S. Thomæ Aquinatis, qui actionem hierarchicam Monachis Benedictinis per se, vi ortûs sui ac Regulæ, quam profitentur, competere efficaciter tuetur; atque secùs opinantibus Bonifacium IV. Pontificem objicit 2. 2. q. 187. a. 1. Graviter invehitur Pontifex in eos, qui asserebant, *Monachos*, *qui mundo mortui sunt*, *& Deo vivunt*, *Sacerdotalis officii potentiâ indignos esse: sed omninò labuntur*, ait S. Thomas, *quod ostendit* (Bonifacius IV.) *primò quidem*, *quia non contrariatur Regulæ. Subdit enim* (idem Pontifex) *neque enim D. Benedictus Monachorum Præceptor almificus*, *hujusmodi rei aliquo modo fuit interdictor. Et similiter nec in aliis Regulis hoc prohibetur. Secundò improbat* (Bonifacius IV.) *prædictum errorem ex idoneitate Monachorum; cùm in fine capituli subdit; quantò quisque est excellentior*, *tantò & in illis* (*scilicet spiritualibus operibus*) *est potentior.* Ad tritas porro illas objectiones, quas primùm retulimus, scilicet, *Vita Monachorum subjectionis habet verbum*, *& discipulatûs*, *non docendi*, *vel præsidendi*, *vel pascendi alios. Et Monachus non docentis*, *sed plangentis habet officium.* Respondet ibid. *Ex verbis illis tantùm haberi*, *quòd Monachi ex hoc*, *quòd sunt Monachi*, *non nan-*

ciscantur potestatem talia faciendi, *non autem*, *quòd ex hoc*, *quòd sunt Monachi*, *habeant aliquid contrarium executioni talium actuum.* Et Opuscul. 19. cap. 4. *Papa*, inquit, *non destruit Ecclesiasticam Hierarchiam*, *cùm mittit Monachos ad prædicandum ; quod enim potest inferior*, *ut Curatus*, *concedere*, *committendo curam alicui*, *hoc potest ejus Superior*, *ut Episcopus & Papa.* Item : *Quæ sunt de jure positivo*, *relicta sunt sub Papæ dispensatione*, *ut est hoc*, *de quo quæritur*, *nempe mittere Monachos ad confessiones audiendas* Item : *Quidquid sancti Doctores & Canones videntur dicere de Monachis*, *quorum officium esse dicitur magis plangere*, *quàm docere*, *hoc dicitur de Monachis illis*, *qui nec Sacerdotes erant*, *nec Diaconi*, *sed solitarii & heremitæ ; non de iis*, *qui ad hoc vocati sunt*, *& qui non ex propria authoritate id faciunt*, *sed ex commissione Prælatorum* Item : *Optimè ait S. Dionysius Eccles. Hierarch. cap. 6. Summus Sacerdos per suos Ministros aut Sacerdotes purgans ac illuminans*, *ipse dicitur purgare & illuminare ; ergo & Episcopus eodem modo ; qui autem facit per alium*, *per se ipsum facere potest.* Et demùm : *Ab Apostolis septem Diaconi instituti fuerunt*, *qui erant in statu perfectionis ; nam relictis omnibus secuti erant Christum*, *ab horum exemplo omnes Religiones derivatæ sunt. Quemadmodùm ergo Apostolis Episcopi*, *Discipulis Parochi*, *sic Diaconis Religiosi successerunt.* Sed hæc de Religiosorum Hierarchia dicta sufficiant.

CAPUT II. 211

De Scientia & aliis charismatibus requisitis ad Hierarchiam.

Auctor noster Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 1. in sua illius definitione, quam hujus partis 2dæ initiô ex ipso retulimus, omnia Hierarchiæ Charismata ad Scientiā reducit eo sensu, quo Apostolus Rom. 3. v. 28. justificationem & omnia gratiarum dona tribuit fidei, non quam fingunt Novatores, sed quæ per charitatem operatur ; hoc est, scientiam in Hierarchia requirit S. Dionysius seu Auctor Eccles. Hierarch. non quæ inflet, sed quæ per charitatem inferiores ædificet, eosque simul illuminet, & divino amore incendat. Itaque charitas primum locum obtinet inter Hierarchiæ charismata, quia ex S. Thoma 2. 2. q. 184. a. 7. ad 2. *hoc ipsum*, *quod Clerici intendunt his*, *quæ pertinent ad proximorum salutem*, *provenit ex abundantia dilectionis divinæ.* Cùm autem cognitio ordine naturæ amorem præcedat, primô locô de scientia dicendum ; secundô de charitate.

§. Unicus.

De Scientia necessaria ad functiones Hierarchicas &c. 212

Certum est scientiam esse absolutè necessariam ad functiones Hierarchicas obeundas ; quia sine scientia, inquit Hugo, & actio reprehensibilis, & Ordo inutilis est ; ac proindè ignorantiam esse irregularitatem, circa quam nulla potest esse dispensatio, cùm sit juris naturalis & divini, ut constat ex cap. 4. Oseæ, *Quia tu scientiam repulisti*, *repellam te*, *ne Sacerdotiô fungaris mihi.* Christus Matth. 23. maledicit imperitis, qui

qui ad munia hierarchica obrepunt: *Væ vobis*, inquit, *duces cæci.* Et cap. 15. extremam perniciem iis prædicit: *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* In quibus verbis S. Augustinus advertit, non solùm qui ducitur, sed & qui imperitè ducit, simul in foveam cadere.

213 Quæ autem Hierarcham scire oporteat, evidenter deducitur & colligitur ex scopo Hierarchiæ & ex Hierarcharum officio: Scopus Hierarchiæ est subditos ad Deum adducere & Deificare: *Est autem hæc Deificatio*, inquit Auctor noster cap. 1. *Dei quædam, quoad fieri potest, assimilatio unioque.* Officium verò, sive actus viri Hierarchici est 1mo. subditos purgare ab ignorantia, errore, & labe peccati. 2do. purgatos illuminare, ac sublimiora docere, putà quæ sit mysteriorum nostrorum, v. g. Eucharistiæ Sacrificii, excellentia & virtus; quæ dignitas adoptionis filiorum Dei, & quàm eximium donum gratia sanctificans, communicatioque Spiritûs Christi, ex quo procedere debent justorum opera. 3tio. Illuminatos perficere, quod Episcoporum proprium est, qui ut plenitudinem Spiritûs sancti conferunt per Sacramenta Confirmationis & Ordinis, demonstrare debent excellentiorem viam iis, qui hujusmodi Sacramentis sunt vel initiandi, vel jam initiati. Atqui Hierarcha subditos purgare non poterit ab ignorantia legis, & à peccato, quo legem prævaricati sunt, nisi ipse legem noverit, quia per legem cognitio peccati: *Peccatum non cognovi*, ait Apostolus Rom. 7. *nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

Itaqe 1mo. sciat necesse est Legem 214 Evangelicam; tùm quia *omnis Scriptura*, ex Apostolo 2. ad Tim. 3. *divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus:* tùm quia Deus universum orbem judicabit secundùm Evangelium, ex eodem Apostolo Rom. 2. vers. 16. Sed cùm indocti & mundani sacras Scripturas depravent, & ad sua desideria detorqueant, 2. Petr. cap. 3. vers. 16. ne subditi insipientium errore trahantur, accipiat Hierarcha sacrarum Scripturarum interpretationem tùm ex Canonibus Ecclesiæ, tùm ex SS. Patrum Scriptis, tùm ex probatissimis earumdem Interpretibus ac Theologis.

2do. Præter legem divinam sunt aliæ leges humanæ, tùm Ecclesiasticæ, tùm Civiles, quæ non astringunt nisi quoddam certum hominum genus & statum, nempè vel Clericos, vel Nobiles & locorum Dominos, vel Magistratus, vel Artifices, Mercatores, &c. quarum notitia veris Hierarchis eò magis est necessaria, quo liberiùs & frequentiùs in eas peccant subditi, aliorum exemplis seducti. (z) Quot in Artificibus peccata contra leges ipsis proprias? Quot monopolia, fraudes & usuræ in Mercatoribus velatæ nomine venditionis, societatis, &c.? Quot injustitiæ in foro? Quàm gravia delinquunt plures è Beneficiariis, ac Clericis & locorum Dominis? Ab his noxis singuli purgandi sunt curâ Hierarchæ. Quomodò verò purgabit, si ignoret leges singulis statibus præscriptas? Quàm ergo immensa debet esse Hierarcharum scientia, cùm scire tenean-

(z) Vide Tractat. 4. Tom. 1. Theolog. nostr. ubi de auctoritate Juris utriusque Consultorum &c.

teneantur, quæ ſunt officia omnium ſubditorum! certè illius immenſitatem exhibent ea omnia, quæ hactenùs in noſtra Theologia tractavimus, ut quæ eo unicè colliment, ut verum Hierarcham munera ſua doceant, atque ad eam, quæ ipſi neceſſaria eſt, ſcientiam comparent.

Ut ut verò hæc ſcientia purgandis ſubditis ſit neceſſaria, in mente tamen Apoſtoli Hebr. 6. non continet niſi prima diſciplinæ hierarchicæ elementa. *Intermittentes*, inquit, *Inchoationis ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Doctrinam, qua expellitur ſubditorum ignorantia, errores fugantur, & ſordes peccati, mediante pœnitentia, eluuntur, inchoationis ſermonem appellat Apoſtolus; quia inde incipit actio Hierarchica. Sed quemadmodùm agricola, evulſis noxiis & inutilibus herbis non quieſcit, cùm ideò tantùm ab iis agrum purgaverit, ut in eo vera & proficua grana ſeminaret; ita in Ordine Hierarchico ſubditi purgantur, ut illuminentur: illuminantur verò, ut perficiantur, &, ut ait Dionyſius, Deificentur per intimam cum Deo unionem, ad quam, velut ad ſcopum, Hierarchia pro viribus nititur.

215 Secunda igitur actio Hierarchica, priore præſtantior, eſt illuminare ſubditos à vitiis jam purgatos: illuminantur autem, cùm Hierarcha illos ad virtutes exercendas inſtituit, docet quæ ſint earum virtutum officia, quantùm virtutes Chriſtianæ diſtent à virtutibus Philoſophorum; quomodò cavendum ab amore ſui, ab innata ſuperbia & cupiditate, quæ obrepunt ſub velamine pietatis: undè *ſæpè opus noſtrum cauſa damnationis eſt*, inquit S. Gregorius, *quod profectus putatur eſſe virtutis.*

Subditos ſic illuminatos & in virtu- 216
te inſtitutos excipit tertia actio Hierarchica, in qua totus eſt Hierarcha, ut illos perficiat in cognitione & amore Dei; adducatque ad intimam cum Deo unionem.

Verùm nemo ad tam ſublime magiſterium idoneus eſt, niſi ſit ipſe illuminatus & perfectus; nec enim lucerna lucebit, niſi fuerit accenſa; nec ſpeculum radios ſolis per reflectionem transmittet, niſi eos in ſe collegerit. Ergo oportet ut Hierarcha eas virtutes, Deique amorem & dilectionem, quas ſubditis inſtillare conatur, & ad quas exercendas eos inſtituit, primò in ſe exhibeat. Fruſtrà vix enim non aget, niſi ſanctitatis, charitatiſque divinæ, atque cum Deo unionis, ad quam ſubditos adducere allaborat, exemplô ipſis præluceat; cùm, ex omnium in virtutum arte peritorum ſententia, nullum ad virtutes charitatemque colendas potentius illicium inveniatur & ſit, quàm ipſarum virtutum charitatiſque exemplum ab iis, qui præſunt, ſuis ſubditis exhibitum.

CAPUT III. 217

De Reliquis Actionibus ſeu Actibus Hierarchicis.

Ex dictis conſtat Hierarchiam totam eſſe ad ſubditos purgandos, illuminandos & perficiendos. De quibus purgationis, illuminationis, & perfectionis actionibus ſeu actibus jam multa tùm in hocce Tractatu tùm aliis Theologiæ noſtræ Tractatibus diximus. Unum igitur hic ſupereſt examinandum, de quo Catholicos inter & Novatores exiſtit controverſia; nùm ſcilicet hujus-

modi

modi actus solùm exerceantur, ut illi contendunt, docendo, exhortando, & Verbum Dei prædicando; an verò etiam cum imperio & potestate puniendi rebelles pœnis & censuris Ecclesiasticis, ut asserunt Catholici.

218 Nomen autem Censuræ deducunt aliqui à verbo *censeo*, ex eo, quòd Censoribus arbitrium esset in Republica Romana civium mores castigandi. Alii à *censu*; quia Censores populi Romani facultates æstimabant, & in censum redigebant. Sumitur verò Censura 1mo pro dignitate Censoris, ita ut dignitas illa à Censore dicatur Censura, sicut dicitur à Prætore Prætura. 2do. pro Decreto Censorio. 3tio. pro ipsamet castigatione & pœna censoria. Porro apud Scriptores Ecclesiasticos Censuræ nomen usurpatur in secunda & tertia significatione. In secunda quidem; nam judicium Ecclesiæ vel Academiæ Theologicæ de perversa aliqua propositione Censura dici solet. In tertia etiam; pœna quippe spiritualis in contumaces decreta aut inflicta vulgò appellatur *Censura*. Et hoc posteriori modô censuram hîc accipimus, circa quam quæritur 1mo. Utrum existat in Ecclesia potestas ferendi Censuras. 2do. Quomodò definiatur Censura. 3tio. Quotuplex sit Censura. 4to. Quis possit ferre Censuras, & ab iis solvere. 5to. In quos ferri possint & ob quam causam.

§. I.

219 *Utrum existat in Ecclesia potestas ferendi Censuras?*

Negant Novatores Lutherani & Calvinistæ, utpotè qui omnes actus hierarchicos referant ad solam Verbi Divini prædicationem, doceantque Pastores ligare vel solvere, quatenùs sacra concione vel terrent incredulos judiciorum Dei comminatione, vel fideles recreant spe divinarum promissionum. Admittunt quandam quidem excommunicationis speciem & larvam, uti necessariam ad tuendam disciplinam: sed contendunt eam nullum habere effectum spiritualem, sed esse merè externam, proindè intùs non ligare. *Excommunicationes*, ajebat Lutherus Art. 18. inter eos, quos Leo X. annô 1522. damnavit, *sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.* Contra eos cum omnibus Catholicis sit

CONCLUSIO. 220

Ecclesia à Christo accepit potestatem ferendi Censuras, quæ non sunt pœnæ solùm externæ, sed spirituales.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Matth. 16. vers. 19. Christus ait Petro: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c.* In quibus verbis nomine *clavium* intelligitur suprema potestas regendi Ecclesiam, ut alibi diximus, ac proindè potestas clavium latiùs patet, quàm potestas remittendi aut retinendi peccata; extenditurque ad leges ferendas, controversias in materia fidei & morum terminandas, ad dispensandum in votis, ac denique ad pœnas in contumaces decernendas: isthæc enim ad regimen Ecclesiæ sunt omninò necessaria. Item, quidquid ligatum aut solutum fuerit in terris, fore quoque ligatum & solutum in cœlis. Ergo potestas hîc Petro promissa non est limitanda ad pœnas exteriores & temporales; nam ejusmodi pœnæ ligant solùm in terra, & per mortem solvuntur.

Quod Petro nominatim, ob dignitatem Primatûs, promittit Christus, cæ-

teris

teris etiam Apostolis concessit Matth. 18. v. 18. his verbis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Hic verò sermonem esse de potestate ferendi Censuras, manifestum est ex iis, quæ præcedunt, ubi v. 15. & seq. de correptione fraterna Christus ait *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & eum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Per ista autem verba, *dic Ecclesiæ*, Superiores Ecclesiastici designantur: istorum verò, *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, sensus est, separetur, ut indignus Ecclesiastica communione ejusque fructu.

Hac sibi à Christo tradita potestate usi sunt Apostoli, 2. Cor. 10. v. 6. *In promptu habentes*, ait S. Paulus, *ulcisci omnem inobedientiam.* Et 1. Cor. 4. v. 21. *Quid vultis*, inquit, *in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis.* Item erga incestuosum 1. Cor. 5. ubi *Jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est cum virtute Domini nostri Jesu*, inquit, *tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis*, &c. Et 1. Tim. 1. v. 20. *Ex quibus*, ait, *est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ.* Quæ de pœna merè externa intelligi nequeunt.

221 Prob. 2do. Traditione Ecclesiæ, quam exhibent SS. Patres, usus & constans Ecclesiæ praxis in ferendis Censuris, ac puniendo malos pœnis Ecclesiasticis inflictis; cujus quidem disciplinæ tot extant argumenta, quot ferè sunt Conciliorum Statuta.

Tertullianus Sæculi secundi Scriptor, quique an. Christi 216. vitam posuit, adeoque temporibus Apostolorum vicinus, Apol. c. 39. de conventibus Christianorum, *Ibidem*, ait, *etiam exhortationes, castigationes, & censura divina; nam & judicatur cum magno pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventûs, & omnis sancti commercii relegetur.*

S. Chrysostomus hom. 4. in Epist. ad Hebr. referturque 11. q. 3. c. *Nemo. Nemo contemnat vincula Ecclesiastica*, inquit, *non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, & Dominus fecit homines tanti honoris.* Quæ intelligi nequeunt de potestate infligendi pœnas merè externas & temporales; cum ejusmodi potestas competat cuilibet Magistratui, & Patrifamilias.

S. Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 15. & habetur Cap. *Corripiantur*, 24. q. 3. *Corripiantur*, inquit, *à Præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus pro culparum diversitate diversis vel minoribus vel amplioribus; quia & ipsa, quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale judicium, qua pœna in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere, atque proficere ... Pastoralis necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.*

Addi possunt Epistolæ Decretales in Corpore Juris Canonici collectæ, in quibus frequentissimè decernuntur Censuræ.

Prob. 3tio. Ratione Theologica. 222
Quia potestatem hanc exigit benè ordinata Ecclesiæ Constitutio, in qua *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ad optimum quippe Societatis cujuslibet, quantò magis Ecclesiasticæ, regi-

regimen necesse est Superiores esse, qui legum severitate malos coërceant, ad cæterorum exemplum, ut qui scilicet recti amore non ducuntur, saltem pœnarum metu se se in Officio contineant.

223 Dices; Christus nullam Ecclesiæ dedit potestatem, quæ sit in destructionem. Atqui potestas ferendi censuras est in destructionem; per eam enim Fidelibus subtrahuntur spiritualia bona eorum saluti vel necessaria, vel admodùm utilia. Unde S. Chrysostomus Serm. de Anathemate ait: *Aut anathematizas viventem, aut mortuum: si mortuum, impiè agis; quia jam sub jure humano non existit, sed Domino suo stat vel cadit. Si vivum, impiè etiam agis; nam eum, qui ad bonum converti potest, abscindis.*

Resp. neg. min. Cujus confirmationem dist. Subtrahuntur spiritualia bona ad tempus in remedium, ut spiritus salvus fiat, quemadmodùm ægro subtrahitur panis, ut depellatur febris, conc. Subtrahuntur in perpetuum & in exterminium, neg. min. Itaque censura est pœna *medicinalis, non mortalis, disciplinalis non eradicans*, ut habetur cap. *Cùm medicinalis.* De sententia excommunicationis in 6to. Ferturque ad tempus, ut peccator pudore suffusus tandem resipiscat; sic in foro conscientiæ quibusdam adhuc in bono proposito fluctuantibus differtur absolutio, ut gratiæ impedimenta à se removeant. Porro hujusce disciplinæ usus est in ædificationem, nedum in destructionem.

Ad auctoritatem S. Chrysostomi, Resp. S. Doctorem absolutè non denegare Ecclesiæ potestatem anathematizandi, sed solùm reprehendere illius potestatis abusum, ut patet tùm ex mox laudata Hom. 4. in Epist. ad Heb. tùm ex ipsomet Serm. de Anathemate, in quo docet, ejusmodi potestatem esse concessam solis Apostolis, & eorum successoribus, Apostolumque raro eâ usum fuisse. Quarè privatos objurgat, quòd ex odio & inimicitiarum causâ inimicis suis crebrò anathema dicerent, immemores hujus præcepti, *diligite inimicos vestros*: aitque privata eorum jurgia, quibus se invicem mordebant, offendere etiam Gentiles. Carpit etiam Episcopos, qui peccantes impatientiùs ferebant, eosque sine spe veniæ à Corpore Christi præcidebant, cùm tamen de eorum emendatione benè sperandum foret.

§. II.

Quomodo definiatur Censura? 224

Rituale nostrum Argentinense novum editum an. 1742. (a) Censuram definit, quòd sit, *Pœna Ecclesiastica & medicinalis, ob grave peccatum imposita, per quam homo baptizatus, delinquens & contumax, privatur usu quorumdam bonorum spiritualium Fidelibus communium.*

Dicitur 1mo. *Pœna.* Et in hoc distinguitur ab Irregularitate, quæ nullum quandoque supponit peccatum, utpote quæ sæpe ex solo defectu corporis aut animæ oritur; & à cessione à divinis, quæ non tam pœna est, quàm signum luctûs & tristitiæ.

Dicitur 2do. *Pœna Ecclesiastica*, id est, à Superioribus Ecclesiasticam jurisdictionem habentibus infligenda. Di-

(a) Ad Tract. de Pœnitentia tit. de Censuris pag. 143.

Dicitur 3tio *Medicinalis.* Ecclesia enim semper habet in votis resipiscentiam eorum, quos castigat; & in hoc Censurá differt à puris pœnis, quas infligere cogitur, v. g. depositione, degradatione, &c.

Dicitur 4to. *Ob grave peccatum imposita.* Quia Censuræ sunt gravissimæ pœnæ, quæ nonnisi ob gravem causam ferri debent. Gravitas autem causæ ex multis æstimanda est: putà ex scandalo, ex discrepantia seu oppositione actionis cum bono communi, vel ex decentia status Clericalis, ex infractione notabili politiæ Ecclesiasticæ, &c. Imò quandoque culpa ex se levis, eo ipso fit gravis, quo sub Censuræ pœna à Superiore prohibita fuit. Peccatum porro illud debet exteriùs esse admissum, & in suo genere completum, nisi in ipsum actum inchoatum, aut attentatum, expressè lata sit Censura. Diximus *expressè.* Cùm enim agitur de Censuris, verba ad litteram sunt accipienda juxta regulam juris; *Odia restringi convenit.*

Dicitur 5to. *Per quam homo baptizatus, &c.* Nam baptizatos spectat hæc pœna: in eos enim, qui baptizati non sunt, Ecclesia nullam habet jurisdictionem, ex 1. Cor. 5. v. 12. & 13. Delinquentes contumacesque sint necesse est; nam pœna culpam supponit; & quia medicinalis est, in eos solos ferri debet, qui contumaci animô in sua culpa persistunt, non in eos, qui eam emendaverunt.

Dicitur 6to. *Privatur usu &c.* Nam hæc pœna privat bonis spiritualibus, quæ Fidelibus sunt communia, non omnibus, sed aliquibus; & bonorum illorum spiritualium usum adimit, non facultatem. Privat etiam quandoque Censura quibusdam bonis temporalibus, non per se, sed consequenter ad leges, quas Christiani Principes, quoad fieri potuit, ad bonos mores, atque Evangelicam disciplinam aptaverunt. Sic v. g. Excommunicati, quamdiu juridicè ligati sunt, infames, intestabiles, & ad plura vitæ civilis officia inhabiles habentur.

§. III.

Quotuplex sit Censura? 225

Censura dividitur 1mo. in *justam*, & *injustam.* 2do. in eam, quæ est *à jure*, & eam, quæ est *ab homine.* 3tio. in *latam*, seu quæ est *latæ sententiæ*, & in *ferendam*, id est, quæ est *ferendæ sententiæ.* 4to. in *Excommunicationem*, *Suspensionem* & *Interdictum.* Hæc posterior divisio, velut multiplex species, sub prioribus, tanquam generibus, continetur, estque communior magisque accurata, traditurque ab Innocentio III. Cap. *Quærenti*, De verb. Signific. 5to. Censura etiam alia est *levis*, alia *gravis*; alia *valida*, *invalida* alia; item alia *reservata*, alia *non reservata*; alia *ad tempus*, quæ videlicet certo tempore, alia *in perpetuum*, quæ nimirùm nullis limitibus definitur. Sed cæteris omissis, quæ ex dicendis facilè intelligi possunt, tres hîc nobis sunt exponendæ Censuræ divisiones, scilicet Censura *à jure*, & *ab homine*. *Latæ* & *ferendæ sententiæ*. *Excommunicationis*, *Suspensionis*, & *Interdicti* species.

Igitur Censura à jure dicitur, quæ 226 per legem, seu statutum perpetuum fertur generaliter in omnes subditos, qui eam legem transgressi fuerint (*b*); talis est interdictum, quod decernitur Can. *Omnis utriusque sexus*, in eos, qui in Paschate non communicant. Censura au-

(*b*) Hæc Censura in Canonibus Ecclesiæ, & Statutis Episcoporum exprimitur.

autem *ab homine* dicitur, quæ per sententiam Judicis, vel mandatum seu præceptum temporaneum & transitorium fertur ordinariè ex causa & facto particulari in particulares personas. Ita colligitur ex Cap. *Nuper.* De sent. Excom. & Cap. *Eos* in 6to.

227 Differunt inter se hæ duæ Censuræ species 1mo. Censura à jure semper est generalis, & omnes subditos comprehendit: at verò Censura ab homine est particularis, ac, saltem ordinariè, fertur in personas determinatas, vel ex causa determinata & particulari; v. g. Petrus excommunicationi subjaceat, nisi intra mensem restituat, vel satisfaciat parti læsæ: vel qui ortô incendiô quidpiam furtim abstulit, excommunicatus esto, nisi intra triduum restituat; vel qui talem incendiarium non indicaverit, sit excommunicatus.

2do. Censura à jure est perpetua, & durat quamdiu lex illam imponens non est abrogata: Censura verò ab homine cessat per mortem vel amotionem illius, qui eam tulit, ita ut deinceps non incurratur. Sermo est hîc de censura contrahenda propter peccatum futurum, non verò de jam contracta ante mortem Superioris propter peccatum præteritum; hæc quippe manet post mortem Superioris, nec tollitur, nisi per claves Ecclesiæ.

3tio. Censura à jure vel ab homine per sententiam generalem non est reservata, nisi expressè habeatur in Canone, sivè Statuto, vel in mandato Superioris. Cap. *Nuper.* tit. *De sent. excom.* Censura verò ab homine per sententiam specialem, est reservata, nec tolli potest, nisi ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, vel successore, vel delegato.

228 Censura latæ sententiæ est ea, quam Prælatus seu Superior per legem actu infligit; seu quæ secum executionem trahit, vel incurritur statim ipso facto seu crimine admisso, & absque alia Judicis sententia. Signa autem hujusmodi Censuræ sunt 1mo. particulæ istæ, vel similes: *ipso facto, ipso jure, eo ipso.* 2do. Verbum præsentis vel præteriti temporis, ut *sit excommunicatus, excommunicetur*; vel *excommunicavimus, noverit se excommunicatum,* vel *se excommunicari, sententiâ excommunicationis duximus innodandum.* Cap. *Excommunicamus.* 1. & 2. *De Hæreticis.* Cap. *Salvator.* tit. *De Præbend.* Clementinâ primâ *De Decimis.* Clementinâ 2dâ. *De pœnis, &c.*

Censura ferendæ sententiæ, quæ etiam dicitur communicatoria, est ea, quam Superior jubet infligi, vel comminatur infligendam; seu quam reus non incurrit ipso facto, quando crimen commisit, sed per Judicis sententiam infligi debet. Signa illius sunt 1mo. particulæ comminatoriæ, v. g. *Præcipimus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, &c.* 2do. Verbum futuri temporis, v. g. *Qui hoc fecerit, excommunicabitur*; vel, *illicò erit excommunicatus, &c.* 229

In dubio autem an Censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, judicandum est esse duntaxat ferendæ sententiæ, quia odia non sunt amplianda, sed restringenda, & in mitiorem partem accipienda, juxta effatum omnium Theologorum & Canonistarum.

Excommunicatio, juxta vim nominis, est privatio communionis, seu ejectio extra communionem Ecclesiæ. Ex natura igitur communionis cum Ecclesia facilè est dignoscere, quid sit Excommunicatio seu privatio communionis. 230

Fidei Catholicæ caput est, quod in Symbolo quotidie profitemur, esse in Ecclesia Sanctorum communionem: Ecclesia scilicet corpus est seu Societas conspicua & visibilis, cujus caput est Christus,

ctus, membra Fideles. *Multi*, ait Apostolus Rom. 12. *unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Ephes. 1. v. 22. & 23.

Tria porro sunt in Ecclesia bonorum spiritualium & communium genera, quibus quasi totidem vinculis Fideles & cum Christo capite, & secum invicem colligantur. 1mo. Donum gratiæ, virtutum infusarum Fidei, Spei, & Charitatis, & aliorum donorum, quæ à Christo, tanquam à fonte, in singulos Fideles defluunt ac derivantur. 2do. Sunt dona externa spiritualia, Sacramenta videlicet, Sacrificium, suffragia publica, seu preces & orationes, indulgentiæ, &c. quorum omnium participes fiunt, quotquot Ecclesiastica communione fruuntur. 3tio. Sunt aliqua bona spiritualia unicuique Fidelium propria quidem & personalia, v. g. opera bona virtutum, jejunia, pœnales satisfactiones, &c. sed quæ Fideles sibi mutuò communicare possunt, tanquam ejusdem sanctæ ac spiritualis Societatis membra; quo sensu dicebat David Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Est denique & aliud commune quoddam bonum purè externum ac politicum, quod consistit in convictu, colloquio, commercio Fidelium inter se, &c. His porro bonis fruuntur, qui cum Ecclesia sunt conjuncti; privantur autem, qui ab illa sunt exclusi, & præcisi. His ita præmissis

231 Definitur Excommunicatio in genere *Censura Ecclesiastica privans externa communione, seu usu ac participatione bonorum Spiritualium Fidelibus communium, & ex Ecclesiæ voluntate ac dispensatione pendentium, sive ex toto, hoc est, omnium bonorum, sive ex parte, id est, aliquorum dumtaxat bonorum.*

Dicitur 1mo. *Pœna Ecclesiastica.* Quæ verba tenent locum generis, ac pœnam denotant ab Ecclesiastica auctoritate inflictam, in vindictam culpæ; quod ipsi commune est cum aliis Censuræ speciebus.

Dicitur 2do. *Privans externa communione Fidelium*, id est, *privans communicatione seu participatione & usu bonorum spiritualium, quæ Fidelibus sunt communia.* Qualia sunt 1mo. Sacramenta. 2do. Publica Ecclesiæ suffragia. 3tio. Convictus Fidelium, sive in rebus sacris, putà divinis officiis, sepulturâ, jurisdictione, &c. sive in rebus civilibus & politicis v. g. negotiis, contractibus & testimoniis. Per hunc autem effectum excommunicatio differt à suspensione & interdicto, quæ non privant participatione illorum omnium bonorum. Quòd si aliquando suspensio & interdictum privant tantùm, quatenùs illa bona sunt aut ministerium Ecclesiasticum, aut participatio rerum sacrarum ut sic; excommunicatio autem his bonis privat, quatenùs ea bona materia sunt & fundamentum externæ unionis & societatis Fidelium inter se, quæ unio intelligitur in Symbolo sub nomine communionis, ut jam observavimus: atque per hoc ultimum excommunicatio etiam differt à suspensione & interdicto.

Dicitur 3tio. Privans usu bonorum communium, *quæ ex Ecclesiæ voluntate ac dispensatione pendent.* Aliqua etenim bona sunt spiritualia, quibus excommunicatio non privat, quia non sunt in potestate Ecclesiæ, sed ab uno Christo interiùs ea subministrante pendent: v. g. auxilia gratiæ, virtutum Fidei, Spei, & Charitatis infusio, justificatio, meritum; quæ bona purè sunt interna. Sunt & alia bona, quæ pendent à privata Fidelis cujuslibet voluntate, seu intentione & applicatione, quæ Fideles sibi invicem communicare possunt, qualia sunt pia virtutum exercitia, eleemosynarum, jejuniorum & bonorum operum fructus. Ea propter nemo prohibetur pro excommuni-

municatis, etiam non toleratis, privatim Deum orare; & quamvis non liceat Sacerdoti Missæ Sacrificium v. g. aut aliud publicum Ecclesiæ suffragium pro excommunicatis offerre, potest nihilominùs pro iisdem privata sua intentione preces suas ad Deum dirigere, ut ipsis pœnitentiæ ac resipiscentiæ donum benignè largiatur.

Dicitur 4to. Privans communione *vel ex toto*, *vel ex parte* bonorum spiritualium; ut nempe illa excommunicatio, quæ major dicitur, atque privat omnibus bonis spiritualibus, distinguatur à minori, quæ aliquibus duntaxat bonis spiritualibus ex iis, quæ Ecclesia in sua potestate habet, privat.

232 Igitur datur duplex excommunicatio, Major una, altera Minor. Cap. penult. *De sent. Excommunic.*

Excommunicatio Major, ut primùm dictum est, ea dicitur, quæ privat omnibus bonis spiritualibus, nempè communione Fidelium, & participatione tam activa quàm passiva Sacramentorum; id est, facit, ut excommunicatus non possit recipere, vel administrare Sacramenta. Excommunicatio Minor verò ea est, quæ aliquibus duntaxat spiritualibus bonis privat, & separat scilicet à participatione passiva tantùm Sacramentorum; id est efficit, ut excommunicatus non possit percipere Sacramenta. De utraque hac excommunicatione paulò uberiùs hîc dicendum.

233 *De Majori excommunicatione & ejus effectibus.*

Excommunicatio major omnium pœnarum, quæ ab Ecclesia infligi possunt, est gravissima, ùt colligi facilè potest ex bonis mox enumeratis, quibus illa Fideles privat, ut & ex effectibus mox enumerandis, quos illa generat: Ipsa alio nomine *anathema* dicitur, quæ vox denotat gravissimam excommunicationis pœnam cum aliqua execratione & indignatione adjuncta; quo ultimo sensu ab Ecclesia in Conciliis usurpatur, quando Hæreticis cæterisque hujuscemodi hominibus anathema dicit. Aliquando etiam cum solemnitate aliqua excommunicationis sententia pronuntiatur; quæ solemnitas describitur Cap. *Debent*, causâ 11. q. 3. Et excommunicatio absolutè & indefinitè lata semper Major intelligitur; ex Gregorio IX. Cap. *Si quem.* tit. *De sent. Excom.* (c)

Hujusmodi excommunicatio autem ferri non debet nisi ob gravia peccata; quia, ùt dictum, pœna excommunicationis est gravissima. Ita Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 3. S. Augustinus etiam pluribus locis id affirmat, scilicet excommunicatione plecti non debere nisi gravium peccatorum reos, maximè publicos & contumaces. Lib. 5. contra Litt. Petiliani, c. 36. & Lib. 3. contra Epist. Parmen. c. 6. ubi hanc nihilominùs regulam statuit, à ferenda excommunicationis sententia esse abstinendum, si fortè aliquod indè incommodum ac schismatis periculum Ecclesiæ impenderet. *Fiat hoc*, inquit, *ubi periculum schismatis nullum est*, *atque id cum ea dilectione*, *de qua ipse S. Paulus præcepit dicens*: *ut inimicum eum non existimetis*, *sed corripite ut fratrem*: *non enim estis ad eradicandum*, *sed ad corrigendum.*

(c) Hic enim vulgata Juris Regula: *In pœnis benignior pars est accipienda*, locum non habet; quia ubi lex aut consuetudo contrarium declaravit, prout hîc declaravit, non admittitur.

234 Porrò præcipuè Excommunicationes majores, quæ ipso facto incurruntur, & Summo Pontifici reservantur hæ sunt: 1mo. Excommunicatio contra Simoniacos. In Extrav. *Cùm detestabile.* à Paulo II. edita. 2do. Contra incendiarios, Cap. *Tua.* tit. *De sent. excom.* 3tio. Contra effractores & spoliatores Ecclesiarum. Cap. *Conquesti.* eodem tit. 4to. Contra falsarios litterarum Apostolicarum, supponendo vel corrumpendo. Cap. *Dura.* tit. *De crimine falsi.*

235 5to. Denique, contra percussores Clericorum. Can. *Si quis suadente diabolo.* causâ 17. q. 4. Canonis seu Capitis verba hæc sunt: *Si quis suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus intulerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Dicitur 1mo. *Si quis suadente diabolo.* Si enim aliquis ex charitate vel ex causa correctionis & disciplinæ id faceret, non incidit in excommunicationem. Cap. *Super eo.* tit. *De sent. excom.*

Dicitur 2do. *Violentas manus:* quibus vocibus intelligitur quodlibet membrum in quo quis Clerico injuriosè nocet; v. g. pes, brachium, &c. Neque sola duntaxat comprehenditur percussio, sed etiam v. g. pulveris, luti, aut sputi injectio, vel similis injuria.

Dicitur 3tio. *Clericum.* Per Clericum autem intelligitur non solùm existens in Ordinibus sacris, sed etiam quilibet initiatus primâ tonsurâ, modò gestet habitum & Tonsuram, ut Clericus agnoscatur.

Dicitur 4to. vel *Monachum;* id est, omnem Religiosum etiam Conversum, aut Novitium. Item Moniales, & Sorores conversas. Cap. *De Monialibus.* tit. *De sent excom.*

Dicitur 5to. A nemine, nisi in mortis periculo, præterquam Papâ, illum absolvi posse: verùm excipienda est percussio levis, seu non enormis, à qua Episcopi absolvere possunt. Cap. *Pervenit.* eodem tit.

Percussio autem enormis, quæ summo Pontifici reservatur, & vulgò gravis appellatur, ea est *regulariter loquendo*, quæ conjungitur cum gravi læsione, vel cum gravi injuria, v. g. membri mutilatione, vel magna sanguinis effusione, quæ non ex naribus, sed aliunde proveniat; aut alia quæcumque manûs injectio, etiam levissima, facta personæ in dignitate constitutæ, putà Episcopo aut Abbati. Cap. *Cùm illorum.* eod. tit.

Diximus *Regulariter loquendo*: nam ex circumstantiis personæ, &c. fieri potest, ut percussio, quæ respectu unius personæ levis est, & Episcopo dumtaxat reservata, respectu alterius enormis sit & Summo Pontifici reservata: v. g. Si quis Clerico in dignitate constituto alapam impingat, percussio gravis erit & S. Pontifici reservata: Cap. *Cùm illorum.* tit. *De sent. excom.* Idem dicendum quando ex percussione Clerici magnum oritur scandalum: v. g. quando quis in loco publico percussit Clericum. Cæterum Episcopi est judicare, quandonam percussio Clerici sit enormis, & Summo Pontifici reservata.

Percussio Clerici, quæ non est ita enormis, & levis ab aliquibus dicitur, ac soli Episcopo reservata, ea est, regulariter loquendo, quæ nullam ferè maculam vel livorem carnium relinquit, & quæ fit sine abscissione membri, vel sine copiosa effusione sanguinis.

Prædicta autem excommunicatio extenditur ad sex alias actiones 1mo. ad man-

mandantes percussioné, effectu subsecuto. Cap. *Mulieres.* tit. *De sent. excom.* 2do. Ratam habentes percussionem nomine eorum factam. Cap. *Cùm quis.* eod. tit. in 6to. 3tio. Consentientes, consilium, auxilium & favorem præstantes. Cap. *Quanta.* eodem. 4to. Non impedientes, cùm possint. Cap. *Quanta.* citatô. Intellige, si eam deberent ex officio impedire, ut dicit Innocentius, & Abbas. 5to. Invitum detinentes in custodia. Cap. *Nuper.* eodem. 6to. Percutientes Clericum etiam consentientem. Cap. *Contingit.* eod.

At ab illa incurrenda excommunicatione excusantur 1mo. Qui Clericum in necessariam defensionem percutiunt. Cap. *Si verò ex tenore.* tit. *De sent. excom.* 2do. Qui ex ludo, vel disciplinæ causâ, ut Magister, Pater, Clericum percutiunt. Cap. *Super.* 3tio. Quando mulier in defensionem castitatis Clericum percutit. Cap. *Si verò.* 4to. Si percussor Clericum non cognoscat, quia Clericatûs insignia non gerit. eodem Cap. Aut si Clericus Canonis privilegiô sit privatus.

His majoribus excommunicationibus Summo Pontifici reservatis adjungit Rituale nostrum Argentinense novum *De poenit. tit.* 5. Simoniam realem in Ordinibus & Beneficiis, & Confidentia, dummodò sit publica. Ubi & hæc addit: *Nota, quòd casus reservati S. D. N. Papæ non omnes hîc ascripti sunt; sed illi tantùm qui his in regionibus frequentiùs possunt accidere.*

236 Aliæ sunt excommunicationes, quæ Episcopis duntaxat sunt reservatæ, vel à jure vel ab homine. Suntque in nostra Dioecesi, juxta novum ejusdem Rituale, 1mo. Excommunicatio annexa crimini hæresis. 2do. Excommunicatio annexa gravi percussioni Clerici, vel Religiosi, Clericali aut Religionis habitu induti. Si sit atrox percussio, reservatur Summo Pontifici, ut dictum. 3tio. Excommunicatio annexa incendio Templorum, necnon domorum prophanarum voluntariè procurato, opere, consilio, auxilio, mandato; sicut & effractioni ac spoliationi sacrarum Ædium, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, ante publicam denuntiationem. Post denuntiationem enim reservatur Summo Pontifici. 4to. Excommunicatio annexa contractui Matrimonii clandestino. 5to. In eadem causa Matrimonii excommunicatio annexa falso testimonio à contrahentibus, aut ab aliis, mala fide, sive scriptô, sive viva voce præstitô, ut à Ministris Ecclesiæ Matrimonium in se nullum benedicatur, & celebretur.

Igitur ab iis excommunicationibus, quæ reservatæ sunt tàm à jure, quàm ab homine, absolvere tantùm possunt vel Summus Pontifex, si ipsi reservatæ sint, vel Episcopi, si Censuram tulerint, vel ipsis reservata sit: uno verbo ejus est solvere, cujus est ligare, maximè quando ita ligavit, ut solus solvere intendat, ipsique nullus Superior est, ad quem pertineat, quod iste ligavit, solvere. At ab Excommunicationibus Minoribus, & ab aliis à jure latis, quæ reservatæ non sunt, quicumque Sacerdotes approbati absolvere possunt. Undè in absolutionis formula in Sacramento Poenitentiæ adhiberi solita hæc verba inseruntur, *Ab omni vinculo excommunicationis.*

Quantùm ad effectus excommunica- 237
tionis majoris, alii respiciunt ipsum excommunicatum, sive toleratus sit, sive non toleratus; alii verò respiciunt modum, quo agendum est cum excommunicatis.

Igitur inter excommunicatos, etiam publicè, alii sunt non tolerati, ac vitandi, qui scilicet publicâ Judicis Ecclesiastici sententiâ specialiter ac nominatim denuntiati sunt excommunicati;

alii

alii verò sunt tolerati, seu nominatim non denuntiati, & idcircò à cæteris Fidelibus non vitandi, quantùm attinet ad Jus Ecclesiasticum. Dicimus, *quantùm attinet ad Jus Ecclesiasticum*; quia fieri potest, & sæpè contingit, quòd aliquis hujusmodi excommunicatos vitare teneatur ratione corruptionis, periculi vel scandali.

Excommunicatorum, qui tolerati non sunt, actus, qui ex jurisdictione omninò pendent, ut absolutio Sacramentalis, Beneficiorum provisiones, &c. irriti omninò sunt ac invalidi: non ita est de aliis, qui denuntiati non sunt, sed tolerati. Modò effectus Excommunicationis Majoris enumerandi veniunt.

238 Primus est, quòd excommunicatio privet participatione Sacramentorum activâ & passivâ; id est, excommunicatus non potest licitè Sacramenta vel suscipere vel administrare, nisi aliqua justa causa excuset.

239 Secundus. Excommunicatio privat communibus Ecclesiæ suffragiis, sacrificio, publicis precibus, indulgentiis, & aliis actionibus sacris, quæ nomine totius Ecclesiæ fiunt: ista quippe omnia ex dispensatione Ecclesiæ pendent, quibus privat excommunicatos nondum absolutos, tametsi contriti ac Deo reconciliati supponantur. Cap. *Cùm desideres.* Cap. *A nobis.* Cap. *Sacris.* Cap. *Quòd in dubiis.* Tit. *De sent. excom.* Undè meritò Alexander VII. istam propositionem confixit, *Quoad forum conscientiæ, reô correctô, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

240 Tertius est, quòd privet usu divinorum Officiorum, Missæ, & Horarum Canonicarum. Quamvis enim excommunicatus possit interesse concioni, quæ, ut Cap. *Responso.* Tit. *De sent Excom.* patet, non comprehenditur sub divino officio; quamvis item possit ac debeat Horas recitare, si sit Beneficiarius, vel in sacris constitutus; non potest tamen recitare cum aliis, nec interesse Officiis, quæ publicè fiunt. Si verò Diaconus, vel Sacerdos sint excommunicati, in privata Officii recitatione ad quam tenentur, omittere debent verba ista *Dominus vobiscum.* eorumque loco dicere, *Domine exaudi orationem meam.* Ratio est, quia verbis istis, *Dominus vobiscum.* denotatur publicæ personæ, videlicet Sacerdotis vel Diaconi, sacra cum populo fideli communicatio; quæ viro excommunicato interdicta est. Cæterùm si privatim officium recitetur, non videtur hæc obligatio esse sub pœna mortalis peccati, ob levitatem scilicet materiæ. Cùm igitur Casuistæ communiter docent, Sacerdotem excommunicatum, qui orationem pronuntiat cum verbis istis, *Dominus vobiscum.* fieri irregularem; intelligendum est de Sacerdote, qui cantans in choro divinum officium orationem diceret cum dictis verbis; tunc enim censetur functionem sui Ordinis publicè exercere, quæ quidem ipsi est interdicta; non autem de Sacerdote vel Diacono, qui privatim ac secretò Horas Canonicas recitaret: non licet autem cum excommunicato alternatim divinum Officium recitare, quia non licet in divinis societatem & communicationem habere cum excommunicato.

Quod si tempore divini Officii in Ecclesia adfuerit excommunicatus publicus; 1mo. Si sit toleratus, nec proindè nominatim denuntiatus, non sunt propterea intermittenda divina Officia: quia ex Constitutione *Ad evitanda scandala* ubique receptâ & observatâ, quam S. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 3. & Tractat. *de Censuris* c. 33. tribuit Martino V. quamvis solùm legatur in Concilio Basileensi, Sess. 20. excommunicati non sunt vitandi, nisi specialiter ac nominatim fuerint denun-

denuntiati. 2do. Si non sit toleratus, sed nominatim denuntiatus monendus est ut discedat; quòd si noluerit discedere, 1mo. novam incurrit excommunicationem Papæ reservatam, cap. *Gravis.* Clementina *De Sent. Excom.* 2do. Adstantes exire tenentur; aliàs peccarent graviter communicando cum excommunicato vitando. 3tio. Sacerdos ab altari recedere tenetur, si ad Canonem nondum pervenerit; secùs si inchoaverit; tunc enim inchoatum sacrificium perficere debet usque ad communionem inclusivè, reliquum verò liturgiæ in loco secreto, putà in sacrario, absolvet.

241 Quartus effectus majoris excommunicationis est inhabilitas seu incapacitas ad Beneficia & dignitates Ecclesiasticas acquirendas & possidendas: quapropter præsentatio vel collatio in favorem excommunicati, etiam tolerati, nec denuntiati, item institutio ac confirmatio, ipso jure nulla & irrita est. Cap. *Postulatis.* tit. *De Clerico excommunicato.* Ratio ibidem assignatur ab Innocentio III. *Quia cum excommunicatis communicare non licet.* Assumptio autem ad quodvis munus Ecclesiasticum vel dignitatem, testimonium est communicationis.

Unde infertur, eum, qui adhuc in excommunicatione existens ad Beneficium electus est ac nominatus, etsi ante adeptam illius possessionem absolutus fuerit ab excommunicatione, quam incurrerat, illud retinere non posse nec ejus fructus percipere. Ratio est, quia ipsius electio seu nominatio & præsentatio nulla fuit & invalida: ex regula verò Juris, *Quod ab initio non valuit, tractu temporis validari non potest.* Adeoque nova opus est, post obtentam absolutionem, electione, nominatione seu præsentatione, ut Beneficium possit retineri: quòd si fructus ex illo percepisset Clericus, stante adhuc excommunicatione, illos restituere teneretur. Quòdsi verò Clericus ante excommunicationem ad aliquod Beneficium electus fuisset, atque ante adeptam ejus possessionem excommunicatione ligaretur, tamen valeret ejus electio & nominatio. Quia subsequens Censura illa irritam non reddit priorem electionem, nec consequenter teneretur Beneficii collator Beneficium alteri conferre. Tamen Clericus ille tenetur, antequam ad possessionem hujus Beneficii admittatur, impetrare absolutionem à Censura, & obtinere; irrita quippe foret acceptatio ac possessio Beneficii stante ac durante vinculo excommunicationis. Neque etiam excommunicatio subsequens legitimam Beneficii possessionem privat Clericum Beneficiò, quod obtinet. ex Cap. *Ex Litteris.* tit. *De excessu Prælatorum.* Si tamen Clericus ille negligens esset in procuranda sibi absolutione, atque per annum in excommunicatione exsordesceret, posset Beneficiò spoliari; atque ut spolietur mandat Concilium Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 3. Quod donec fiat, talis Clericus nec hujusmodi Beneficii fructibus privari potest ante Judicis sententiam, qua hæc privatio decernatur; quamdiu enim, Ecclesia permittente, titulô Beneficii fruitur, & ipsius fructibus fruitur. Ut enim ait Regula Juris 42. *Accessorium naturam sequitur principalis.* Denique etsi Clerico excommunicato conferri non possit pensio planè spiritualis, scilicet quæ in spirituali titulo fundatur, sive quæ propter spirituale ministerium confertur; v. g. Concionatori, Episcopi Coadjutori, &c. Hujusmodi pensionis enim omninò incapax est excommunicatus aut irregularis, quia sicut Beneficium, & pensioita confertur propter spirituale Officium, cujus incapax est Clericus sententiâ excom-

communicationis innodatus. Tamen nihil obstare videtur, quin Clerico excommunicato pensio merè temporalis & laica, in titulo merè temporali fundata concedi possit; imò etiam, ut probabilius videtur, pensio mixta, quæ scilicet, quamvis ob spirituale ministerium non conferatur, statum tamen Clericalem requirit, & plerumque locô Beneficii datur Clerico v. g. resignanti, permutanti, lite cadenti, ac sustentationem necessariam non habenti; undè affinitatem quandam habet cum Ecclesiastico Beneficio, atque eisdem fermè modis, quibus Beneficium, amitti potest; probabilius inquam videtur, hujuscemodi pensionem mixtam Clerico excommunicato concedi posse, propter declarationem Cardinalium super Sess. 14. Concilii Trid. cap. 7. ubi dicitur, *incapacitatem homicidæ ad Beneficia, extendendam non esse ad pensiones.* Indè etiam sequitur, Clericum excommunicatum pensione, qua ante excommunicationem fruebatur, hac superveniente, privari non posse; & etiam, quia Canones nihil statuunt circa pensiones quibus donari possunt ac frui excommunicati. Porro juxta regulam Juris 49. in 6to. *In pœnis benignior est interpretatio facienda*; nisi scilicet Lex aut contraria consuetudo obstet, quæ hîc non obstat.

242 Quintus excommunicationis effectus in eo est, ut privet usu & exercitio licito omnis jurisdictionis spiritualis & Ecclesiasticæ. Cap. *Audivimus.* Causâ 24. q. 1. Cap. *Ad probandum.* tit. *De sent. & re judicata.* Cap. *Romanâ.* tit. *De Officio Vicarii.* in 6to. Cap. *Decernimus.* tit. *De sent. excom.* An verò excommunicatio privet etiam usu valido jurisdictionis, quæstio est, quam Theologi solvunt facta distinctione excommunicati tolerati, & non tolerati. Ab illo dicunt validè exerceri actus jurisdictionis, Cap. *Ad probandum. De sent. & re judicata.* Non ab isto. Ratio est, quia toleratus, seu nominatim non declaratus, nec denuntiatus, titulum habet coloratum, qui occulto defectu non aufertur: Leg. *Barbarus.* ff. *De Officio Prætoris.* quæ quidem Lex Jure Canonico vulgò recipitur. Cap. *Infamis.* causâ 3. q. 7. Et re vera id sapienter omninò provisum est ab Ecclesia, quod publicum ipsius bonum exigit: quanta enim foret rerum in Ecclesia perturbatio, si, pendente dubio circa latam in Ministrum Ecclesiasticum excommunicationem, incertus ac dubius foret valor actionum, quas exerceret?

Sextus effectus est reddere irrita Rescripta Apostolica: id est, gratias, concessiones Summi Pontificis non potest recipere excommunicatus. Cap. *Ipso Jure.* tit. *De Rescriptis.* in 6to. Is tamen excommunicationis effectus vix hodie locum habet, propter absolutionem à Censuris, quæ semper continetur in Rescriptis Apostolicis. Hæc de effectibus excommunicationis majoris quantùm ad ipsum excommunicatum. Modò de iis, quantùm ad modum, quo agendum est cum ipsis, pauca addenda veniunt. 243

1mo. Sacerdotes & omnes Ecclesiastici non debent publicè orare pro excommunicatis vitandis, excepto die & officio Parasceves. Dixi *publicè*, quia privatim & proprio nomine pro illis excommunicatis possunt orare, ut jam anteà dictum. 244

2do. Prohibetur omnibus Ecclesiæ Ministris ne Sacramenta ministrent coram excommunicatis vitandis; immò Clerici admittendo & recipiendo tales excommunicatos ad divina Officia, incurrunt excommunicationem minorem, & prætereà ipsis interdicitur ingressus Ecclesiæ,

clesiæ, donec satisfecerint Prælato, cujus sententiam contempserunt. Cap. *Episcoporum*. tit. *De privilegiis*. in 6to. Excommunicationem verò majorem Papæ reservatam incurrunt, si excommunicatos à Papa ad Officia divina admittant. Cap. *Significavit*. tit. *De sent. excom.*

3tio. Illicitum est recipere vel petere Sacramenta ab excommunicato non vitando, nisi sit gravissima necessitas, v. g. periculum mortis.

4to. Non solùm Clerici, sed etiam omnes Fideles tenentur non assistere divinis Officiis coram excommunicato vitando, quia tunc cum illo communicarent in rebus divinis, quod non licet.

5to. Omnes Fideles tenentur excommunicatos non toleratos vitare, eorumque consortium fugere, non solùm in rebus divinis, sed & in prophanis: *Ne ave dixeris*. ait S. Joan. Epist. 2. & S. Paulus 1. Cor. 5. vult cum hujusmodi excommunicatis *nequidem cibum sumi*. Res verò in quibus communicare cum excommunicatis non licet, hoc versu exprimuntur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os; intellige colloquia, oscula, amicitias, munera, litteras. Cap. *Excommunicatos*. Caus. 11. q. 3.

Orare; intellige prohiberi excommunicatis Ecclesiastica Sacramenta, communia suffragia & Ecclesiæ orationes, tam intra, quàm extra Ecclesiam, & omnia spiritualia. Cap. *Alma*. tit. *De sent. excom.* in 6to.

Vale; hoc est, nequidem honorifica salutatio excommunicato est exhibenda, non ipsi assurgendum: quamquam existimant nonnulli excommunicato salutanti reddi debere salutationem, quia eo in casu officium est justitiæ necessariò persolvendum.

Communio; id est, omnis societas civilis, omne commercium in contractibus ineundis, venditionis, emptionis, &c. cum excommunicato interdicitur.

Mensa; id est, non licet cum excommunicato cibum sumere, cohabitare in eodem hospitio, nisi fortè necessitas coëgerit: ut si in itinere faciendo nonnisi unum hospitium fuerit, Cap. *Cum excommunicato*. & Cap. *Ad mensam*. Caus. 11. q. 3.

Quamvis, juxta communem Theologorum post S. Thomam in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. peccet mortaliter, qui cum excommunicato non tolerato in rebus divinis communicat, ob gravitatem scilicet materiæ; tamen venialiter duntaxat peccat is, qui cum tali excommunicato in rebus civilibus ac temporalibus communicat, nisi fortè adesset contemptus Ecclesiasticæ disciplinæ: incurrit tamen excommunicationem minorem. Ita Cap. *Excommunicatis* (*d*). & *Cum excommunicato*. Causâ 11. q. 3. 245

Neque etiam qui excommunicatus est, licitè potest in tribunali etiam justitiæ sæcularis functiones Judicis, Advocati, Actoris, Testis, Tutoris, Curatoris, &c. exercere. De Judice statuitur Cap. *Ad probandum*. tit. *De sent. & re judicata*. De aliis verò Cap. *Decernimus*. tit. *De sent. excom.* in 6to. ubi Gregorius IX. vult à Judiciis eos repelli. Item Cap. *Pia*. quod est Concilii Lugdunensis sub Innocentio IV. tit. *De exceptionibus*. in 6to. lib. 2. 246

(*d*) Lib. 1. tit. 30. de Officio Legati.

lib. 2. in quo ſic legitur: *Pia conſideratione ſtatuit mater Eccleſia, quòd majoris excommunicationis exceptio in quacumque parte judiciorum oppoſita, lites differat, & repellat agentes, ut ex hoc magis cenſura Eccleſiaſtica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati (dum à communibus actibus excluduntur) rubore ſuffuſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis effectum facilius inclinentur.*

247 Excommunicatus etiam Eccleſiaſticâ ſepulturâ privatur, ſi vel nominatim & expreſsè denuntiatus ſit, vel adeò publicus ac notorius Hæreticus, ut negari non poſſit. Cap. *Sacris.* tit. *De ſepulturis.* ubi, *Sacris*, inquit Innocentius III. *eſt Canonibus inſtitutum, ut, quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis . . . Unde ſi contingat interdum, quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio caſu in cæmeterio Eccleſiaſtico tumulentur, ſi ab aliorum corporibus diſcerni potuerunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum oſſibus corpora tumulentur fidelium.* Verùm in utroque caſu Eccleſia, vel cœmeterium reconcilianda eſt. Cap. *Conſuluiſti.* tit. *De conſecrat. Eccleſ.* lib. 3.

248 Obligatio autem non communicandi cum excommunicato nominatim denuntiato & vitando reciproca eſt; nec tantùm cadit in ipſum excommunicatum, ne ſcilicet in ſocietatem aliorum Fidelium ſe ingerat; ſed etiam in ipſos Fideles, ne in ſuam ſocietatem excommunicatum hominem admittant; prout ex hactenùs dictis patet. Nonnulli tamen occurrunt caſus, in quibus ſocietas illa permittitur; qui omnes caſus in Jure expreſſi hoc verſu continentur.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

1mo. *Utile*; id eſt notabilis utilitas ſpiritualis, vel corporalis, tùm noſtra, tùm excommunicati. Cap. *Cum voluntate.* tit. *De ſent. excom.* quod eſt Gregorii IX. Quapropter licitum eſt excommunicato auxilium ferre, tùm ſpirituale tùm corporale, & ab eo recipere, ubi ſumma exigit utilitas.

2do. *Lex*; ſcilicet matrimonialis, qua tenentur conjuges, ſi vel ambo, vel alteruter excommunicatus fuerit, cohabitare ſecum, prolis educationi invigilare, rei familiaris curam habere, &c.

3tio. *Humile*; hoc eſt, neceſſitas communicandi ratione ſubjectionis, & reverentiæ, quam debent liberi parentibus, & ſervi ſeu famuli Dominis, tametſi excommunicatis. Ita Innocentius III. cap. *Inter alia.* tit. *De ſent. excom.* & Gregorius VII. Can. *Quoniam multis.* Cauſ. 11. quæſt. 3. ubi, *Apoſtolica*, inquit, *auctoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus: videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, necnon ruſticos ſervientes, & omnes alios, qui non adeò curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur.* Quæ poſtrema verba indicant, neque uxorem lege conjugii, neque liberos aut ſervos, titulô obſequii, cooperari poſſe crimini ſeu peccato excommunicati, vel mariti, vel patris, vel domini.

4to. *Res ignorata*; id eſt ignorantia tàm juris quàm facti, modò craſſa & affectata non ſit, ſed invincibilis. In dubio autem latæ in aliquem excommunicationis, non tenetur quis eum vitare: ſecùs, ſi certa ipſi foret & cognita illius excommunicatio, incerta verò excommunicationis abſolutio.

5to. *Neceſſe*; hoc eſt, neceſſitas vitandi aliquod grave incommodum animæ,

mæ, vel corporis, famæ & bonorum temporalium, v. g. Si quis metu mortis adigatur communicare cum excommunicato non tolerato, non peccabit, dummodò non participet in crimine *criminoso*, ut ajunt; id est, dummodò non committat peccatum propter quod alius excommunicatus est.

249 Observandum autem, prohibitum esse omnibus Fidelibus communicare cum excommunicato vitando, sive in rebus sacris & spiritualibus, sive in humanis & civilibus, sub pœna excommunicationis minoris. Si verò Fideles communicant cum excommunicato in crimine *criminoso*, tunc incurrunt majorem excommunicationem: unde qui cooperantur per consilium, favorem, vel auxilium, ut excommunicatus in suo crimine contumaciter persistat, majorem excommunicationem incurrunt, à qua non possunt absolvi, nisi ab illo, à quo ille criminosus absolvi potest. Cap. *Nuper à nobis.* tit. *De sent. excom.*

250 Observandum præterà, duos esse alios casus, in quibus Fideles, qui communicant cum excommunicato vitando, non minorem sed majorem excommunicationem incurrunt. Primus est in Jure Canonico contra sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro. Cap. *Sacris.* tit. *De sepulturis.* Secundus est contra Clericos excommunicatum à S. Pontifice admittentes ad divina Officia. Atque hæc ex hactenùs dictis facilè colliguntur.

251 *De Minori Excommunicatione.*

Minor dicitur comparatè ad majorem, quia minor est illius effectus, nec iis omnibus Ecclesiæ bonis privat, quibus privantur, qui majoris excommunicationis vinculô sunt astricti.

Minor excommunicatio definitur, *Censura, qua quis Sacramenta percipere non potest, nec ad beneficia aut dignitates Ecclesiasticas eligi.* Undè duplex est hujus minoris excommunicationis effectus, privatio scilicet passiva Sacramentorum, & electionis passivæ ad Beneficia & Ecclesiasticas dignitates. Potest igitur, qui tali Censurâ ligatus est, communicare cum Fidelibus, Missæ Sacrificio, cæterisque divinis Officiis unà cum ipsis interesse; retinere jus ad Beneficia conferenda; immò potest & administrare Sacramenta: neque hæc exercendo fit irregularis, quandoquidem nullo jure hæc irregularitas contra illum decernitur; peccaret tamen celebrando Missam, eò quòd in celebranda Missa Eucharistia debet recipi. Cap. *Si celebrat.* quod est Gregorii IX. tit. *De Cleric. excom. depos. vel interdicto ministrante.* lib. 5.

Minor excommunicatio contrahitur ab iis, qui cum excommunicatis non toleratis illicitè, ac extra casus jam expositos, in divinis, vel in civilibus communicant: semper enim communicatio & societas cum excommunicatis vitandis prohibita fuit. Can. *Qui communicaverit.* Caus. 11. q. 3. Et Cap. *Cùm desideres. De sent. excom.* Nulla verò jam post Constitutionem Martini V. *Ad evitanda scandala*, suprà citatam contrahitur excommunicatio ex commercio cum excommunicato tolerato: neque etiam cum excommunicato non tolerato, si nempe id licitè fiat, unde particulam *illicitè* apposuimus. Quandò autem & quibus casibus tale commercium cum excommunicato vitando licitum sit, paulò antè explicavimus. Cap. *Nuper. De sent. excom.* & Cap. *Si Concubinæ.* eod. tit. 252

253. **De Monitoriis.**

Ad materiam Excommunicationis pertinet quæſtio de Monitoriis.

Monitorium igitur definit Rituale noſtrum Argentinenſe tit. *De Cenſuris.* §. 4. quòd ſit *Monitio ſimul & mandatum Judicis Eccleſiaſtici, quo jubet eos, qui factum norûnt criminoſum aliquod, in ipſo Monitorio expreſſum & denuntiatum, ejusque auctorem, aut complices, ea, quæ circa illud ad ſuam cognitionem devenerint, teneri ſub pœna excommunicationis revelare.*

Non ab alio, quàm ab Epiſcopo ſeu ejus Officiali decerni debent Monitoria, nec concedi, niſi pro re gravi, & habito priùs diligenti examine. Ita Concilium Tridentinum Seſſ. 25. cap. 3. de Reform.

(*e*) Licèt autem plerumque, & notanter in hac noſtra Argentinenſi Diœceſi, trina primùm fiat litterarum Monitorialium publicatio, ſub ſola excommunicationis comminatione, expectare tamen non debent, qui ſciunt ſe factum aliquod revelandum, ut poſt elapſas tres hebdomadas ſententia excommunicationis feratur, ac ſubinde in reos conſciosque Proceſſus, ut ajunt, aggravetur, & reaggravetur (*f*). Sed quamprimùm ad revelationem venire tenentur; idque ſub pœna inobedientiæ erga Eccleſiam, niſi gravis cauſa, aut legitimum impedimentum, à revelatione diſpenſet. Excuſantur enim à revelatione, qui rationabiliter timerent, ne graviſſimum ſibi detrimentum aliquod ex revelatione ſubſequeretur. Si tamen ageretur de bono publico ſive Eccleſiæ ſive Reipublicæ, ad revelationem tenerentur etiam cum ſui damno; & extendi debet exceptio ad alios caſus, qui ipſam admittere poſſunt. Excuſantur etiam conſanguinei & affines Rei ad quartum usque gradum, multò magis accuſatus ipſe, ejusque complices; nemo enim ſe ipſum diffamare tenetur. Tamen ſub ſupradicta excommunicationis pœna tenentur & accuſatus & complices ad ſatisfaciendum ſecretò, aut ad reſtituendum, ſi poſſunt. Neque etiam Litteræ Monitoriales eos ad revelationem obligant, qui factum noverunt per confeſſionem aut per naturale Secretum: hoc autem in ultimo caſu expen-

(*e*) Rituale Argentinenſe, loc. cit.

(*f*) *Aggravare* & *reaggravare* ſignificant idem, ac perſiſtente excommunicati pertinaci contumaciâ excommunicationis declarandæ modum cum apparatu quodam triſti ac terribili, campanis pulſantibus & aliis ſolemnitatibus adhibitur, & cum anathemate. Ex Concilio Turonenſi annô 1239. c. 9.

Verùm hæc verba juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam omninò ſuperflua & inutilia videntur: tùm quia *aggravare* & *reaggravare* novum aliquem effectum internum excommunicationis non ſignificant; nam effectus internus excommunicationis varios non habet gradus, nec ſuſcipit magis & minus; quilibet enim excommunicatus æqualiter excluditur à jure communionis Eccleſiaſticæ, ſuffragiis Fidelium, & Sacramentorum communicatione: tùm quia neque externum effectum excommunicationis denotant; quia quantùm ad illum, non tenentur Fideles, juxta præſentem diſciplinam, excommunicatum, ſive occultus ſit, ſive cognitus, vitare, niſi ſit nominatim declaratus ac denuntiatus; quo caſu excommunicatus excluditur à communione Fidelium, tùm in Sacris ſeu divinis, tùm civilibus, ſeu politicis.

expendendum erit, utrum res ſecreto illo naturali cognita vergat in Eccleſiæ vel Reipublicæ perniciem, tunc enim non ligat ſecretum naturale. Tenentur etiam ad revelationem extranei transeuntes, ipſique etiam à Jurisdictione Ordinaria exempti.

254 *De Suſpenſione.*

Suſpenſio definitur, *Cenſura, qua Clerico prohibetur uſus ſeu exercitium Ordinis, vel Officii vel Beneficii.*

Dicitur 1mo. *Cenſura*, ut diſtinguatur præſertim ab irregularitate, depoſitione, degradatione, & ab ea ſpecie ſuſpenſionis, quæ imponitur in modum pœnæ tantùm, de qua mentio fit Cap. *Cùm in cunctis.* tit. XI. *De iis quæ fiunt à majori parte Capituli.* lib. 3. Decret. Greg. ubi Pontifex eum, qui Conſtitutioni ſuæ non paruerit, *donec dignam egerit pœnitentiam, à perceptione Dominici Corporis alienum* eſſe vult. 1mo. ab irregularitate: quia hæc ex ſe ſe & generatim culpam non importat, conſequenter pœna non eſt, ſed mera inhabilitas ad Ordines ſuſcipiendos vel exercendos, qualis naſcitur ex defectu naturali corporis vel animi. 2do. à depoſitione & degradatione: quia in his Clericus ipſa poteſtate jurisdictionis, & ipſo Beneficii titulo; in ſuſpenſione autem ſolo uſu ſeu exercitio jurisdictionis & Beneficii privatur: deinde depoſitio ac degradatio perpetua eſſe ſolet, ſuſpenſio verò ad tempus fertur. 3tio. Diſtinguitur ab ea ſpecie ſuſpenſionis, quæ imponitur in modum puræ pœnæ tantùm: licèt enim ſuſpenſio ſemper pœna ſit, non tamen ſemper propriè eſt Cenſura medicinalis, ut vocant, ad emendationem futuram, ſed aliquando in meram punitionem culpæ præteritæ, ut conſtat ex cap. *Tam litteris.* tit. *De teſtibus.* Triplex igitur diſcrimen eſt inter utramque ſuſpenſionis ſpeciem. 1mo. Suſpenſio, quæ fertur in modum puræ pœnæ, tempus habet definitum; quæ autem eſt Cenſura propriè dicta, pendet ab emendatione & contumacia. 2do. Suſpenſio, quæ mera pœna eſt, non requirit præviam monitionem, ſicut Suſpenſio, quæ vera eſt Cenſura. 3tio. Iſta tolli non poteſt niſi per abſolutionem, illa verò tollitur per lapſum definiti temporis.

Dicitur 2do. *Qua Clerico prohibetur, &c.* Quibus verbis ſignificatur ſuſpenſionem in ſolos Clericos cadere poſſe, quia ſoli Clerici capaces ſunt poteſtatis ac jurisdictionis Eccleſiaſticæ, cujus uſu & exercitio per ſuſpenſionem privantur: unde diſtinguitur ab excommunicatione & interdicto, quæ pœnæ non tantùm in Clericos, ſed etiam in Laicos cadere poſſunt. Aliunde verò excommunicatio communibus Eccleſiæ bonis privat, interdictum verò participatione divinorum Officiorum: ſuſpenſio autem à ſolo miniſterio Eccleſiaſtico.

Dicitur 3tio. *Prohibetur uſus Ordinis, vel Officii, vel Beneficii:* quibus verbis iterum diſtinguitur à depoſitione, & degradatione, quæ non ſolùm privant uſu jurisdictionis & Beneficii, ſed etiam ipſa jurisdictionis poteſtate.

Ex hac Suſpenſionis definitione & 255
ejusdem explicatione infertur, Suſpenſionem aliam eſſe *totalem*, *partialem* aliam. Qui totaliter ſuſpenſus eſt, nulla Beneficii, vel jurisdictionis, vel Ordinis munia poteſt exercere: qui autem ex parte tantùm eſt ſuſpenſus, ea exercere poteſt, à quibus non eſt ſuſpenſus. Canoniſtæ communiter, quos vide. Item qui ſuſpenſus eſt ab Ordine

dine superiore, non intelligitur suspensus ab inferiore. Ita iterum Canonistæ.

Est etiam, ut jam annotatum, suspensio ad tempus, & suspensio ad perpetuum. Qui ad tempus suspenditur, elapso tempore, & servata aliundè suspensione, sine ulla dispensatione redit ad gradum, à quo suspensus erat. Sed hæc suspensio imponitur in modum puræ pœnæ, proindè non est suspensio propriè dicta, sed impropriè duntaxat, ut jam diximus. Addita hîc sunt hæc verba: *servata suspensione*; qui enim Suspensionem non servat, ille peccat graviter, & irregularis evadit, si suspensus ab Ordinibus sacris, eorum exerceat functiones. Ita Innocentius IV. Cap. *Cùm medicinalis.* tit. *De sent. excom.* lib. 5. Qui ad perpetuum suspensus est, eget dispensatione vel absolutione.

256 Clerici propter gravia delicta ab Officio & muniis suspendi possunt, atque etiam a fructibus Beneficii percipiendis, si hoc ultimum in suspensione exprimatur. *Vid. Canonist.* Observandum tamen Clericum suspensionem aliquando incurrere posse, non propter suam, sed alienam culpam, cùm nempe id expedire judicat Superior. Ita S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. a. 3. quæstiunc. 2. Quæ S. Thomæ doctrina confirmatur ex Cap. *Requisivit.* tit. *De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.* ubi Clerici, qui bona fide Ordines susceperant ab Episcopo, quem ignorabant Episcopatui renuntiasse, tamdiu suspensi declarantur, quamdiu Episcopo suo visum fuerit. Et Cap. *Vel non est compos.* tit. *De temporibus Ordinum.* Honorius III. vult juvenem aliquem annos duntaxat tredecim natum in Diaconum ordinatum, manere suspensum, donec ætatem à Canonibus determinatam attigisset.

Observandum etiam Episcopos in suspensionem ipso jure latam & ipso facto incurrendam non cadere, nisi in Constitutione, quæ talem censuram pronuntiavit, expressa eorum fiat mentio. Ita declaravit Innocentius IV. Cap. *Quia periculosum. De sent. excom.* in 6to.

Observandum insuper, Suspensionem ferri posse non tantùm contra privatos, sed etiam contra communitates, v. g. Ecclesias Cathedrales & Collegiatas, Monasteria, Conventus. Ita constat ex Cap. *Quia sæpè.* tit. *De electione.* in 6to. & Cap. *Si ad Episcopum.* tit. *Ne Sede vacante aliquid innovetur.*

Observandum adhuc, Clericum, qui in sua Diœcesi à functionibus sui Ordinis suspensus est, non posse eas, in alia Diœcesi, ad quam divertit, exercere: *Qui enim ab uno Episcopo suspensus est*, ajunt Canonistæ, *ubique habendus est suspensus.* quemadmodùm, qui ab uno fuit excommunicatus, ab alio recipi non debet. Clericum taliter suspensum & à sua Diœcesi discedentem, si suspensio ab homine lata sit, solus Episcopus, à cujus Diœcesi discessit, & à quo suspensus fuit, absolvere potest, adeoque ad eum est remittendus: Si verò suspensio à Jure lata sit, tunc talis potest ab illo Episcopo absolvi, in cujus Diœcesi domicilium fixit.

Observandum denique, Clericum suspensum posse Sacramenta recipere, quia suspensio privat duntaxat usu & exercitio Ordinis, Officii vel Beneficii, non autem participatione Sacramentorum. Item validè, quamvis illicitè, & cum peccato, Sacerdotem suspensum ea Sacramenta administrare, quæ à potestate jurisdictionis non pendent, ut sunt Baptismus, Eucharistia, Extrema Unctio, &c. imò etiam ea, quæ à jurisdictione pendent, ut Sacramentum

Pœni-

Pœnitentiæ, si nempe toleratus sit, & non denuntiatus, quia tunc adhuc fruitur sua jurisdictione, post sæpè laudatam Constitutionem Martini V. *Ad evitanda.*

257 Casus autem, in quibus suspensio in hac Diœcesi incurri potest, exprimuntur in Rituali novo. Tit. De Pœnitentia §. V. post casus reservatos, & sunt sequentes.

Suspensionem reservatam ipso facto incurrunt 1mo. qui absque licentia Episcopi scienter absolvunt Pœnitentem aliquem ab hæresi, extra mortis periculum. 2do. Qui, absque ejusdem licentia scienter absolvunt Pœnitentem à Censuris & casibus reservatis, extra mortis periculum, nisi Pœnitens positus sit in aliqua circumstantiarum harum, scilicet si eum gravis morbus lecto affixerit. Si matrimonio proximè jungendus sit. Si sit mulier prægnans partui proxima. Si prima vice sacram communionem percipere debeat. 3tio. Qui Matrimonio jungunt Catholicum cum hæretica, vel vicissim. 4to. Qui alienæ Parochiæ Parochianos, non obtenta proprii Parochi, vel Episcopi licentia, Matrimonio jungunt. 5to. Qui deferunt SS. Eucharistiam ad extinguenda incendia, arcendasve tempestates, vel tonitrua, &c. 6to. Qui ad Benedictiones vel Exorcismos, alias à præscriptis in Rituali novo Argentinensi (vel Missali, Pontificali, aut Rituali Romanis) formulas, inconsultô Episcopô, adhibent. 7mo. Qui absque Episcopi licentia, Exorcismos, etiam in Rituali Argentinensi præscriptos, faciunt ad expellendos Dæmones sive è corporibus, sive è domibus, aut locis, quæ ab ipsis obsideri, vel infestari dicuntur. NB. Hæ duæ posteriores suspensiones ab ipsis etiam, qui se exemptos dicunt, incurruntur, si in locis non exemptis talia audeant, aut in loco exempto circa personas non exemptas.

Suspensio autem infligenda duntaxat ibidem decernitur iis 1mo. Qui Matrimonio junxerint castra sequentes vel vagabundos, absque Episcopi licentia. 2do. Qui celebrant Missam sine veste talari, vel sine illa Sacramentum aliquod, extra casum necessitatis, administrant. 3tio. Qui absque necessitate cibum potumvè sumunt apud caupones in locis non unâ leucâ integrâ à domicilio suo distantibus. 4to. Qui aleâ, quivè in nundinis, & aliis in locis ad usus publicos destinatis, ludunt. 5to. Qui tonsuram, qui linteos colli amictus Clericales non gestant, quive habitu non nigro induti in publicum prodeunt. 6to. Qui in suis ædibus famulatui adstrictas retinent fœminas, quæ ad quadragesimum ætatis annum non pervenêre: aut mulieres alias à Matre, Sorore, Avia, Amita, Matertera, & filia fratris vel sororis apud se habitare sinunt. 258

De Interdicto. 259

Interdictum in sæpè laudato Rituali nostro Argentinensi, tit. de Censuris, §. 6. pag. 148. definitur, *Censuræ species, qua Ecclesia vel omninò vel ex parte, Sacramentorum usum, divinorum Officiorum celebrationem, & sepulturam Ecclesiasticam interdicit, aut propter aliquod grave facinus, aut propter indecentiam notabilem.*

Dicitur 1mo. *Censura*, ut distinguatur ab irregularitate & à cessatione à divinis, quæ nec Censura est, nec pœna, sed simplex prohibitio, vi cujus Clerici desistere debent à Sacris officiis in certo loco celebrandis, in signum gravissimi luctûs, seu mœroris Ecclesiæ, ob causam gravem, qua interdum compellitur ad illam à divinis cessationem imperandam, v. g. propter pollutionem Ecclesiæ &c. Dicitur 2do. *Qua Ecclesia* vel

vel omninò vel ex parte Sacramentorum usum interdicit. per quæ differt ab excommunicatione, quæ semper privat omnibus omninò communibus Ecclesiæ spiritualibus bonis, imò & civili cum Fidelibus societate ac commercio, nonnullis exceptis casibus.

260 Triplex generatim distinguitur Interdictum, *Locale* scilicet, *Personale*, & *Mixtum.* *Locale* directè cadit in locum, ac impedit ne in eo divina Officia, saltem publicè, celebrentur, & ne quis in eo sepulturâ donetur. Locale verò interdictum illud vel generale est; v. g. Regni, Provinciæ, Civitatis; vel speciale, alicujus nempe Ecclesiæ. Si generale, in nulla prorsus Regni, vel Provinciæ, vel Civitatis Ecclesia licet divina Officia celebrare & audire: si verò speciale, non licet quidem in tali speciali Ecclesia, sed licet in aliis ejusdem Provinciæ vel Civitatis Ecclesiis non interdictis illa Officia publicè celebrare & audire, ac sepelire.

Personale in ipsas cadit personas, & ita ipsis adhærescit, ut in nullo loco divina Officia audire possint, aut Ecclesiasticâ sepulturâ donari.

Mixtum ex locali & personali constat, & directè afficit tùm locum, tùm personam; ac proindè omnes interdicti localis & personalis effectus mox dictos sortitur.

261 Circa interdictum sequentia Rituale nostrum Argentinense loc. cit. præscribit observanda. 1mo. Non debet interdictum personale ferri in Societatem propter privati hominis culpam; sed solùm propter delictum communitatis, aut Superioris. Cap. *Si sententia* Tit. *De sent. excom.* in 6.

2do. Hæc vulgò in Interdicto generali licent: scilicet baptizare infantes, pœnitentes reconciliare, Viaticum & Extremam Unctionem moribundis ministrare, sed sine ulla solemnitate. Concilium Lemovicense an. 1031. Can. 2. Innocentius III. lib. 5. Tit. 38. c. 11. Quantùm verò spectat Sacramntum Matrimonii, cùm per benedictionem Sacerdotalem conferatur, quæ ad officium, seu ministerium Ecclesiasticum pertinet, videtur illud tempore interdicti administrari non debere, saltem publicè & coram omnibus. Ita colligitur ex Cap. *Alma mater.* tit. *De sent. excom.* in 6to. lib. 5. quod est Bonifacii VIII.

3tio. Eodem Interdicti generalis tempore, potest Missa semel, per hebdomadam, in Parochiali Ecclesia celebrari; sed submissa voce, sine campanarum sonitu, exclusis iis, qui sunt interdicti, idque in Dominica propter diei solemnitatem, & ut simul renoventur Hostiæ in gratiam ægrotorum, sed clausô etiam Ecclesiæ ostiô. Gregorius IX. lib. 5. tit. 39. c. 57.

4to. Permittunt aliqui Canones, in hisce generalibus Interdictis, dum Ecclesiæ non sunt nominatim interdictæ, ut in præcipuis anni festivitatibus Officium divinum solemni ritu peragatur, ea semper lege, ut interdicti extra Ecclesiam remaneant. Cap. *Alma mater.* sup. cit.

5to. Licèt Ecclesia interdicta sit, possunt Clerici in ea, clausis janujs orare, & Officium recitare, sed absque cantu & Cæremoniis, & ita, ut nihil extra Ecclesiam audiatur. Conc. Colon. an. 1280. Can. 18.

6to. Si interdictum sit personale, quando nominatur populus, non censetur interdictus Clerus, sicut nec Ecclesia Cap. *Si sententia.* sup. cit. Si nominentur Ecclesiæ tantùm, potest alibi populus Missæ & Officiis adesse, & Sacramentis participare. Bonifacius VIII. Cap. *Si sententia* cit.

7mo. Si

7mo. Si Ecclesia sit interdicta, Capellæ, Claustrum, & Cœmeterium, si contigua sint, interdicta censentur. Interdictô autem solummodò Cœmeteriô, interdicta non censetur Ecclesia. Cap. *Si Civitas.* Tit. *De sent. excom.* in 6.

8vo. Si interdicti Ecclesiam intrare præsumant, dum in ea celebratur Officium, & admoniti nolint discedere, cessandum est ab ipsa etiam Missa, nisi Canon sit inceptus: tunc autem post Communionem Sacerdos recedat ab Altari, & Missam compleat in vestiario.

9no. Servari non debet interdictum nisi legitimè promulgatum fuerit. Conc. Avenion. an. 1326. (*g*)

10mo. Promulgatô interdictô latô ab Episcopo, servare illud tenentur Regulares ipsi, etiam ii, qui se exemptos dicunt. Clementinâ I. Tit. *De sent. excom.* Concilium Trid. Sess. 25. Cap. 12. de reform.

11mo. Episcopi interdictum servare non tenentur, nisi expressè nominentur. Innocentius IV. Cap. *Quia periculosum.* Tit. *De sent. excom.* in 6to.

12mo. Si Laici interdictum violant, peccant mortaliter. Clerici autem, præter peccatum mortale, cujus rei evadunt, incurrunt irregularitatem, quando scilicet Ordinis sui functiones obeunt. Clement. *Gravis. De sent. excom.* & cap. *Is qui.* tit. 11. in 6.

13tio. Qui personas nominatim interdictas in loco sancto, aut non interdictas in Cœmeterio interdicto sepeliunt, ipso facto excommunicantur. Clement. 1. *De sepulturis.*

§. IV.

Quis possit ferre Censuras, & ab iis absolvere. 262

Certum est quemlibet posse delegari ad ferendas Censuras, modò sit Clericus. Cap. *In nona.* Causâ 16. q. 7.

Igitur Censuræ ferri possunt ab omni & solo Prælato Ecclesiastico, vel ejus delegato, id est à Clerico jurisdictionem ordinariam vel delegatam habente in foro externo.

Nomine fori autem generatim intelligitur locus, ad quem negotiorum causâ convenire necesse est. Hinc forum venale vocamus locum, quò homines se conferunt ad vendendum aut emendum. Forum judiciale, ubi jus dicitur: quamquam forum judiciale vulgò appellatur ipsa potestas judicandi, in quocumque loco exerceatur. Et eo sensu hîc forum sumitur.

Forum judiciale duplex est, scilicet internum, & externum: prius alio nomine dicitur *forum conscientiæ, in quo* scilicet, inquit S. Thomas in supplem. q. 22. a. 1. *causa agitur inter hominem & Deum.* ut in Sacramento Pœnitentiæ. Alterum, *in quo nempe causa agitur hominis ad hominem* ex eodem S. Doctore ibidem; dicitur *forum contentiosum, quia in eo*, ait S. Doctor ad 2. *oportet quòd non solùm Deo sed etiam homini satisfiat;* ideoque ibi fit disceptatio inter actorem & reum, proferuntur instrumenta, rationes, adducuntur testes; & omnibus perpensis Judex alterum absolvit, alterum ligat.

Forum externum rursùs duplex est, nempe civile, & Ecclesiasticum: in civili agitur de rebus temporalibus apud Judicem sæcularem: in Ecclesiastico,

(*g*) Item Constit. Martini V. *Ad evitanda.*

de spiritualibus præsertim, apud Judicem Ecclesiasticum. Ex quibus patet potestatem ferendi censuras respicere externum Ecclesiæ forum, cùm per eam subditi ad se invicem ordinentur: vel enim totaliter à communione aliorum separantur, ut excommunicati, vel ex parte, v. g. in usu activo & passivo Sacramentorum, ut interdicti; activô verò tantùm, ut suspensi.

263 Quòd ergo Censuræ ferri possint ab omni & solo Prælato Ecclesiastico, vel ejus delegato &c. ut suprà diximus; ratio manifesta est, quia potestas Ecclesiastica fori externi tota ordinatur ad servandam morum disciplinam per leges ac præcepta. Atqui otiosa prorsus illa foret, & illusoria, nisi propositis pœnis ac censuris, veluti quodam freno, rebelles ac contumaces continere, & ad obedientiam cogere posset. Ita ex omnium Theologorum sententia, ac ipso jure Canonico certum & exploratum est, maximè ex toto Titulo *De officio Judicis Ordinarii.*

Nomine autem Prælati Ecclesiastici intelligitur omnis Clericus habens jurisdictionem in foro externo; quales sunt Summus Pontifex in tota Ecclesia. Episcopi in suis Diœcesibus, eorumque Vicarii generales & Officiales. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, Sede vacante. Prælati etiam Regulares respectu suorum subditorum. Non ita est de Parochis, qui sub titulo & appellatione Prælatorum non continentur, nec ulla saltem perfecta jurisdictione in foro exteriori fruuntur.

Ut autem potestas ferendi Censuras 264
validè exerceatur, requiritur 1mo. ut sit libera, non ligata nec impedita per Censuram excommunicationis vel suspensionis. Cap. *Audivimus.* causâ 24. q. 1. 2do. ut auctor Censuræ liberè agat, & sui sit compos. 3tio. Ut Censura in subditum feratur. Cap. *A nobis.* Tit. *De sent. excom.*

Diximus Censuras ferri posse ab om- 265
ni & solo Prælato, *vel Clerico ab eo delegato.* Excluduntur ergo Laici omnes, item & fœminæ, quibus clavium potestas concessa non fuit; imò & ipsæ Abbatissæ, licèt aliqua fruantur jurisdictione. Cap. *Dilecta.* tit. *De majoritate & obedientia.* Ubi dicitur, quòd Abbatissa, Moniales & Clericos suæ jurisdictioni subjectos excommunicare non possit, sed Prælatus Ordinis, vel Episcopus. Nec refert quod ibidem dicitur, scilicet pertinere *ad Abbatissam dictas personas, propter inobedientias & culpas, officiô, Beneficioque suspendere.* Namque nomen *suspensionis* hîc propriè & in rigore non sumitur pro Censura Ecclesiastica, quam qui violat, irregularitatem contrahit, sed lato ac improprio sensu, nempe pro præcepto seu sententia, per quam Abbatissa Clerico v. g. jurisdictioni suæ per accidens subjecto ratione alicujus Capellæ ad ipsam pleno jure ex privilegio vel præscriptione pertinentis, prohibet celebrationem Missarum, donec satisfecerit, atque intereà eidem honorarium subtrahit.

Porro in ferendis Censuris hæ forma- 266
litates sunt observandæ. Requiritur prævia monitio Canonica (*b*) ad Censu-

(*b*) Duplex est monitio, *Canonica* una, altera *non Canonica*: hæc nihil est præter legem, aut sententiam Superioris aliquid præcipientis aut prohibentis sub pœna Censuræ: *Canonica* verò est ea, per quam Superioris auctoritate per sententiam admonetur reus personaliter, saltem indeterminate, ut à culpa resipiscat, vel satisfaciat, nisi velit Censuram incurrere.

suram, quæ ab homine infligitur pro culpa præterita aut præsenti. Habetur ex Apostolo ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Item ex Jure Canonico Cap. *Sacro.* Cap. *Romana.* tit. *De sent. excom.* in 6to. Cap. *Cum speciali.* Tit. *De Appellatione.* &c Et Gregorius IX. in Concilio Lugdunensi decernit irritam fore excommunicationem, nisi præcedat monitio.

Diximus, *Canonicam monitionem exigi ad Censuram, quæ ab homine infligenda est pro culpa præterita vel præsente*, in qua reus contumaciter persistit, vel pro ea satisfacere jussus recusat. Nam in omnibus Censuris à jure, imo & in Censuris ab homine pro culpis futuris, non requiritur admonitio distincta ab ipsa lege vel prohibitione, quia ipsa lex, seu præceptum Superioris, continua quædam est ac publica admonitio; & contumax meritò judicatur, qui promulgatæ legi non paret.

His adde ex Cap. *Constitutionem.* tit. *De sent excom.* in 6to. Canonicam monitionem ex juris præcepto, ut Censura justa sit, trinam esse debere, interpositô aliquorum, saltem duorum vel trium, dierum intervallô. Patet ex Can. *Omnes decimæ.* 17. q. 7. Quòd si tamen criminis aut mali impendentis periculum, factive urgens necessitas interdùm aliud postulet, ac dilationem non patiatur, tunc à Judice, unica facta monitione, Censura infligi potest, juxta Cap. *De illicita.* caus. 24. q. 3. & cap. *Reprehensibilis.* tit. *De appellat.*

Porrò Canonica monitio ad reum personaliter ferri debet; si nihil obstet. Quando verò vel ipse malitiosè latitat, satis est monitionem cum comminatione ad ipsius domum fieri; vel si ad ejus domum non pateat accessus, ad Ecclesiæ valvas, vel ad alium publicum locum affigi, undè ad ipsum notitia pervenire possit, ut ex variis juribus probat Glossa super Cap. *Quoniam frequenter.* §. *Porro ut lite non contestata.* Sin autem per contumaciam non comparet, etiam absens Censurâ inuri potest.

Denuntiatio autem illius, qui Censuram contraxit fieri non potest, nisi auctoritate Superioris legitimi, aut ab ipso delegati, idque publicè in Ecclesia, vel scriptô, in quo causa Censuræ exprimatur, ad valvas Ecclesiæ affixô, juxta morem receptum cujusque Dioecesis. Cap. 1. *De sent excommunic.* in 6to. & satis constat ex usu & praxi Ecclesiæ.

Quantùm ad absolutionem à Censu- 267
ris. Certum est eas nullo modo tolli posse, nisi per Judicis absolutionem. Quia necesse est ut publica potestate, qua contracta est Censura, eàdem dissolvatur. Et verò non tollitur 1mo. per solam cessationem contumaciæ, aut per satisfactionem, ex cap. *Cùm desideres.* Tit. *De sent. excom.* & ex Decreto Alexandri VII. in quo damnatur hæc propositio: *Quoad conscientiæ forum, reô correctô, ejusque contumaciâ cessante, cessant Censuræ.* 2do. Non tollitur per mortem ferentis; quia pœna per legitimam Judicis sententiam inflicta transit in rem judicatam, adeòque non finitur morte aut depositione imponentis: multò minùs, quæ à jure imposita pœna est, ab ejus auctore pendet; quemadmodùm nec ipsum jus seu statutum. 3tio. Non tollitur per mortem illius in quem lata est Censura, v. g. excommunicationis; quandoquidem etiam mortuus Ecclesiæ suffragiis ac sepulturâ privari potest. Restat igitur, ut per solam legitimam Judicis sententiam Censuræ solvantur.

Igitur 1mo. tolli potest Censura ab eo, qui eam tulit: nam ejusdem est solvere & ligare, dummodò perseveret in

illo Jurisdictio, nec extincta sit per depositionem, vel impedita per Censuram excommunicationis, suspensionis, &c.

2do. Censura tolli potest à Superiore illius, qui eam tulit, modò plenam habeat jurisdictionem in eos, qui Censurâ ligati sunt. Inde est, quòd Archiepiscopus seu Metropolitanus absolvere à Censuris non possit, nisi per appellationem ad illum causa devoluta fuerit; quia ipse plenam jurisdictionem non habet, nisi Jure appellationis, Cap. *Venerabilibus. De sent. excom.* in 6. aut cùm ex Juris concessione Suffraganei sui Diœcesim visitat. Ea ipsa de causa Episcopus excommunicatos Regulares à proprio Prælato, ex causa pertinente ad regularem disciplinam, absolvere non potest; quia correctio Monachi primô locô pertinet ad Abbatem. Quamvis Regulares, si exempti non sint, ab injusta sententia Prælati ad Episcopum appellare non prohibentur.

3tio. Censura dissolvi potest à successore Prælati, qui eam tulit. Cap. unic. *De majoritate & obedientia.* in 6.

4to. Censura tolli potest etiam, à Judice Superiore, ad quem illius cognitio per appellationem deducta est: appellatio quippe via Juris est aperta ad tutelam & præsidium innocentiæ, non criminis & injustitiæ.

5to. A Censuris juris vel sententiæ generalis, quam is, qui eam tulit, sibi reservavit, nemo absolvere potest præter ipsum, ejusve Superiorem, successorem vel delegatum. Constat ex dictis & habetur Cap. *Nuper.* & Cap. *Sacro.* tit. *De sent. excom.* Cap. *Ad recipiendum.* tit. *De officio Judicis Ordinarii*

Jure novo tamen Concilium Tridentinum Sess. 24. Cap. 6. *De reform.* permittit Episcopis absolvere à casibus & Censuris Summo Pontifici reservatis, modò casus illi sint occulti; nec ad forum contentiosum deducti: neque huic privilegio derogat Bulla *Cœnæ Domini.*

Item Episcopi possunt etiam absolvere à Censuris Papæ reservatis, quando Rei sunt impuberes, vel senes, vel debiles, vel pauperes; vel quando sui juris non sunt; vel mulieres; vel denique si Rei sint legitimè impediti, ut adeant S. Pontificem. Cap. *De cætero.* & Cap. *Mulieres.* & Cap. *Ea noscitur.* tit. *De sent. excom.* Illi tamen absolvi non debent, nisi cum onere (cessante impedimento) sistendi se posteà coram S. Pontifice aut ejus Legato; non quidem ut ab ipsis absolvantur, sed ut eorum mandatum accipiant. Cap. *De cætero.* & Cap. *Mulieres.* & Cap. *Ea noscitur* tit. *De sent. excom.* alioquin ipso facto reincidunt in eandem Censuram. Cap, *Eos qui.* eod. tit. in 6. quod restringendum est ad loca, ubi disciplina illa viget. Ab hoc onere sistendi se coram S. Pontifice excipiendi sunt, qui propter puerilem ætatem ab Episcopo absolutionem acceperunt: non enim tenentur, cùm adoleverint, Summum Pontificem adire, ut expressè definitur, Cap. *Pueris.* tit. *De sent. excom.*

Quilibet etiam Sacerdos potestatem habet in articulo mortis absolvendi ab omnibus Censuris, etiam reservatis: attamen ille, qui hic fuit absolutus, elapsô periculô, tenetur quamprimùm adire Superiorem ad excipiendum ejus mandatum, & ad id tenetur sub pœna reincidentiæ in eandem Censuram. Cap. *Eos qui.* tit. *De sent excom.* in 6. A Censuris vero non reservatis quilibet Sacerdos legitimè approbatus semper potest absolvere. Cap. *Nuper.* tit *De sent. excom.* Hæc est communis Ecclesiæ praxis ac disciplina, qua certum est singulos Confessarios audita confessione Clericorum, solitos esse præmittere absolutionem *ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*, prout suprà, ubi de excommunicatione,

jam annotavimus: qua cautela Ecclesia utitur ad evitandam vel irreverentiam, si fortè pœnitens aliquâ occultâ Censurâ ligatus sit; vel irregularitatem, si cum simili censura quis ad Sacram Ordinationem accederet: idque agunt Confessarii non ex officio (quippe quorum forum internum est & conscientiæ, non externum, ad quod pertinent Censuræ) sed ex indulgentia, & concessione Ecclesiæ.

268 Observandum hìc, Suspensionem & Interdictum, quando ad certum tempus feruntur, & cum aliqua conditione, v. g. Si Sacerdos suspendatur ab officio, donec per mensem spiritualibus exercitiis in Seminario vacaverit; vel interdicitur Ecclesia, donec tectum reparatum fuerit, cessare absque absolutione, si conditio, quæ imposita fuerat, adimpleta sit.

Episcopus extra suam Diœcesim potest subditum suum à Censuris sibi reservatis absolvere in foro conscientiæ duntaxat; non verò in foro contentioso cum strepitu & solemnitate judiciali; defectu scilicet *territorii* (*i*) ut ajunt, seu jurisdictionis in aliena Diœcesi.

Pariter, qui in sua Diœcesi Censurâ ligatus est, in alia, in qua comoratur, absolvi potest in foro interno & conscientiæ duntaxat, non in foro externo, quando Censura est à jure, vel ab homine per sententiam generalem lata. Si verò Censura est ab homine per sententiam particularem, remittendus est ille ad proprium Episcopum, vel ab eo impetranda absolvendi licentia, quia in eo casu valet commune effatum, à nobis jam sup. adductum, *Ejusdem est solvere, cujus est ligare:* alioquin Ecclesiastica disciplina perturbaretur.

Inter absolutiones à Censuris alia etiam est, quæ dicitur *ad cautelam*; alia *cum reincidentia.* Asolutio *ad cautelam* est, quæ provisionaliter datur, ut reus coram Judice se purgare possit, aut aliud aliquid tutò agere, absque metu incurrendæ irregularitatis. De ea variis Juris Canonici locis fit mentio, ut Cap. *Cùm desideres.* Cap. *Per tuas.* Cap. *Venerabili.* tit. *De sent. excom.* 269

Multis in casibus dabatur olim absolutio *ad cautelam.* 1mo. Cùm à sententia latæ excommunicationis excommunicatus ad Superiorem provocabat, ut capax fieret prosequendi litem in tribunali Ecclesiastico, ac purgandi se ab impacta criminis accusatione, in ipso limine litis ab excommunicatione *ad cautelam* absolvebatur. 2do. Cùm de validitate latæ Censuræ dubium erat legitimum, quod obtendebat excommunicatus, *ad cautelam* absolvebatur, donec causa ultimò definiretur; quod quidem de sententia duntaxat ab homine, non autem à jure vel generali statuto lata debet intelligi: namque sententia ab homine invalida esse potest, aut injusta, defectu scilicet vel jurisdictionis, vel causæ legitimæ; talis verò præsumi non potest sententia à jure, vel generali statuto lata. Non sufficiebat autem, ut qui à Censura provocabat ad judicem superiorem, obtenderet illam fore injustam, sed nullam esse contendere debebat; aliàs absolutionem *ad cautelam* vix obtinuisset: quia si injustam tantùm dixisset, eo ipso se illâ teneri & obstringi fassus fuisset, quia excommunicatio, tametsi injusta, modò non sit nulla, ligat, quamdiu per absolutionem non solvitur. 3tio. Absolvebatur excommunicatus ad cautelam, quando sine periculo

(*i*) Nomen *territorii* Juris-Consulti deducunt, à *terrendo*, quasi sit potestas terrendi subditos. Alii vero à *terra*; quasi sit certus terræ alicujus ambitus, qui ad Principem seu Dominum pertineat, quem incolunt & quo concluduntur homines, qui propterea subditi dicuntur. In priori significatione hìc *territorium* sumi videtur; quamquam nihil obstat, quò minùs in posteriori significatione sumi dicatur.

culo absolutio differri non poterat. Cap. *Sacro.* Vel quando in mortis articulo constitutus erat. Cap. *Eos qui.* tit. *De sent. excom.* &c.

270 Absolutio autem à Censura *cum reincidentia* est ea, in qua qui absolutus est, iis non adimpletis, quæ injuncta ipsi fuerant, in eandem censuram denuò incidit, seu reincidit, à qua fuerat absolutus: quod quidem duobus modis fieri potest, 1mo. suspendendo per aliquod tempus effectum Censuræ, intra quod, qui re ipsa ligatus est, potest Sacramenta percipere, cæterisque Ecclesiæ bonis participare: at illo elapso tempore, ipso facto, & sine nova sententia in eandem Censuram reincidit. 2do. Dando absolutionem sub certis conditionibus, v. g. satisfaciendi parti læsæ, vel aliqua alia bona opera exercendi intra certum quoddam temporis spatium; quæ conditiones, si non fuerint observatæ, recurrit eadem Censura.

Hujus absolutionis *cum reincidentia* frequens occurrit in Decretalibus mentio, præsertim verò in cap. *Eos qui. De sent. excom.* in 6. Ubi Bonifacius VIII. duos casus refert. Primus est, si quis in articulo mortis, vel aliquo impedimento detentus, non potest Superiorem adire, absolutus tamen fuit à Sacerdote, qui extra casum necessitatis potestatem non habebat absolvendi; is, si recuperata sanitate, & impedimentô sublatô, ad Superiorem non recurrat, in eandem denuò incidit excommunicationem. Secundus casus est, quando quis à S. Pontifice absolutus fuit à Censura ipsi reservata, & ad Ordinarium locorum remissus, cùm primùm commodè poterit, ut ab ipso congruam recipiat pœnitentiam, neglexit Episcopum adire, recurrit eadem excommunicatio.

Soli Episcopi & ab ipsis delegati possunt absolvere *à reincidentia*; quia ad hanc absolutionem necessaria est jurisdictio in foro non tantum interno, sed externo; qua posteriori privantur simplices Sacerdotes. Qui autem sic absolutus fuit, & non potest certo tempore exequi quæ injuncta sibi fuerant, non reincidit in excommunicationem; quia cùm hæc relapsûs pœna sit, culpam supponit; at in casu proposito nulla est culpa.

Hæc quidem Bonifacius VIII. verùm jure novo Concilii Tridentini, qui in articulo mortis à Sacerdote nullam extra casum necessitatis habente potestatem absolvendi, absolutus, etsi, postquam convaluit, Superiorem, à quo possit absolvi, non adeat, non tamen in eandem Censuram incidit, quia laudatum Concilium docet, in articulo mortis nullam esse reservationem.

Ut vero quis in eandem Censuram, v. g. excommunicationem, per *reincidentiam* incurrat, etsi, quantùm ad illius effectus internos in foro conscientiæ, necessaria non sit Superioris sententia, quippe quæ inutilis sit, quia ille absolutus, non adimpletis iis, quæ ipsi fuerant injuncta, ipso jure excommunicationem incurrit. Ita Bonifacius VIII. loc. cit. Attamen ut in eandem incidat, quantùm ad effectus externos, necessaria est nova Superioris sententia, qua declaret talem ob suam contumaciam, & inobedientiam in excommunicationem recidisse, ac jubeat eum tanquam excommunicatum nominatim denuntiari.

Quantùm verò ad modum absolvendi à Censuris; notandum 1mo. ad absolutionem à Censuris requiri ut absolutio verbô vel scriptô aut saltem alio signo externo sufficienter exprimatur: quia cùm fiat inter homines, debet etiam humanô ac sensibili modô fieri. 2do. Etsi nulla determinata verborum forma requiratur ad essentiam & valorem absolutionis, illicitum tamen esset, absque necessitate, uti aliâ formâ, quàm consuetâ. Hæc autem forma, si absolutio detur extra Sacramentum Pœnitentiæ, 271

maxi-

maximè in foro externo, præscribitur in Ritualibus cum cæremoniis & precibus requisitis. At verò si absolutio detur in Sacramento Pœnitentiæ, sufficit generalis forma, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantùm possum, & tu indiges.* Quæ verba, si cum debita intentione proferantur, continent absolutionem omnium Censurarum, à quibus Confessarius potest licitè absolvere. 3tio. Aliquando fit, ut absolutio Censurarum fit tantùm pro foro interno conscientiæ, ita ut non valeat pro foro externo, nisi Superior Ecclesiasticus illam velit acceptare. Datur autem absolutio pro foro interno tantùm ad hoc, ut homo absolutus maneat coram Deo, salvo tamen jure Superioris, cognoscendi scilicet de hominis delicto in foro externo, & de illo pœnam & satisfactionem exigendi. 4to. Absolutio Censurarum ferri potest in absentes per nuntium, litteras, sicut quotidianus Ecclesiæ usus in Rescriptis Pontificiis demonstrat.

§. V.

272 *In quos ferri possint Censuræ, & quam ob Causam, &c.*

Quantùm ad 1mum. Censuræ ferri possunt in omnes & solos homines baptizatos, viatores, rationis & doli capaces, necnon subditos.

1mo. Solus homo esse potest subjectum capax censuræ: undè cum locustæ v. g. aliaque hujusmodi nociva animalia interdum excommunicari, vel anathematizari dicuntur, non hîc intelligitur vera excommunicatio, quæ Censura est; est enim solummodo quædam adjuratio & oratio facta pro ipsorum interitum vel expulsione.

2do. Homo *baptizatus*, quia Ecclesia nullam jurisdictionem habet in non baptizatos, etiam catechumenos. (*k*) *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ait Apostolus 1. Cor. 5. v. 12. Habet tamen jurisdictionem in Hæreticos, Apostatas, aliosque hujusmodi baptizatos.

3tio. Homo *viator*. *Quodcunque solveris super terram &c.* inquit Christus ad Petrum Matth. 16. v. 19. Mortui scilicet nec ampliùs subsunt Ecclesiæ, nec contumaces esse possunt aut emendari; ac proindè propriè ac directè censurâ ligari non possunt. Quando igitur in Jure Canonico legimus mortuos excommunicari, intelligi debet vel de quadam execratione ac destetatione, vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerant, & in qua mortui sunt; vel de excommunicatione indirecta, qua Ecclesia prohibet, ne pro ipsis Sacrificium offeratur, ac preces consuetæ fundantur. Sic egit Innocentius I. adversùs Arsacium Pseudo-Episcopum post ejus mortem, apud Nicephorum, lib. 13. hist. c. 34. *Arsacium*, inquit, scribens ad Arcadium Imperatorem, *quem pro magno Joanne Chrysostomo in thronum Episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus, unà cum omnibus, qui consultò cum eo communicaverunt, Episcopis; cujus etiam nomen sacro Episcoporum albo non inscribatur.*

Qua ratione mortuum excommunicare potest Ecclesia, ita & eadem ab excommunicatione absolvere, sive permittendo, ut pro illo Sacrificium & preces offerantur; sive declarando latam fuisse excommunicationem in eum, qui re vera criminis, cujus accusabatur, reus non erat

(k) Quia non baptizati etiam Catechumeni, nondum sunt Ecclesiæ membra, nec proinde illius subditi; cùm Baptismus sit janua ad Ecclesiam, &c.

erat; ſive quia etiam ſuppoſita criminis veritate, ſinceram de illo egerat pœnitentiam. Hæc porrò abſolutio juridica non eſt ſententia, ſed vel ſimplex declaratio ſtatûs, in quo ille defunctus eſt, vel reſtitutio in honore ac fama.

4to. Homo *rationis ac doli capax:* quia nempe infantes, vel perpetuò amentes incapaces ſunt peccati, ac proinde præcepti ac Cenſuræ. Quoad pueros conſentiunt Doctores poſſe impuberes doli capaces incidere in Cenſuram à Jure latam. Cap 1. & *finali. De ſent. excom.* Negant aliqui de Cenſura ab homine lata. Ætatis impuberis nomine intelligitur ea, quæ nondum attigit annum decimum quartum in maſculis, & annum duodecimum in puellis.

5to. Homo *ſubditus*: Cenſura enim eſt actus jurisdictionis, quæ non poteſt exerceri, niſi à Superiore in ſubditos.

Porrò ſubditorum nomine in quodam ſenſu etiam veniunt extranei, advenæ, & peregrini, reſpectu eorum locorum per quæ tranſeunt etiam ſine animo ibidem permanendi. Unde communiter ſentiunt Theologi eos ligari poſſe Cenſuris à jure ſeu ſtatuto communi latis: ſic ergo peregrinus, qui homicidium patraret in aliqua Diœceſi, in qua ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ prohibitum eſt, hujusmodi excommunicatione ligaretur; quia ex Cap. *Licet.* tit. *De foro competenti.* ratione delicti quis forum ſortitur, & fit quodammodò ſubditus; ergo ubi peccavit extraneus, ibi & plecti poteſt: ſtatutum quippe ſeu lex publica & communis, *immediatè afficit territorium*, ut quotquot in eo degunt, rectè ac convenienter vitæ ſuæ rationem componant ad publicum bonum, pacem & tranquillitatem totius regionis. Eſt autem regula Juris 55. in 6to. ut *qui ſentit commodum, ſentiat & incommodum* ſeu *onus*: Atqui peregrini & advenæ gaudent commodis eorum locorum, in quibus verſantur; ergo, &c. Attamen hujusmodi extranei & peregrini non ligantur Cenſurâ, quæ eſt *ab homine*, id eſt, ſententia Judicis pro peccatis futuris, ſi tempore latæ ſententiæ nondum illius territorium ingreſſi fuerant. Ratio eſt, quia ſententia refertur ad tempus, quo pronuntiatur, & tunc vim omnem ſuam exerit in eos, in quos fertur; ergo ad illos non extenditur, qui tempore latæ ſententiæ ſubditi non erant: quod quidem verum eſt, ſive extraneus ſit in aliena Diœceſi animô ibi commorandi, vel non.

Poſſunt tamen extranei aliquando li- 273
gari Cenſurâ per ſtatutum latâ, tametſi tempore latæ ſententiæ, ſeu ſtatuti cum Cenſura promulgati, nondum ingreſſi ſint Diœceſim. Patet id ex conditione ſtatuti ſeu legis, quæ futura conſiderat; ex Gloſſa in Cap. *A nobis non niſi ſubditi. De ſent. excom.* Eſtque perpetua, ſive *perpetuò loquitur.* Ex Lege *Ariani.* Cap. *Cunctis.* Cod. *De Hæreticis.* Ergo futuros ſubditos obligat; adeoque poſſunt extranei ligari Cenſurâ latâ per ſtatutum, antequam Diœceſim ingrediantur. Iſta porro ſententia ſtat ac viget, non tantùm pro illo, qui verſatur in aliena Diœceſi animô commorandi per aliquod tempus, ſed etiam de hominibus peregrinantibus; quia eo ipſo, quo ſtatutum fertur pro *territorio*, ſubjectio ad illud oritur ex actuali exiſtentia & converſatione in tali territorio, propter obligationem quaſi naturalem, quæ inde procedit, quòd ſinguli teneantur mores & ſtatuta illius regionis ſequi, in qua verſantur; ex quo ſequitur errantes & vagos ligari poſſe Cenſuris per ſtatuta latis in locis, in quibus obiter reperiuntur: quod quidem eò verius eſt de illis, qui cùm nullum peculiare domicilium habeant, tenentur legibus Epiſcopi loci illius in quo ſunt.

Diœ-

274 Dioecesani autem extra Dioecesim existentes, ex communi sententia non ligantur Censuris per statutum à suis Episcopis latis, si extra Dioecesim existentes crimen commiserint; quia statutum non obligat extra territorium. Cap. *Ut animarum.* tit. *De Constitut.* in 6to. Addendum tamen, subditos, quamvis extra Dioecesim existentes, aliquando censeri delinquere in propria Dioecesi, seu ibi consummare peccatum sub censura prohibitum, ideoque etiam Censuram incurrere. v. g. Ecclesiastici ubicumque sint, cogi possunt per Censuras ad residentiam, vel ut veniant ad Synodum; tunc enim propriè omissio eo in loco consummatur, in quo hæc fieri debent: incurrunt etiam Censuram, si lata fuerit sub conditione, sed cum ordine seu respectu ad delictum præteritum, vel debitum contractum tempore prioris domicilii, ut si v. g. dicatur: *Nisi qui furatus fuerit, restituerit;* vel, *Nisi qui delicti auctorem novit, revelaverit;* vel, *Nisi qui debet, satisfecerit intra mensem, sit excommunicatus;* tum si ante mensem expletum mutet domicilium, elapso mense incidet in Censuram, quia manet adhuc subjectio in ordine ad talem causam, utpote cœptam. Cap. *Proposuisti.* tit. *De foro competenti.* Item Dioecesani extra Dioecesim existentes ligantur Censuris ab homine latis; quia Censura ab homine immediatè & per se afficit eos, quibus hæret, quocumque secesserint. Nec tamen Episcopus extra suam Dioecesim existens suum subditum ligare potest; quia ex Clementina *Quamvis.* tit. *De foro competenti.* Sacris Canonibus cautum est, ne quis Episcopus jurisdictionem exerceat in aliena Dioecesi: porro Censuram ferre actus est jurisdictionis. Nec obstat, quòd Episcopus existens in Dioecesi aliena subditum suum absolvere in foro conscientiæ possit; nam dispar hîc est causa; siquidem in absolutione exercetur jurisdictio voluntaria, in Censuris verò ferendis, contentiosa. In priori nullus est judicialis strepitus, nullum alteri damnum seu præjudicium infertur: non ita vero est in jurisdictione contentiosa.

Denique notandum, quòd, qui Cen- 275
surâ jam ligatus est, possit adhuc aliâ ligari, non tantùm diversæ, sed ejusdem rationis; quia potest homo pluribus vel diversis peccatis mortalibus gratiam sanctificantem deperdere; ergo etiam qui successivè plures Clericos percuteret, aut eundem pluries cum morali interruptione, ille pluries repetitam excommunicationem contraheret; unica quidem communione privatur sed multiplici titulô.

Quantùm ad 2dum. in titulo posi- 276
tum scilicet, ob quam causam seu culpam ferri possint Censuræ; Dicendum, quòd Censuræ non infligantur nisi ob peccatum externum junctum cum contumacia & inobedientia contra Ecclesiam; illudque, saltem ordinariè, mortale ac consummatum, seu in genere suo completum.

1mo. Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum; Censura quippe est pœna Ecclesiastica spiritualis, & quidem medicinalis, quæ culpam supponit.

2do. Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum externum, quia peccatum merè internum Ecclesia non punit per Censuras, ut supponitur Cap. *Tua nos.* & Cap. *Sicut tuis.* tit. *De Simonia.* Unde Censuræ adversùs Hæreticos latæ eos non ligant, qui exteriùs hæresim non produnt.

3tio. Censuræ feruntur ob peccatum cum inobedientia & contumacia conjunctum: namque ex comuni usu Ecclesiæ, & ex solo titulo *De sent excom.* in 5to. & 6to. Decretalium, constat Censuras non incurri nisi ab eo, qui Ecclesiæ monitiones spernit, seu qui post Ecclesiæ præceptum

ceptum ſub pœna Cenſuræ latum non deſinit à peccato patrando.

4to Infliguntur Cenſuræ ob peccatum ut plurimùm grave ac mortale: quia Cenſuræ, ſaltem præcipuæ & totales, præſertim verò major excommunicatio, graviſſimæ pœnæ ſunt, quæ nonniſi ob gravem cauſam ferri debent. Quia tamen quædam eſt ſpecies excommunicationis, quæ minor dicitur, ac ſuſpenſio ad breviſſimum tempus, & ab aliquo duntaxat officio, quæ gravem non ſupponunt culpam, aut propriam, aut alienam, idcirco dictum Cenſuram ut *plurimùm*, non verò ſemper ferri propter gravem culpam.

Duo hîc veniunt obſervanda: 1mum. ad excommunicationem majorem, quæ omnium Cenſurarum graviſſima eſt, propriam ac perſonalem culpam requiri. Cap. *Romano.* tit. *De ſent. excom.* in 6to. Ad interdictum verò & ſuſpenſionem, alienam ſufficere, ùt patet ex Cap. *Si ſententia.* tit. *De ſent. excom.* in 6to. Hinc ſententia excommunicationis ferri non debet in totam aliquam communitatem, ſed in privatos, qui deliquerint. Cap. *Romana Eccleſia. De ſent. excom.* in 6to quod eſt Innocentii IV. Contrà verò interdictum vel ſuſpenſio decerni poteſt in totum Collegium, propter gravia, quæ in ipſo commiſſa ſunt crimina. Cap. *Si ſententia.* tit. *De ſent. excom.* in 6to.

2dum Multa quidem eſſe, per ſe loquendo, indifferentia, quæ tamen ad commune bonum, vel decentiam ſtatûs Clericalis, vel ad evitanda animarum ſcandala & damna, ſub gravi Cenſura præcipi vel prohiberi poſſunt. Cùm autem aliquid à Superiore præceptum aut prohibitum eſt ſub gravi Cenſura, præſumi ſemper debet eſſe grave & magni momenti, quia Judicis eſt Eccleſiaſtici judicare utrum cauſa, ob quam Cenſuram infligit, ſit gravis.

5to. Cenſura infligitur ob peccatum opere completum & conſummatum: unde non ſufficit intentio faciendi peccatum, ſi effectus non ſequatur; imò neque ſufficit peccatum inchoatum exteriùs, niſi ſit conſummatum; quia ubi de Cenſuris agitur, verba ſtrictè intelligenda ſunt, juxta Regulam juris, *Odia reſtringi convenit.*

Huc etiam pertinet, ut Cauſas, quæ 277
à Cenſura excuſant, exponamus. 1mo. Non obligat Cenſura invalida. Cenſura autem invalida ea eſt, vel quæ fertur ab eo qui non eſt legitimus Superior, vel in qua non ſervantur formalitates eſſentiales: Si monitio, v. g. non præceſſit excommunicationem. Quod ſi verò accidentales tantùm prætermittantur, v. g. una ex monitionibus, vel feratur ſine ſcripto, nec in ea exprimatur cauſa, ut præſcribit Concilium Lugdunenſe, referturque cap. *Cùm medicinalis.* tit. *De ſent. excom.* in 6to. tunc enim illa Cenſura dici quidem poteſt injuſta & contra juris ordinem, non tamen invalida, nec proinde reus ab illa excuſari poteſt. De ejusmodi Cenſura intelligendus eſt S. Gregorius, Hom 6. in Evang. ubi ait: *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta ſit, timenda eſt.*

2do. Cenſura non obligat, ſi perſona, contra quam fertur, ſit omninò innocens ac culpæ expers: quia, ut dicitur Cap. 1. *De ſent. & re judicat.* in 6to. *tribunal æterni Judicis illum reum non habet, quem injuſtè Judex condemnat.*

Attamen ejusmodi innocens, tametſi coram Deo nullatenus Cenſurâ ſit illigatus, tenetur tamen coram illis, qui Cenſuram norunt (non autem ignorantibus eam, aut illius innocentiam probè ſcientibus) abſtinere ab uſu bonorum ſpiritualium, quibus privatus vide-

videtur per Censuram, donec vel absolvatur, vel inocentiam probet: si verò non abstineret, peccaret quidem peccatô scandali, sed propriè Censuram non violaret, nec pœnas incurreret decretas adversùs eos, qui violant Censuram. Sed tali consultius est, ut ad Superiorem Judicem appellet servato nempe juris ordine, atque interim, donec Judex superior disponat, ab omni usu bonorum spiritualium abstineat, cùm certum sit, ubi de disciplina & morum correctione agitur, appellationem non habere effectum suspensivum, sed tantùm devolutivum, id est, per appellationem non suspendi sententiam seu Censuram prioris Judicis, sed eam duntaxat ad judicium alterius confirmandam, vel infirmandam devolvi ac deferri. Vid. Concil. Trid. Sess. 13. de reform. c. 1.

3tio. Si Statutum vel lex Censuram imponens non sint promulgata seu publicata, non obligant; prout Tom. 3. Theol. hujus nost. Tract. de Legibus, jam observavimus.

4to. Excusat à Censura impotentia faciendi quod per illam præcipitur: nemo quippe ad impossibile tenetur; & impotentia quæ à peccato excusat, etiam à Censura excusat.

5to. A Censura ignorantia invincibilis sive juris, sive facti excusat. Cap. *Ut animarum.* tit. *De Constitutionibus.* in 6. quod est Bonifacii VIII. Ratio est aperta, quia quando ignorantia est invincibilis, non adest contumacia contra Ecclesiam: ubi autem non est contumacia, ibi nec Censura est.

6to. Denique à Censura excusatur, vel qui ex gravi metu cadente in virum constantem, v. g. metu mortis aut mutilationis, ad aliquid agendum cogitur, cui annexa est Censura; dummodò tamen in eo, quod ita coactè agit, absit contemptus Religionis Christianæ, vel Ecclesiasticæ potestatis. Ratio est, quia tunc non adest sufficiens libertas ad agendum. Vel qui ex necessitate ad evitandum scandalum aut grave aliquod detrimentum in se vel in proximo, id facit, quod sub pœna Censuræ prohibitum est. Sicut enim in eo casu potest ille in lege humana excusari à peccato mortali, ita & à Censura illi annexa. Cap. *Excellentissimus.* 11. q. 8. *Qui ex necessitate vel ignorantia* (invincibili) *delinquunt, auctoritate nostra per te absolvantur*; id est, absoluti judicentur; quia non incurrerunt Censuram, ut rectè Glossa ibidem exponit. Cæterùm, cùm casus, in quibus vis aut grave detrimentum excusant à Censuris, intricatissimi sint, ideò in iis consulendus est Episcopus.

Hic omittimus texere Catalogum Censurarum Episcopo nostro Argentinensi reservatarum; quippe quas jam superiùs in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, ubi de Casibus reservatis agebamus, retulimus.

278 PARS TERTIA.

De præparatione animi, ſeu diſpoſitionibus ad Ordines, & Dignitates Eccleſiaſticas requiſitis.

AD Ordines rite ſuſcipiendos ſequentes ab Eccleſia in Ordinando requiruntur conditiones ſeu diſpoſitiones: 1mo. Dei vocatio. 2do. Electio Canonica, ſic dicta, quia debet fieri ſecundùm Eccleſiæ Canones; poteſtque dici vocatio exterior & miniſterialis, quatenùs ſcilicet Miniſtri Eccleſiæ actu & de facto eligunt & Clero adſcribunt, quos Deus ad ſublimem illum ſtatum ab æterno deſtinavit, & in tempore per gratiam ſuam præparavit. 3tio. Scientia ſaltem ſufficiens. 4to. Vitæ ſanctitas, in qua comprehenditur cœlibatus, ſeu donum perpetuæ continentiæ. 5to. Immunitas ab omni impedimento Eccleſiaſtico, quod vulgò *Irregularitas* appellatur. De quibus in hac tertia & ultima parte quatuor Capitibus nobis agendum eſt.

279 CAPUT PRIMUM.

De Vocatione ad Ordines.

CIrca Vocationem quatuor inquirenda veniunt. 1mo. Quid ſit. 2do. An exiſtat. 3tio. An ſit neceſſaria. 4to. Quibus ſignis deprehendi poſſit. Quæ ſingula ſequentibus Paragraphis expedimus.

280 § I.

De notione & exiſtentia vocationis.

Vocatio duplici modô ſpectari poteſt, 1mo. in intentione & decretis divinis: 2do. in executione & effectibus. Vocatio quippe ſe habet ad Providentiam genericè ſumptam, ſicut ſpecies ad genus, ſub quo continetur. Atqui Providentia in genere dupliciter ſpectari poteſt & debet, ſcilicet 1mo. in mente divina, quatenùs Deus ab æterno rebus ſingulis in tempore producendis ſingulos fines præſtituit, rationesque ordinavit & media, quibus unumquodque fini ſuo congrueret, & ad illum ſuaviter dirigeretur: quemadmodùm artifex, v. g. Architectus domum, quam ædificare intendit, priùs in arte ſua delineat, ſingulas ejus partes concipit ac ordinat; tùm accingitur ad opus, illudque exequitur juxta exemplar à ſe præconceptum. Deus enim omnia in tempore operatur ſecundùm æternum conſilium voluntatis ſuæ: quos in tempore vocavit, juſtificavit, & in fine glorificavit, hos ab æterno præſcivit, & prædeſtinavit Hinc Theologi, prout Tom. 2. hujus noſtræ Theologiæ Tract. 1. De Deo Uno & Trino, jam annotavimus, prædeſtinationem, quæ eſt altera Providentiæ ſpe-

PARS TERTIA,

[illegible]

CAPUT PRIMUM

[illegible]

ſpecies, dividunt in eam, quæ eſt in intentione, & eam, quæ eſt in executione.

Duplex iſta Vocationis acceptio magnificè elucet in vocatione Davidis ad Regnum. Deus ab æterno Davidem elegerat, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum; & virtute hujus Decreti præparaverat dotes neceſſarias ei in tempore conferendas, quibus idoneus eſſet regendo populo, ſcilicet robur corporis, ſenſum rectum, & cordis latitudinem, ut loquitur Scriptura. Hæc omnia exiſtebant in decretis divinis independenter à cujusquam creaturæ miniſterio: ſed ut executioni mandarentur, uſus eſt Prophetæ miniſteriô; Samuel miſſus eſt ad domum Iſai, ibi quæſivit, quem ex ejus filiis elegiſſet, alterum enim ungere nefas fuiſſet rejicit natu majorem, & alios ſequentes, donec deveniret ad Davidem natu minimum; quia non illos, ſed iſtum Deus elegerat. Præceſſit ergo Dei electio & æterna deſtinatio; ſed ejus executio Samueli in tempore demandata eſt. Idem omninò obſervare eſt in vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ: 1mo. Deus ipſos elegit in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut ſint ſancti & immaculati in conſpectu ejus per gratiam ſuam ipſis ab æterno præparatam, & ſuo tempore conferendam ad ſacra officia ritè obeunda: En vocatio in intentione, & ab æterno in divinis decretis exiſtens independenter à creaturæ meritis. 2do. Deus in tempore exequitur intentionem ſuam per miniſterium Paſtorum, & actu ac de facto ſacris Officiis addicit, quos ab æterno elegit: En vocatio in executione, quæ priorem præſupponit, poteſtque dici vocatio miniſterialis & exterior. De hac poſteriore vocatione multa jam diximus Tom. 1. hujus noſtræ Theologiæ Tract. 3. De Eccleſia. ubi de Apoſtolicitate, ejusdem quintâ notâ, egimus, atque miſſionem Paſtorum expendimus; & quæ ſuperſunt exponenda, dicemus capite ſequenti, ubi de electione Canonica nobis ſermo erit. Agimus hîc duntaxat de vocatione in intentione.

Igitur ex mox dictis *vocatio* deſcribi 281
poteſt, *actus Providentiæ ſupernaturalis, quo Deus aliquos præ aliis eligit, præparatque dotibus congruis ad ſacra miniſteria dignè & laudabiliter obeunda.*

Dicitur 1mo. *Actus providentiæ*; quia ſi Providentia divina ad omnia, etiam viliſſima ſe extendit, nihilque in operibus Dei inordinatum relinquit, ut fides docet, & ratio demonſtrat, cùm *non curare quod feceris, ſumma ſit inclementia*, inquit S. Ambroſius lib. 1. de offic. c. 12. multò magis intendit ad illa, quæ pertinent ad Eccleſiam, quam Chriſtus exhibere ſibi voluit glorioſam ſponſam. Atqui Eccleſiæ gloria & ſplendor maximè pendet ex Præpoſitorum ipſius delectu & converſatione. Ergo providentia iis eligendis & præparandis maximè invigilat; ac proinde eorum vocatio eſt præcipuus Providentiæ actus, & ſpecialis cura divini ingenii, ùt loquitur Tertullianus.

Dicitur 2do. *Providentiæ ſupernaturalis*; quia ſecundùm noſtrum concipiendi modum duplex diſtinguitur providentia: alia *naturalis*, quæ præeſt naturali rerum ordini, creaturasque inferiores dirigit ad finem naturalem: alia *ſupernaturalis*, quæ ſpectat finem quarumdam creaturarum, ſcilicet rationalium, quem cùm propriis viribus attingere nequeant, utpotè ſupernaturalem, ad eum providentia illas virtute divina transmittit, ſicut ſagittam ad ſignum, inquit S. Thomas, ſalva tamen earum libertate; providentia enim creaturis liberis neceſſitatem non imponit. Atqui ſtatus Sacerdotalis eſt ſupernaturalis; nec quisquam poteſt eſſe illi idoneus naturali induſtriâ, ſtudiô & labore. Ergo vocatio

ad

ad hujusmodi ſtatum, pertinet ad providentiam ſupernaturalem.

Dicitur 3tio. *Quo Deus aliquos præ aliis eligit;* ut vocatio ad Ordines diſtinguatur à vocatione ad vitam æternam, ad quam omnes ſunt conditi, cùm ad ſtatum Clericalem pauci ex hominibus ſint formati & ordinati. *Nunquid omnes Apoſtoli?* ait Apoſtolus Paulus 1. Cor. 12. qui ex utero matris ſuæ ad ſupremum illius honoris gradum ſegregatus fuerat: *Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores?*

Dicitur 4to. *Præparatque dotibus congruis ad ſacra miniſteria dignè ac laudabiliter obeunda;* quia Deus, ex S. Thoma 1. p. q. 22. a. 3. *quaſcumque cauſas aliquibus effectibus præfecit, dedit illis virtutem ad illos effectus producendos*, v. g. quia ignem condidit ad calefaciendum & comburendum; Solem ad univerſum orbem illuminandum, iis indidit, igni quidem calorem intenſiſſimum, Soli virtutem undique lumen ſuo impulſu diffundendi. Quos ergo ab æterno elegit ad munera Sacerdotalia, iis præparavit omnes dotes, ſine quibus apti non eſſent tam auguſtis muneribus; imperitus enim ac imprudentiſſimus eſſet Architectus, qui lapides non coaptaret loco & uſui, ad quem illos deſtinaſſet.

Dicitur 5to. *Ad ſacra miniſteria dignè & laudabiliter obeunda;* quia ſine interiori Dei vocatione poteſt quis miniſteriô Paſtorum habere caracterem Sacerdotalem, ſed furum more, qui res alienas injuſtè invadunt, iiſque utuntur in proprium commodum quamdiu latent, ſed ubi detecti fuerint, in ſuam perniciem. Interior itaque Dei vocatio requiritur, ut quis licitè & laudabiliter officiô Sacerdotali defungatur. Sed de neceſſitate vocationis Paragraphô ſequenti.

282 Porro duplicis generis ſunt effectus divinæ hujus vocationis: alii quippe ſunt ordinis naturalis, alii ſupernaturalis; & iterum horum alii ipſum vocatum afficiunt, alii verò eos, ad quorum obſequium deſtinatus eſt ipſe vocatus.

Deus igitur 1mo. corpus & ingenium cujusque in utero matris effingit ad opus, ad quod illum deſtinavit; defectus enim corporis & animi ſunt impedimenta ad Ordines, & ſigna certiſſima, eum, qui aliquem ex iis defectibus patitur, ad Clericatum non vocari. 2do. Supernaturalia dona præparat, ut donum perpetuæ continentiæ, & auxilia, ſine quibus vocatus ſacris miniſteriis idoneus non foret. 3tio. Dociles præbet ſubditos, ut audiant eum, quem ad ipſos mittit: ſicut enim donum linguarum ita Apoſtolis fuit conceſſum, ut quodammodò ad auditores tranſiret, quatenùs ſcilicet iſti intelligebant Apoſtolum loquentem linguâ alienâ; ſic gratia vocationis, quæ eſt in Paſtore, efficit, ut ſubditi dociles eis ſe præbeant, cùm alieno refragari ſoleant: *Oves illum ſequuntur*, (ait Chriſtus Joan. 10. de vero Paſtore:) *quia ſciunt vocem ejus; alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.*

Cæterùm exiſtere hanc divinam vocationem ſequitur neceſſariò ex allata ejus definitione; namque vocatio ad Ordinem Sacerdotalem & Hierarchicum eſt præcipuus actus divinæ providentiæ. Atqui nullus, niſi Epicureus & Atheus, negaverit divinam Providentiam, ut conſtat ex dictis in Tract. De Deo &c. ubi de Attributis divinis egimus. Ergo re vera exiſtit divina vocatio. 283

Inſuper probatur ex Scriptura. Deus in veteri Lege ex omnibus Tribubus Iſraël ſolam Leviticam elegit ad miniſteria Tabernaculi; & ex Tribu hac Levitica ſolam familiam Aaronis, quæ Sacerdotiô fungeretur. In nova Lege Chri-

Christus præordinatus est Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech. Psal. 109. Et ipse Joannis 7. v. 28. *clamabat in Templo docens, à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me.* Apostolos similiter Marci 3. v. 13. *vocavit ad se, quos voluit.* Lucæ 10. v. 1. *Designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos.* Act. 1. v. 21. Apostoli, cùm in locum Judæ alter sufficiendus esset, attendunt ad æternam Dei electionem, *Ostende*, inquiunt, *quem elegeris ex his duobus unum;* non dicunt, *elige*; sciebant enim eum jam esse à Deo electum; sed, *Ostende, quem jam elegeris.* De Apostolorum quoque & Discipulorum successoribus ex gentibus assumendis prædixit Isaias c. 66. v. 19. & 21. *Mittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, & Lybiam, tenentes sagittam, in Italiam & Græciam, &c. & assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus.*

284 ## §. II.

Utrum Dei vocatio sit necessaria ad Ordines suscipiendos, eorumque functiones ritè obeundas?

Quid sit vocatio divina ad Ordines suscipiendos, eamque existere §. præcedenti ostendimus; modò ejus necessitas probanda est. Sit igitur

285 ### CONCLUSIO.

Dei vocatio ad Ordines suscipiendos, eorumque functiones ritè obeundas est omninò necessaria.

Prob 1mo. Ex S. Scriptura. Joan. 10. v. 1. & 2. *Amen amen dico vobis*, inquit Christus, *qui non intrat per ostium in Ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est, & latro.* Veritas hîc loquitur, nulla exaggeratio hîc fingenda, furatur Sacerdotium, vel officium Pastorale, qui non vocatus obrepit, & quia Deum latere non potest, furti convincetur in ejus judicio: fures autem regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 6. Quid verò sit illud ostium, per quod intrare necesse est, Christus aperit v. 7. *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Et v. 9. *Per me si quis introierit, salvabitur.* Caveant ergo Ostiarii, id est, Ecclesiæ Præsules, ne iis aperiant, quos Princeps mundi hujus ambitione & cupiditate ad pulsandum incitat; quia gregem Christi non ita devastare potest, ac per Pastores non vocatos. Hinc Deus Jeremiæ c. 23. Pastoribus ab ipso nec vocatis nec missis, imputat omnia mala, quæ Rempublicam invadunt.

Heb. 5. v. 4. *Nec quisquam*, ait Apostolus, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu.* Universaliter loquitur Apostolus, *Nec quisquam* &c. quæ verba nullam patiuntur exceptionem. Scientiâ igitur quis emineat, Sanctitate splendeat, dignusque Sacerdotiô judicetur, temerè tamen illud assumeret, si ad illud vocatus fortè non esset. Moyses omnium hominum mitissimus, & Summo Pontificatu dignissimus, ab illo tamen fuit exclusus; Joseph Barsabas, qui cognominatus est *Justus*, ab eximia justitia & sanctitate, eoque titulo ab Apostolis dignus Apostolatu existimatus, non fuit electus: quin Christus ipse plenus gratiæ & veritatis, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ erant absconditi, se ipsum non clarificavit, id est, dignitatem & gloriam Sacerdotii non ambivit, non usurpavit, sed ad eam evectus est à Patre.

Prob. 2do. ex Patribus. S. Cyprianus Epist. 52. de S. Cornelio sic scribit: 286
Factus est autem Cornelius Episcopus de

Dei & Christi ejus judicio tùm deinde post Episcopatum non exambitum, nec extortum, sed de Dei, qui Sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso suscepto Episcopatu suo virtus? quantum robur animi? quanta firmitas fidei?

S. Leo Serm. 2. in anniversario Assumptionis suæ: *Eos*, inquit, *Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparavit, ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas Sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat Antistitem.*

S. Bernardus, vel quivis Auctor, tract. de vita & moribus Clericorum, c. 5. *Videte*, inquit, *vocationem vestram, ait vocatus Apostolus; consideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati à Deo, cujus nimirum hæc est vocatio.*

287 Prob. 3tio. ratione multiplici ex definitione vocationis, & ex allatis tum Scripturæ, tùm Patrum testimoniis evidenter collectâ. 1mo. Quia qui non vocatus se ministerio Ecclesiæ ingerit, graviter lædit supremam Dei auctoritatem & imperium; Ecclesia enim est Domus Dei, familia, & regnum; ad ipsum pertinet distribuere officia, dignitates, & honorum gradus, prout vult, Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii.* 2do. Quia, qui ad Sacerdotium non vocatur à Deo, is ad illud prorsus est ineptus, utpotè ad alium usum & finem ab utero conformatus: Deus quippe omnium conditor & plastes, unumquodque aptavit loco & usui, ad quem illud destinavit: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, ait Dominus Jerem. 18. v. 6. Ergo quemadmodum vas & quodlibet opus artefactum nullum alium usum admittit præter eum, ad quem configuratum est, nec thorax v. g. tegere potest femora, nec tibialia humeros: ita opera Dei utilia esse nequeunt, nisi ad id, propter quod confecta sunt. Non valet caput ad ambulandum, nec oculus ad audiendum, nec aqua ad siccandum, nec quivis homo ad officia præstanda, propter quæ à natura non est institutus: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo*, inquit Apostolus 1. Cor. 7. v. 7. *alius quidem sic, alius verò sic*, prout scilicet congruit fini, quem intendit ejus conditor. 3tio. Quia ex Dei vocatione tanquam ex radice & fundamento pendet gratiarum series cujusque Status propria. *Ego sum ostium*, ait Christus Joan. 10. *per me si quis introierit, salvabitur, ingredietur, & egredietur*, hoc est, quocumque se verterit, quidquid egerit, succedet pro voto, *& pascua inveniet*, pascua scilicet divinæ Providentiæ, cibi spiritalis, ita ut dicere possit, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*, Psal. 22. Hinc S. Leo Serm 1. in die assumpt. suæ: *Qui mihi*, ait, *honoris est auctor, ipse mihi fiet administrationis adjutor: & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.* Ergo si tollatur Dei vocatio, idem est, ac si convellatur fundamentum, quo nititur ædificium; fons obturetur, ex quo vivus emanat, & exscindatur radix, per quam arbor trahit succum & alimentum. Ergo gratia divinæ vocationis necessaria est ad quodlibet vitæ genus, atque profectò longè magis ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, ut sunt munera Sacerdotalia; quibus, ut oportet, exequendis nemo idoneus est, quantiscumque fulgeat naturæ dotibus, nisi divina virtute evehatur, & ut ait S. Thomas,

mas, transmittatur ſupra naturalem rerum ordinem. 4to. Nullum opus, quantumcunque ex natura ſua bonum, poteſt eſſe Deo gratum & acceptum, niſi fiat ad ejus nutum & voluntatem; nam prima lex famuli, eſt voluntas Domini: optimus ille, qui ad eam ſe totum componit, nec quidquam ampliùs ab eo exoptandum eſt: peſſimus verò, qui ab ea probè cognita declinat, ut ſub ſpecie majoris boni ingenio ſuo indulgeat; hoc enim eſt imperium detrectare, more ſuo vivere, & quidem in Domini contemptum & injuriam, ut omnes facilè intelligunt. Atqui ſine vocatione munera Sacerdotalia, quamvis opera per ſe bona & laudabilia, exercentur Deo repugnante, nedum volente, ut patet; Deus enim vult, ut ipſi obſequium præſtemus in eo vitæ genere, ad quod nos vocat, atque ejus voluntati adverſamur & ordinationi, ſi aliud eligamus. Ergo &c.

288 Dices: Ex hac doctrina ſequitur, eum, qui ſine Dei vocatione Statum Sacerdotalem aſſumpſit, vel omni ſpeſalutis orbari, vel ad vota ſæcularia iterum tranſire debere, ut ſaluti ſuæ conſulat; quemadmodùm docent Novatores noſtri. Atqui hæc duo ſunt longè abſurdiſſima; de nemine enim deſperandum eſt, quamdiu vitam agit; & Concilium Tridentinum Seſſ. 24. Can. 9. anathemate percuſſit eos, qui dixerint, *poſſe omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum.* Ergo.

Reſp. neg. maj Duplex quippe in Deo diſtinguenda eſt voluntas, primaria ſcilicet, & ſecundaria. Primaria quidem, qua ab æterno unumquemque voluit condere & aptare ad certum vitæ genus, & ad eum finem præparavit media congrua. Sed quia ſimul prævidit multos vocationi ſuæ defuturos, ſecundaria voluntate eos deſtinavit ad alios uſus minùs ipſis conſentaneos; providentiæ enim divinæ non deſunt media & modi, quibus in ordinem redigat eos, qui ab ordine receſſerint, quemadmodum Paterfamilias, inquit S. Auguſtinus, vult primaria intentione, ut domeſtici certis operibus, & quidem honeſtioribus & accommodatioribus incumbant, ita tamen, ut ſi quis eorum non paruerit, molam vertat, vilioribus cibis paſcendus, in pœnam: en ſecundaria intentio. Ita planè contigit ſub divina providentia, quam non vincit hominum inobedientia; qui enim ab ordine ab ea priùs intento in alium incidit minùs commodum, in eo abſolutè quidem, ſed non ſine magnis difficultatibus, poterit ſaluti ſuæ conſulere, manebitque in corpore Eccleſiæ veluti membrum in corpore humano ſuis ſedibus motum, quod obductô callô ſervire utcumque poteſt, ſed ægrè admodùm, & cum quadam deformitate. Namque 1mo. nec à natura, nec à gratia fuit inſtitutus ad munera Sacerdotalia, quæ ſunt ipſi veluti peregrina. Ergo magnam vim ſibi inferat neceſſe eſt, ut iis reddatur idoneus, præſertim cùm ad ea non propendeat, niſi fortè libidine acquirendi & dominandi, quam pœnitentiæ lacrymis ante omnia debet extinguere. 2do. Cùm character Sacerdotalis ſit indelebilis, nec poſſit Sacerdos intruſus non eſſe Sacerdos; ſaltem abſtineat ab officiis, ad quæ aptus non eſſet, quæque ſine peccato obire non poſſet; v. g. munus Paſtorale deſerat, ſi ad illud non habeat dotes neceſſarias; quoad alias functiones verò à Sacerdotio indivulſas, ut Sacrificium aliquando offerre pro populo, mediatorem & interceſſorem apud Deum agere, gratiam & animum Sacerdotalem ſtudeat promereri orationibus & laborioſis pœnitentiæ exercitationibus; cùm enim Deus hujusmodi officia exigat à quolibet Sacerdote, petenti, ut oportet, gratiam non denegabit, docente Concilio

Trid. Seff. 6. c. 11. *Deus impoffibilia non jubet, fed jubendo monet & facere quod poffis, & petere quod non poffis, & adjuvat ut poffis.* Quod dictum fit de iis, qui non fentiunt fe caftitatis, quam voverunt, habere donum; fed ficut perfeveraturus non eft, cui fpeciale perfeverantiæ donum non fuit conceffum, quamvis, in omnium Theologorum fententia, abfolutè perfeverare poffit, habeatque gratias ad id fufficientes; ita qui fine Dei vocatione, & fpeciali continentiæ dono ad Sacerdotium promotus eft, & exindè officiô Sacerdotali malè functus, licèt abfolutè falvari poffit, nec in defperationem conjici debeat, difficilè tamen ingredietur viam humilitatis & pœnitentiæ, qua folâ ipfi patet ingreffus ad vitam; quia *difficile eft*, inquit S. Leo Epift. 85. aliàs 87. *ut bono peragantur exitu, quæ malô funt inchoata principiô.*

289 Inft. Saltem ejusmodi doctrina omnes avertit à Sacerdotio, eoque fpectat, ut Ecclefia fraudetur neceffariis Miniftris. Ergo videtur perniciofa.

Refp. Dift. ant. Hæc doctrina omnes qui à Deo non vocantur, avertit quantùm ex fe, conc. Atque utinam ejus gratiâ Sacerdotium Chrifti, & quæ in Religione funt auguftiffima, in tuto effent ab ejusmodi furibus; *Satiùs enim, maximè in Ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quàm multos malos habere*, inquiunt Patres Concilii Lateranenfis IV. Hæc doctrina omnes, qui à Deo vocantur avertit, neg. ant. Imò vehementer impellit eo ipfo, quo graviffimis momentis demonftrat extremum exitium iis impendere, qui Deo ad Statum Sacerdotalem vocanti non obtemperant, fed pro libidine aliud vitæ genus in fæculo fibi deligunt: quot enim ex iis malè periiffe vidimus? Sancti viri quidem propriæ infirmitatis confcii gradus Ecclefiafticos refugerunt, quamdiu perfpectam non habuêre Dei voluntatem, at ubi ipfis innotuit, ftatim paruerunt, pluresque ex illis docuerunt, æqualis effe periculi Officium Sacerdotale ufurpare Deo non vocante, ac illud detrectare Deo vocante.

§. III. 290

De Signis, quibus deprehendi poffit an quis ad munus Sacerdotale vocetur, nec ne?

Divinæ vocationis figna triplicis generis effe dignofcuntur; alia, ex quibus certò colligitur, quosdam à Deo non vocari ad ftatùm Sacerdotalem: alia admodùm dubia & ambigua, ex quibus nihil certò definiri poteft: alia indubitata, quæ certò oftendunt divinam vocationem. De quibus fingillatim dicendum.

Signa, quibus conftat aliquem non 291 effe à Deo electum, nec conditum ad munia Sacerdotalia, funt ii defectus tùm corporis tùm animi, qui ineptum prorfus reddunt ad illa decenter obeunda, præfertim fi tolli nequeant. De defectibus Corporis patet; funt enim irregularitates & impedimenta ad Ordines, eorumque functiones.

Defectus autem animi funt duplicis generis: alii funt congeniti, & vitia naturæ potiùs dicendi, quàm hominis, ùt agreftis indoles; animus ferox, levis ac inftabilis, mollis & ignavus; ingenium obtufum & plumbeum, fcientiis acquirendis nullatenùs idoneum. Alii funt morales & voluntarii, ut focordia, iracundia, vinolentia, & cætera peccata; quanquàm iracundia & vinolentia nonnunquam referenda funt ex parte ad vitia naturæ, vixque penitùs abradi queunt.

Cer-

Certum est & indubitatum, hominem, qui naturæ vitiis, aut aliquo ex iis laborat, non esse à Deo electum & conditum ad munia Sacerdotalia, utpotè qui iis obeundis manifestè sit ineptus, nec unquam aptus evadere possit; cùm enim ejusmodi vitia à voluntate non pendeant, ab ipsa tolli nequeunt. Absit, ut Sapientiæ divinæ ea tribuatur noxa, quæ in vilissimo Artifice, legitimam non haberet excusationem; quòd scilicet opus ad eum usum confecerit, cui nullatenùs est accommodatum. An non Sacerdos agrestis & ferocis indolis gregem potiùs fugabit, quàm alliciet; pacatos exagitabit, ne dum commotos sedabit? An labia plumbei ingenii dissem inabunt scientiam, quam non comparavit, nec comparare potest? Instabilis & ad omnem auram versatilis firmabitne fluctuantes & hærentes consilio? Quomodò mollis & ignavus præ se feret fortitudinem & constantiam in Sacerdote adeò necessariam, ut munitiones, perversa consilia, & omnem altitudinem extollentem se adversùs Scientiam Dei destruat, & in captivitatem redigat omnem intellectum in obsequium Christi, ùt loquitur Apostolus 2. Cor. 10. Nullus ergo sibi blandiatur, quasi, anteacta sine crimine vita, sufficiat ad Sacerdotium, ac præsertim ad curam animarum, nisi prætereà aptus sit ad docendum, arguendum, & corripiendum cum omni imperio, ubi opus fuerit, Spiritu sancto dicente Eccli. 7. v. 6. *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimescas faciem potentis, & scandalum ponas in æquitate tua.*

292 Morales animi defectus, id est, peccata, indignum quidem reddunt sacris Ordinibus; sed quia corrigi possunt ac debent, utpotè voluntarii, ex iis continuò definiendum non est (sicut ex insanabilibus naturæ vitiis certò definitur) eum, qui hujusmodi defectibus impeditur, à Deo non vocari ad Sacerdotium: si aliundè naturæ donis sit instructus, scilicet optima indole, acri ingeniô, & aliàs in hocce vitæ genus propensô. Divina quippe vocatio impeccantiam non tribuit, ut patet vel ex Judæ exemplo, qui procul dubio ad Apostolatum ab æterno fuerat electus, & in tempore à Christo vocatus. Ergo morales illi defectus in dubitationem solùm adducunt, num vocatus fuerit, nec ne, ad statum Clericalem, qui illos patitur.

Qui verò dubium illud solvet conscientiæ moderator; divinamque vocationem exploratam faciet juvenibus olim bonæ spei, qui postquam ardore ætatis in libidines ruerunt, militiam Clericalem, cui fortè nomen jam dederant, fastidiunt, & ad statum secularem inclinant; suadebit imprimis seriâ pœnitentiâ expurgandam conscientiam, & intermissa pietatis studia revocanda, priusquam certiores fieri possint de Dei vocatione, quæ in hacce morum pravitate ac perturbatione nec Confessario, nec pœnitenti innotescere potest. Quamdiu vinum est turbidum, & poma immatura, de eorum bonitate judicium ferri nequit; sic defæcatus sit animus oportet, ac liber à pravis cupiditatibus, ut Dei vocatio & genuina naturæ propensio se promant; alioquin si conscientiæ moderator attenderit ad quid voluntas juvenis depravati jam propensior sit, & juxta eam consulat, periculum est, ne eum à vocatione avertat, & in viam perditionis impellat.

Signa vocationis moraliter certa sunt 293
ista, 1mo. Conscientiæ puritas, & anteactæ vitæ innocentia. 2do. Studium & amor Ecclesiasticæ disciplinæ. 3tio. Recta intentio, seu honestus finis, ob quem aliquis ad Sacram Ordinationem accedit. Si enim aliquis liber ab omni vitioso affectu, vacuus ab omni gloriæ

cupiditate, expers omnis ambitionis & avaritiæ, ad Clerum Deo deserviendi causâ, & salutis populi procurandi gratiâ solùm se conferat, vocari à Deo præsumitur. Undè hujusmodi præclaris dotibus instructus, simulque necessariâ scientiâ imbutus, ac nonnisi Dei cultum & proximi utilitatem pro fine suo habens, licitè officium Hierarchicum v. g. Episcopatum, vel aliud quodcumque appetit; *quia*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 1. *appetere proximis prodesse, est secundùm se laudabile & virtuosum.* Et infrà. *Potest absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse; vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem Primatus dignitatis. Unde Chrysostomus* (seu Auctor operis imperfecti hom. 35.) *dicit super Matthæum, Opus quidem desiderare bonum, bonum est; Primatum autē honoris concupiscere, vanitas est; Primatus enim fugientem se desiderat: desiderantem se fugit.* Et S. Hieronymus Epist. 83. ad Oceanum; *Si quis*, ait, *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; opus non dignitatem: laborem, non delicias: opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigiô.* At appetere ipsam Principatûs seu dignitatis celsitudinem, nefas est, multò magis honorem & emolumenta, quæ sunt ejus consectaria. *Appetere*, inquit idem S. Thomas loc. cit. *Episcopatum* (idem dicendum de quovis gradu hierarchico) *ratione ejusmodi circumstantium bonorum, manifestum est, quòd sit illicitum, & pertineat ad cupiditatem vel ambitionem.* Atque in confirmationem suæ sententiæ laudat S. Chrysostomum hom. 66. in Matth. S. Augustinum lib. de civ. Dei, c. 19. S. Gregorium 1. part. Pastoralis c. 8. ubi ne quis abutatur hisce verbis Apostoli, *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat*, scribit, id dictum fuisse ab Apostolo, quando dubium non erat, quemque per Episcopatum ad supplicia graviora pervenire; parari sibi non sublimem thronum, sed aculeos & cruces; non honores, sed contumelies, non divitias nec delicias, sed indigentiam, labores, persecutiones, *undè*, inquit S. Thomas cit. *non de facili inveniebatur, qui hoc onus assumeret.*

Igitur exitiale scelus est appetere 294 Ordines & sacrum Principatum principaliter propter honorem & emolumenta temporalia; quia in eo desiderio dominantur ambitio & cupiditas, præferuntur terrena cœlestibus, & Sacerdotium, quo nihil majus dari potuit hominibus, fit remedium ac instrumentum pompæ sæcularis in magnam Dei injuriam & grave damnum Reipublicæ Christianæ.

Enim verò honor & emolumenta temporalia annexa sunt Sacerdotio ut media consentanea, quibus decenter administretur ad Dei gloriam & Fidelium salutem. Atqui media, sicut non appetuntur propter se, sed propter finem: ita assumuntur vel rejiciuntur, prout juvant vel impediunt: vir frugi v. g. abstinet ab alimentis etiam delicatioribus, quæ expertus est nocere valetudini; prudens Medicus cessat adhibere remedia, licèt per se efficacia, quando nimia ægroti infirmitas ea non admittit. Ergò temporales Sacerdotii prærogativæ eatenùs duntaxat curandæ sunt vel contemnendæ, quatenus prosunt vel obsunt cultui divino & saluti animarum, ad quæ tanquam ad finem tendunt character Sacerdotalis, & cætera ei adjuncta. Contrà verò qui Sacerdotii prærogativas principaliter intendit, celsitudo, honor, & reditus annui, sunt illi finis, character verò & functiones Sacerdotales medium: illa propter se appetit, ista quærit ut instrumenta; illis delectatur, istis utitur prout necessaria sunt ad priora comparanda: offert, cantat, quoties inde lucrum vel hono-

rem

rem spectat; fervet ejus zelus pro sola dignitate tuenda, & juribus vindicandis, cùm is sit omnis fructus, quem ex Sacerdotio sibi proposuit. Quòd autem ex ejus minis, exactionibus, & litibus, quibus subditos exagitat, oriantur scandala, multiplicentur peccata, ad eum non pertinet; *jura mea*, inquit, *prosequor; si pereunt, eorum culpa est.* Sed quis corruentes retineat, & errantes requirat, nisi Pastor? Ad quid ipsa dignitas, & jura Sacerdotalia, nisi ad salutem subditorum; An apud Deum Judicem excusationem habebit Pastor, quòd sua sollicitè curaverit, honorem charactéri debitum vindicaverit, cum multarum animarum damnatione, quarum saluti omnia postponere debuit?

295 Ex communi tamen Theologorum sententia grave non videtur esse peccatum, si quis necessariis dotibus instructus principaliter intendat gloriam Dei & salutem proximi; secundariò verò & minùs principaliter concupiscat celsitudinem, honorem, & emolumenta temporalia; quia hujusce desiderii inordinatio non destruit charitatem, sive erga Deum, sive erga proximum, cùm ipsi primum locum permittat. Quin ab omni peccato erit immunis, si pravos hujusmodi vanæ gloriæ & cupiditatis motus, qui tunc ebullire solent, cautè comprimat: ad quod omnino ipsi contendendum est; enimverò valdè periculosum est consentire ejusmodi motibus; tùm quia ex S. Gregorio part. 1. Pastoralis, c. 9. sæpè mens ipsa sibi mentitur, & fingit temporalia principaliter non appetere, quæ tamen ita appetit: tùm quia nisi cohibeatur illud dominandi & acquirendi desiderium, tanquam parva scintilla contempta magnum incendium excitabit, data occasione, quæ Pastoribus non deest, cùm subditi iis identidem reverentiam denegent, & alia debita; undè jurgia, simultates & odia exardescunt, si Pastor avidus sit honoris, vel pecuniæ.

CAPUT II. 296

De Electione Ministrorum.

Agimus hìc de divina vocatione, prout in executione spectatur, quæ dici potest vocatio exterior & ministerialis; per illam quippe hominum ministeriô is ex ordine Laicorum assumitur, & divinis officiis mancipatur, quem Deus ab æterno ad ejusmodi munus elegit.

Tria autem in electione spectanda sunt: 1mo. *Postulatio*, ut quis præ aliis assumatur ad munus Sacerdotale. 2do. *Suffragia*, & consensus in illum, qui postulatur. 3tio. *Consecratio*, qua quis actu & de facto constituitur Minister Ecclesiæ. De consecratione Ministrorum Ecclesiæ satis superque diximus part. 1. hujus Tractatus, ubi adversùs Novatores asseruimus Ordinationem esse Sacramentum Novæ Legis, atque solum Episcopum esse Ordinationis Ministrum. Circa postulationem nulla occurrit difficultas; certum enim est eum, qui postulatur, debere rejici, si sit indignus, & alium ejus locô esse eligendum. Præcipuè hìc ergò agitur de suffragiis, in quibus scilicet propriè consistit electio, circa quam quæritur 1mo. utrum sit necessaria. 2do. à quibus fieri debeat, & quinam jus habeant suffragii.

Quantùm ad 1mum. Wiclefus & Joannes Hus hocce falsô ducti principiô, negarunt Electionem istam haud esse necessariam, quòd soli prædestinati possint esse Pastores Ecclesiæ. Atqui prædestinati sunt soli Deo cogniti. Ergo solus Deus potest eligere Pastores Ecclesiæ. Contra quem absurdum errorem cum omnibus Catholicis sit

CON-

297 CONCLUSIO I.

Præter internam Dei electionem necessaria est exterior, quocumque tandem modo fiat.

Prob. 1mo. ex Concilio Constantiensi, in quo Sess. 8. duæ sequentes Wiclefi propositiones proscriptæ sunt: 1ma. *Si Papa sit præscitus & malus, non habet potestatem super Fideles.* 2da. *Electio Papæ à Cardinalibus per diabolum est introducta.* Et sess. 15. rejicitur 22dus. Articulus Joannis Huss, in quo sic habet: *Papa, vel Prælatus malus & præscitus, est æquivocè Pastor.* Et 26tus *Non eo ipso, quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundùm ritus hominum in personam aliquam, eo ipso persona est legitimè electa.*

298 Prob. 2do. ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione, quam SS. Patres & Concilia exhibent, & qua constat semper usurpatam fuisse exteriorem Ministrorum Ecclesiæ electionem velut necessariam; quamvis circa eam variis temporibus varia fuerit Disciplina; nam ad duodecimum usque Sæculum in electionibus, præsertim Episcoporum, ùt plurimùm exspectabantur vota ac suffragia Cleri & plebis: à duodecimo autem Sæculo mutata est disciplina; quod sequentia SS. Patrum & Conciliorum testimonia declarant.

S. Cyprianus cum suis Collegis ep. 68. sic ad Ecclesiam Asturicam in Hispania scribit: *Plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens à peccatore præposito separare se debet cùm ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publicô judiciô ac testimoniô comprobetur.* Atque in eam rem profert Scripturæ testimonia; ut Num 20. ubi Deus jubet Eleazarum coram omni Synagoga constitui Sacerdotem. & Act. 1. Petrus convocat multitudinem ad electionem S. Matthiæ in locum Judæ. Et c. 6. septem Diaconi electi sunt communi omnium suffragiô. *Propter quod,* pergit S. Doctor, *diligenter de Traditione divina, & Apostolica observatione, servandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente.*

Concilium Carthaginense IV. Can. 1. *Cum consensu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum ... ordinetur Episcopus.*

S. Leo testatur eundem morem sua ætate, hoc est, Sæculô V. in Ecclesia viguisse; sic enim scribit epist. 84. *Omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis optimus eligatur.*

Hincmarus Sæculi IX. scriptor epist. ad Carolum Calvum tom. 2. Conciliorum Galliæ: *Sed & Laici nobiles,* inquit, *ac cives adesse debebunt; quoniam ab omnibus debet eligi, cui ab omnibus debet obediri.*

Concilium Rhemense an. 991. sic habet: *Nos Episcopi Remorum Diœceseos favore & conniventia utriusque Principis nostri Domini Hugonis Augusti, & Excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum, qui Dei sunt in Clero & populo; eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum.*

Paschalis II. Sæculô XII. epist. 24. *Electus,* inquit, *à Clero & populo, non consecretur nisi à Rege investiatur.*

Dixi-

Diximus, ad electiones Miniſtrorum Eccleſiæ usque ad Sæculum 12mum. expectatum fuiſſe conſenſum Cleri & plebis, *ut plurimùm* duntaxat. Quia 1mo. S. Cyprianus laudatâ primùm epiſtolâ 68vâ. innuit hancce electionis formam alicubi non fuiſſe obſervatam, *quod apud nos quoque*, ait, *& ferè Provincias univerſas tenetur.* 2do. Violentiæ & tumultus, quæ identidem electiones turbabant, mutationis occaſionem præbuerunt. Hinc Concilium Laodicenum Sæculô IV. ſub Damaſo Papa Can. 13. *Non eſt permittendum turbis*, inquit, *electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi.* Et S. Martinus in Concilio Romano ſeu Lateranenſi an. 649. Can. 1. idem ſtatuit: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur; ſed in judicio Epiſcoporum ſit, ut ipſi eum probent.*

S. Gregorius Magnus Auguſtinum elegit Anglorum Epiſcopum: ipſe verò Auguſtinus alios ſolus elegit, ex Joanne Diacono de vita S. Gregorii.

Concilium Toletanum XII. an. 681. Regibus Hiſpaniæ jus conceſſit eligendi Epiſcopos: ſic enim habet can. 6. *Placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, ut ſalvô privilegiô uniuscujusque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoscumque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet Provinciis in præcedentium ſedibus præficere Præſules.*

Verùm cùm plures magis gratiâ Principum, quàm meritis, dignitates Eccleſiæ ambirent, Concilium Nicænum II. an. 787. hujuſce ambitus vias intercludere cupiens, ſic ſtatuit, Can. 3. *Omnis electio Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, à Principibus facta, irrita maneat ſecundùm regulam*, nempe Canonem 31. Apoſtolorum, in quo idem prohibetur, ſicut & Can. 28. Concilii VIII. generalis.

A Sæculo XII. nova electionis forma præſcripta eſt. Namque an. 1215. in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. cujus Decretum refertur in Jure Canonico Cap. *Quia propter.* tit. *De elect. & elect. poteſt.* exclusis Laicis aſſeritur Epiſcopi electio ſoli Clericorum Collegio, ſeu Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, qui viâ ſcrutinii procedere debent; alioquin electio irrita declaratur, niſi Canonici in aliquam perſonam ſtatim quaſi per inſpirationem conveniant, ob ſingularia ejus merita, quo in caſu electio viva voce fieri poteſt.

Annô 1448. Nicolaum V. inter & Fridericum III. Imperatorem inita ſunt Concordata pro natione Germanica, in quibus electiones Epiſcoporum conſervantur Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, ita tamen ut electorum confirmatio & proviſiones pertineant ad ſummum Pontificem, adjectis nonnullis conditionibus & exceptionibus, quas referre non vacat, nec noſtri eſt inſtituti.

Leo X. etiam an. 1516. Bononiæ cum Franciſco I. Francorum Rege Concordata iniit poſtmodùm confirmata in Concilio Lateranenſi V. ubi abrogantur electiones Epiſcoporum Galliæ, jusque eos nominandi Regi tribuitur, ea tamen conditione, ut Bullæ & Proviſiones darentur à Pontifice Romano, penes quem eſſet poteſtas eos repudiandi, qui carerent debitis dotibus, & niſi Rex Chriſtianiſſimus alium in repudiati locum nominaret intra ſpatium trium menſium, nominandi facultas ad Papam devolveretur.

Prob. 3tio. Ratione; tùm quia vel 299
ex ipſo Judæ exemplo patet falſum eſſe à Deo non eligi, niſi prædeſtinatos; tùm quia niſi Paſtores declararentur aliquo ſigno exteriori, æquè nobis eſſent

ignoti, ac prædestinati: signum autem exterius vel est miraculum, vel electio: non miraculum, cùm rara sint miracula, & supra naturalem rerum ordinem; promotio verò Sacerdotum frequens ac quotidiana, nec soleat Deus miraculis declarare quinam ex postulatis ad munus Sacerdotale sit reprobus aut prædestinatus. Ergo per solam electionem legitimam innotescit, quos Deus vocaverit ad munus Sacerdotale.

Porrò ridendi sunt Novatores nostri, qui post Calvinum & Lutherum ineptè contendunt ad electionem Ministrorum Ecclesiæ jure divino requiri consensum populi. *Habemus*, inquit Calvinus lib. 4. Instit. c. 3. *esse hanc legitimam ex verbo Dei Ministri vocationem, ubi ex populi consensu & approbatione creantur, qui viri fuerint idonei*, *&c.* similia habet Lutherus De potestate Papæ. Verùm contra hunc errorem, quem alibi jam explosimus, sit ex instituto

300 CONCLUSIO II.

De Fide est, jure divino non requiri consensum populi ad electionem seu ordinationem Ministrorum Ecclesiæ; ita enim definivit Concilium Tridentinum Sess. 23. Can. 7.

Prob. 1mo. Argumentô ad hominem, ut ajunt. Adversarii docent verbum divinum in sola Scriptura contineri. Atqui nullum Scripturæ textum proferre possunt, in quo præcipiatur, ut convocetur populus ad electionem Ministrorum Ecclesiæ. Nam quòd Apostoli Act. 1. ad electionem S. Matthiæ, & septem Diaconorum Act. 6. multitudinem convocasse dicantur, 1mo. in iis textibus, quibus hæc multitudinis convocatio exprimitur, nullum invenitur præceptum, sed exemplum duntaxat, quod Ecclesia imitata est, quamdiu potuit sine incommodo, ut constat ex dictis in priori Conclusione. 2do. Nec populus, nec Apostoli ipsi elegerunt S. Matthiam, sed Deus solus: *Ostende*, inquiunt, *quem elegeris ex his duobus unum.* Electionem verò septem Diaconorum ab Apostolis commissam fuisse fideli populo declarat sacer textus; idque liberè fecerunt, non quòd desuper vel minimam præcepti divini umbram acceperint: *Considerate ergo fratres*, inquiunt Apostoli, *viros ex vobis boni testimonii septem.* Undè S. Chrysostomus hom. 3. in Acta Apost. *Quid?* inquit, *annon licebat ipsi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè; verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari.*

Nec etiam obest, quod S. Cyprianus laudatâ in priori Conclusione epistolâ 68. dicat *De divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur.* Nam descendere ex auctoritate divina idem non est, ac descendere ex præcepto divino; consilia quippe Evangelica divinam habent auctoritatem, non præceptum. Quòd autem S. Cyprianus per auctoritatem divinam nihil aliud hîc intelligat quàm divinum exemplum, patet 1mo. quia eo loci in confirmationem suæ sententiæ profert electionem Eleazari, quæ quidem celebrata est congregata multitudine, sed sine ejus suffragiis, ut constat ex cap. 20. Num. 2do. quia S. Martyr in eadem epistola monet consensum plebis non ubique requiri in electionibus. Fortè ob oculos habebat, quod scribit S. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium seu Evangelum, scilicet Episcopum Alexandriæ electum fuisse à Presbyteris usque ad Heraclam & Dionysium, qui S. Cypriano fuerunt coætanei. Ergo non existimavit S. Cyprianus jure divino Ministros Ecclesiæ eligendos esse à populo; quæ enim sunt juris divini, ea ubique ac semper observavit Ecclesia.

Prob. 2do.

301 Prob. 2do. ex Traditione; namque 1mo. Certiſſimum eſt Apoſtolos & eorum Diſcipulos non requiſiiſſe conſenſum Magiſtratuum & plebis, quoties eligendi & conſecrandi eſſent Eccleſiæ Miniſtri; cùm tunc temporis Principes, Magiſtratus, & populi Chriſtianam Religionem nondum amplexi fuiſſent. Iis ergò inſciis præficiebantur Paſtores, à quibus Religionis myſteria edocerentur; ſic S. Athanaſius, ex Ruffino lib. 10. Hiſt. c. 9. Frumentium creavit Indorum Epiſcopum, ipſis Indis ea de re nihil ſcientibus, neque cogitantibus. 2do. Conſtat ex præcedenti Concluſione variam variis temporibus fuiſſe diſciplinam circa Miniſtrorum Eccleſiæ electiones: aliquando vota Laicorum ad eas fuiſſe audita, vel etiam expetita: aliquando neglecta, propter turbulentiſſimas commotiones, ut ſcribit S. Auguſtinus epiſt 213. aliàs 110. & ep. 226. aliàs 225. quæ commotiones in deſignando Epiſcopo Mediolanenſi eo proruperunt, ut, prout narrat Ruffinus lib. 11. Hiſt. c. 11. Urbi maturum pararent exitium. Et in electione S. Damaſi Papæ, ex eodem Ruffino loc. cit. homines in Templo necati fuerint. Atqui quod eſt Traditionis divinæ, ſemper & ubique ab omnibus obſervatum eſt. Ergo &c.

302

Caput III.

An & quæ ſcientia & ſanctitas requirantur in iis, qui ſacris Ordinibus initiantur. Item de cœlibatu ſtatui Clericorum annexo.

Extra controverſiam ſcientia eſt omninò neceſſaria in initiandis; cùm ſermo divinus ignaros à Sacerdotio abſolutè excludat, Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotiô fungaris mihi.* Et Matth. 23. *Væ vobis duces cæci.* Concordat Jus Canonicum, Cap. *Illiteratos.* quod eſt Gelaſii Papæ, epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, referturque Diſt. 36. his verbis: *Illiteratos, aut aliqua corporis parte vitiatos vel iminutos nullus præſumat ad Clericatûs Ordinem promovere; quia litteris carens ſacris non poteſt eſſe aptus Officiis; & vitioſum nihil Deo prorſus offerri legalia præcepta ſanxerunt.* Et cap. *ult.* tit. De temp. Ordin. in 6to. Suſpenditur ad annum Epiſcopus à collatione Tonſuræ, qui illiterato eam contulerit.

Qua autem ſcientia inſtructi eſſe debeant, ſuprà expoſuimus part. 2. c. 2. §. unicô. necnon colligi poteſt ex Concilio Tridentino Seſſ. 23. cap. 4. 11. 12. 13. & 14. de Reform.

Certum quoque eſt ſanctitate vitæque innocentiâ & morum probitate ornatos eſſe debere, qui ſuſcepturi ſunt ſacros Ordines. 303 *Oportet*, ait Apoſtolus 1. Tim. 3. v. 2. *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, &c.* Eadem ferè repetit in Epiſt. ad Titum, c. 1. De Presbyteris ibidem ait: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ ut conſtituas per civitates Presbyteros; ſi quis ſine crimine eſt.* De Diaconis verò 1. Tim. 3. v. 8. hæc præſcribit: *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium Fidei in conſcientia pura: & hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.*

Qui alicujus criminis reus ad Ordines olim irrepſiſſet, cognitus deponebatur. *Quicumque*, ait Canon 10. Concilii Nicæni I. generalis, *ex iis, qui lapſi*

lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis, qui promoverunt, ordinati sunt, hoc Ecclesiastico Canoni non præjudicat; ii enim cogniti deponuntur.

Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 12. loquens de promovendis ad sacros Ordines, *Sciant Episcopi*, inquit, *non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus sit.* Et cap. 14. de iis, qui sunt ad Presbyteratum assumendi, *Ita*, inquit, *pietate & sanctis moribus sint conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.*

304 Ad vitæ sanctitatem & innocentiam pertinet etiam cœlibatus, seu lex perpetuæ continentiæ, qua, in Ecclesia nostra Latina obstricti sunt, qui majoribus Ordinibus sunt initiati. In ea enim nusquam licuit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis uxores ducere, aut uti uxoribus ante Ordinationem ductis. Testes sunt Concilium Eliberitanum an. 305. Can. 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus.... positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Quicumque verò fecerit, ab honore Clericatûs exterminetur.*

Patres Concilii Carthaginensis II. an. 397. Can. 2. asserunt cœlibatûs disciplinam ab Apostolis traditam, & in Ecclesia semper observatam fuisse: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & observavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* En disertissima testimonia, quibus constat hallucinari eos, qui hujusce disciplinæ authorem faciunt Siricium Papam, qui Ecclesiæ præfuit ab an. 385. usque ad an 398.

Siricius Papa in epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum: *Sacerdotes omnes*, inquit, *& Levitæ indissolubili lege adstringimur, ut à die Ordinationis nostræ sobrietati & pudicitiæ, & corda nostra mancipemus & corpora.*

Innocentius I. tùm Epist. 2. ad Victricium Rothomag. Episcopum c. 9. tùm Epist. 1. ad Exuperium Tolosanum c. 1. decretum Siricii iisdem fermè verbis exprimit ac confirmat.

S. Epiphanius hæresi 59. sic habet: *Qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi sit unius uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi Ordinem Ecclesia suscipit; sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine se se continuerit, aut eâ sit orbatus.*

S. Hieronymus Epist. 30. aliàs 50. *Apostoli*, inquit, *vel virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.*

Quoad Subdiaconatum verò, varia 305
fuit Ecclesiæ Latinæ disciplina circa Subdiaconorum continentiam. Nam Concilium Eliberitanum suprà laudatum præcipit Subdiaconos manere cœlibes. S. Leo primus è Summis Pontificibus Subdiaconis continentiæ legem imposuit. S. Gregorius sexto exeunte Sæculo, legem, qua prædecessor ejus Pelagius II. Subdiaconos Siciliæ ab uxoribus separaverat, sic temperavit, ut nullus deinceps ad Subdiaconatum promoveretur, nisi perpetuam continentiam professus; sed indulsit, ut qui conjugiô copulati fuerant, cum uxoribus remanerent, & filios procrearent. Tandem Sæculô XI. lex continentiæ ubique obtinuit in Ecclesia Latina respectu Subdiaconorum post Decretum Urbani II. in Concilio Claromontano. Hæc in Ecclesia Latina.

In

306 In Eccleſia Græca paulò aliter ſe habet diſciplina circa continentiam Clericorum & Eccleſiæ Miniſtrorum. Equidem nusquam Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, aut Subdiaconis in ea licitum fuit uxores ducere. Id conſtat ex Synodo Quiniſexta ſeu Trullana an. 692. Can. 6. Item nusquam licuit in Eccleſia Græca Epiſcopis, nec etiam his temporibus licet, uti conjugiô, quod ante Ordinationem contraxerint. Conſtat ex Can. 12. ejusdem Concilii Quiniſexti, in quo id expreſſe prohibetur Epiſcopis. Præterea conſtat Græcas, & alias omnes Orientales Eccleſias nullum, his etiam temporibus ordinare Epiſcopum, niſi aut virgo ſit, aut viduus; aut, ſi uxoratus, continentiam polliceatur. Attamen lege per idem Concilium confirmata licitum eſt Græcis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, retinere uxores legitimas ante Ordinationem ductas, & omni jure conjugali uti. Hæc conſtant ex Can. 13. ejusdem Concilii Trullani.

307 Lex porrò illa cœlibatûs ſeu perpetuæ continentiæ ſacris Miniſtris impoſita nec divina eſt, nec proinde divina Apoſtolica (*l*), ſed duntaxat Eccleſiaſtica. Habetur 1mo. ex Concilio Ancyrano an. 314. Can. 9. ubi permittit Diaconis uxores ducere, ſi tempore ſuæ Ordinationis conteſtati fuiſſent, non poſſe ſe continere. 2do. Intercedente Paphnutio, quod referunt Socrates lib. 1. Hiſt. c. 21. & Sozomenus lib. 1. c. 23. abſtinuit Synodus Nicæna I. generalis à ferenda lege, qua ſacros Miniſtros removeret à conſortio & uſu uxorum ante Ordinationem ductarum. 3tio. Idem Paphnutius, non renuentibus Patribus Nicænis in plenis Comitiis ejusdem Concilii aſſeruit ſatis eſſe, ſi juxta veterem Eccleſiæ Traditionem, qui in Clerum fuiſſent adſcripti, non ampliùs uxores ducerent. Traditionem hîc Eccleſiæ appellat, non Dei vel Apoſtolorum legem. Baronius quidem, Bellarminus, Arcudius, & nonnulli alii Recentiores hancce hiſtoriam rejiciunt ut fictitiam: alii contrà ut veram admittunt. Ut ut ſit, certum videtur, ſaltem ætate Socratis & Sozomeni, hoc eſt, quinto ineunte Sæculo, perſuaſum non fuiſſe cœlibatûs legem eſſe divinam, aut verè divinam Apoſtolicam. 4to. S. Dionyſius, qui Corinthiorum Eccleſiam regebat Sæculô 2dô. teſte Euſebio lib. 4. Hiſt c. 26. monet Pynitum Epiſcopum, ne grave onus Caſtitatis fratrum cervicibus tanquam neceſſarium imponat; ſed ejus, quæ ineſt hominibus, infirmitatis rationem habeat. 5to. S. Epiphanius hæreſi 59. ait continentiam à Clericis obſervari, ubi vigent Eccleſiaſtici Canones; aliquibus tamen in locis connivere Epiſcopos, ut Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi cum ſuis miſceantur uxoribus, *non quidem juxta Canones, ſed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, vel ob nimiam populi multitudinem;* quia ſcilicet ad eam regendam cœlibes Miniſtri ſat magnô numerô facilè non reperirentur. Atqui hæc omnia demonſtrant, S. Epiphanio, qui Sæculô 4tô. floruit, perſuaſum fuiſſe, legem continentiæ Eccleſiaſticam duntaxat eſſe, non divinam, nec divinam Apoſtolicam, quemadmodum & S. Dionyſio Corinthi Epiſcopo, qui Sæculô 2dô. nempè circa an. Chr. 170. floru-

(*l*) Legem verè divinam Apoſtolicam ut patet ex tract. 2. Tom. 1. Theologiæ hujus noſtræ *De Traditione*, eam vocamus, quæ ab Apoſtolis lata eſt ùt Chriſti præconibus ſeu nomine Chriſti loquentibus. Hujusmodi legem *Apoſtolicam divinam* ibidem nuncupavimus; ut quæ à Chriſto Apoſtolis immediatè tradita ſit.

floruit, perſuaſum fuiſſe videtur, ut patet ex priùs adducto illius teſtimonio. 6to. Idem ſentire videtur S. Iſidorus Peluſiota, qui Sæculô 5tô. & circa an. 431. ſuperfuit, dum lib. 3. Epiſt. 75. ait leges quidem & Eccleſiaſtica inſtituta Sacerdotibus continentiam injungere, *verùm baud admodum id fieri.* 7mo. Si lex perpetuæ continentiæ à Chriſto vel ab Apoſtolis fuiſſet ſacris Miniſtris impoſita, ſemper hi caſtitatem, ſaltem tacitè, profeſſi fuiſſent, cùm ad Ordines ſacros admittebantur. Atqui tamen S. Baſilius, qui circa medium Sæculi 4ti. Eccleſiæ floruit, atque primùm an. 378. obiit, epiſt. 2. Canonicâ ad Amphilochium Can. 19. non alios agnoſcit caſtitatem profitentes quam Monachos. Denique, quoties Latini cum Græcis (qui ſup. citato Canoni 13. Synodi Trullanæ Presbyteris & Diaconis facultatem retinendi uxores ante Ordinationem ductas tribuenti deinceps adhæſerunt) unionem & concordiam pepigerunt, nusquam ipſis vitio dederunt, quòd ſuis cohabitarent & conjungerentur uxoribus, nusquam hæc ipſis impoſita lex, ut ab uxoribus ſepararentur. Atqui id nunquam profectò Eccleſia toleraſſet, ſi divinô vel Apoſtolicô præceptô vetitum eſſe intellexiſſet; nusquam permiſiſſet ſic impune violari ac proculcari legem divinam, vel Apoſtolicam divinam.

308 Nec obeſt, quòd Apoſtolus Tit. 1. & 1. Tim. 4. & 5. dicat, oportere, ut Epiſcopus ſit continens; Exemplum ſit fidelium in caſtitate; ſe ipſum cuſtodiat. &c. Nam 1mo. reſponderi poteſt, continentiam, quam hìc commendat Apoſtolus, non eſſe continentiam ab uxoribus aut ducendis aut ductis, ſed eſſe continentiam ab omni illicita voluptate. *Hæc eſt vera continentia*, ait S. Chryſoſtomus, *nulli vitio ſubjici.* Quo ſenſu S. Petrus Epiſt. 2. c. 1. v. 6. jubet omnes Fideles continentiæ operam dare; non quod velit omnes ab uxoribus abſtinere, ſed ab illicitis deſideriis & voluptatibus. Eodem modo exponi poteſt caſtitas, quam Timotheo commendat: in legitimo enim conjugio caſtitas ſervari poteſt, ac re ipſa ſervari debet.

Reſp. 2do. Id ab Apoſtolo præcipi tanquam Eccleſiæ Paſtore; non verò velut Chriſti præcone, & divinam legem promulgante. Apoſtoli itaque fuerunt tum præcones Verbi Dei; docentes, quæ Chriſtus ipſe mandaverat; tùm Legislatores, ea ſtatuendo, quæ conferrent ad optimum Eccleſiæ regimen. *Cætera*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 11. *cùm venero diſponam.* Porrò quæ prædicaverunt Apoſtoli tanquam à Chriſto ſibi tradita, ea ſunt juris divini, & immutabilia: quæ autem à ſe inſtituta tradiderunt, ſunt juris humani ac Eccleſiaſtici; & quamvis ab Eccleſia religioſiùs obſerventur, quàm ſequentium Paſtorum inſtituta, abſolutè tamen mutari poſſunt. Cùm ergo Ecclèſia ſæpiùs diſpenſaverit circa legem cœlibatûs, toleretque eam non ſervari à Presbyteris Græcis, ſequitur hujusmodi diſciplinam non eſſe à Chriſto inſtitutam ſive immediatè & per ſe ipſum, utpote de qua apud Evangeliſtas nulla ſit mentio; nec mediatè per Apoſtolos tanquam ſuos præcones & divinæ ſuæ legis promulgatores, ſed ab ipſomet Apoſtolo Paulo velut Eccleſiæ Paſtore & Rectore, proindè tanquam diſciplinam merè Eccleſiaſticam.

Porrò lex perpetuæ continentiæ 309
quam ſacris Miniſtris impoſuit Eccleſia, & quæ deinceps fuit obſervata, tùm in Eccleſia Græca, ſaltem usque ad Synodum Trullanam an 692. celebratam; tùm in Latina ad noſtram usque ætatem, prout declarant paſſim jam adducta Patrum & Conciliorum teſtimonia, quibus

bus innumera penè alia adjungere poſſemus, ſi temporis anguſtia permitteret, æquiſſima eſt atque ſanctiſſima, optimis rationibus nixa, quas SS. Patres exponunt.

Prima petitur ex ſanctitate ac puritate noſtrorum myſteriorum, quæ nonniſi à puris ac mundis Miniſtris contrectari debent, ut ſunt Sacrificium offerre, & Altari miniſtrare; nuptiarum autem opera impediunt munditiam ac puritatem in iis requiſitam, qui accedunt ad altare; quamvis enim per ſe licita ſint, exerceri tamen nequeunt ſine pollutione quadam, & turpitudine, quæ mentem inquinat. Achimelech 1. Reg. c. 21. noluit dare panes propoſitionis comedendos Davidi & ejus militibus, niſi priùs certior factus fuiſſet eos ab uxoribus aliquandiu abſtinuiſſe. Ex quo deducit S. Hieronymus in c. 1. Tit. perpetuam requiri in Sacerdotibus continentiam, qui Corpus Chriſti, quod illis panibus ſignificabatur, quotidiè conficiunt, edunt, aliiſque tradunt. Ex lib. 1. Paralip. c. 2. & Luc. 1. colligitur Sacerdotes Veteris Teſtamenti per vices ſuas miniſtrare ſolitos, à domo & uxore abfuiſſe toto eo tempore, quo miniſtrabant in Tabernaculo. Undè Innocentius I. epiſt. 3. ad Exuperium an. circiter 400. datâ concludit in hæc verba: *Quantò magis hi Sacerdotes & Levitæ* (Novæ Legis) *pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec prœterit dies, qua vel à ſacrificiis divinis, vel à Baptiſmatis officio vacent*

310 Secunda ratio petitur à numero & magnitudine officiorum, quæ à ſacris Miniſtris impleri debent; ùt ſunt præter oblationis ſacrificium & ſacrum Altaris Miniſterium, quod jam recenſuimus, Orationi & contemplationi vacare; Fideles à vitiis purgare, & ad pietatem informare; curam pauperum gerere; &c. Hæc enim totum ſibi vindicant hominem, non curis Sæcularibus diſtractum & occupatum undè Apoſtolus Timotheum admonens Epiſt. 2. c. 2. ut laboret ſicut bonus miles Chriſti JEſu, ſubjungit: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Difficile namque admodùm eſt Miniſtrum rei uxoriæ ſollicitudine diſtractum rebus ſacris pertractandis liberum & expeditum eſſe, ut oportet; ſapientiſſimè ergo voluit Eccleſia, Miniſtros ſuos uxoribus carere, ac perpetuam profiteri continentiam.

Tertia, quia cùm ex Virgine Matre natus ſit Chriſtus, decet maximè, ut ab iis in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacrificio contrectetur, qui aut virgines ſunt, aut perpetuò continentes. Has & ſimiles rationes paſſim adducunt SS. Patres, quorum teſtimonia referre nimis longum foret. 311

Iis tamen nihil moti Novatores noſtri Lutherus lib. de abroganda Miſſa, & ejus aſſeclæ, ac præſertim Magdeburgenſes Centuriâ 11. c. 7. ubi dicunt hanc eſſe hæreſim maximè peſtiferam omnium, quæ unquam Chriſtianum regnum perturbârunt; & Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 12. ubi etiam hanc Eccleſiæ diſciplinam juri divino & naturali contrariam eſſe impudenter aſſerit. Præiverat Wiclefus, teſte Thoma Waldenſi tom. 2. de Sacram. c. 128. & 129. & tom. 3. de Sacramentalibus, c. 66. & 67. Hujusque erroris fundamenta jecerat Sæculô 4tô. Jovinianus, qui docuit Virginitatem non præſtare matrimonio; undè quædam Sanctimoniales nupſerunt, ut refert S. Auguſtinus lib. de hæreſ. c. 82.

Objiciunt igitur 1mo. Lex continentiæ adverſatur 1mo. mandato Apoſtoli tùm generali tùm ſpeciali. Generali quidem, namque 1. Cor. 7. v. 2. genera- 312

ratim ait: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Et v. 9. *Si se non contineant, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* 2do. Repugnat etiam speciali mandato, quod Episcopos spectat; siquidem 1. Tim. 3. v. 2. & Tit. 1. v. 6. inter dotes quas in Episcopo desiderat Apostolus, hæc una est: *Ut sit unius uxoris vir filios habens subditos cum omni castitate qui domui suæ benè præesse noverit.* Ergo. &c.

Resp. neg. ant. & consf. quam Lutherus & alii Novatores immeritò eruunt ex ant. Namque Apostolus 1. Cor. 7. alloquitur, interprete S. Hieronymo, conjugatos, qui cùm uxores in Paganismo duxissent, post conversionem ad fidem dubitabant, an uxoribus uti deberent; quibus meritò dixit Apostolus, ut unusquisque uxorem suam retineat, ac conjugale debitum invicem reddant. Sed detur, quòd de innuptis agat, certum tamen est, eum ipsis nùptias non præcipere, sed solùm permittere; aliàs sibi ipsi repugnaret, utpotè qui eodem cap. v. 7. dicat iisdem, *Volo enim vos omnes esse sicut me ipsum*, hoc est, cœlibem; erat enim cœlebs. Et v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Et v. 25 *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino ut sim fidelis.*

Pariter v. 9. conjugatos, vel eos alloquitur, quibus, cùm nullo voto sint obstricti, nec possint continere, expedit nubere: *melius est enim nubere, quàm uri.* Sic hos textus interpretantur, præter S. Hieronymum lib. 1. contra Jovin. c. 6. 7. & 8. S. Epiphanius hær. 61. S. Chrysostomus lib. de Virginitate, c. 39. S. Augustinus lib. de bono viduitatis, c. 8. & lib. 1. de conjugiis adulterinis.

Nec dicas, Apostolum laudatis v. 7. & 8. nullam de cœlibatu legem condere, sed consilium solummodò dare, utpotè qui nullum hac de re præceptum à Domino accepisset. Neque enim Ecclesia cogit quemquam ad amplectendum statum, cui cœlibatus annexus sit. Sed sicut idem Apostolus 1. Tim. 5. v. 12. scribit mulieres adstringi votô continentiæ, quod liberè emiserunt; easque esse damnationi obnoxias, si illud violaverint (*m*); ita Ecclesia eos, qui liberè statum Clericalem amplexi, perpetuam, quæ eidem annexa est, profitentur continentiam, cogit in proposito manere, nuptiasque ipsis interdicit. Undè non aliter Ministros suos ad servandam continentiam adstringit, quàm herus, qui conjugatos in suam familiam non admittit, sed vult, ut omnes domestici sui cœlibatum profiteantur.

Ad 2dum. Mens ibi Apostoli non est, ut à Sacerdotio vel Episcopatu rejiciantur cœlibes, aut qui duxerunt uxores steriles, sed solùm bigami, id est, ii, qui duas, etiam successivè, uxores duxerint; unde Ecclesia vel ab initio seu exordio suo bigamos tanquam Irregulares à sacris Ordinibus exclusit. Ita S. Chrysostomus, Comment. in cit. Apostoli loc. Vel vult Apostolus, ut Episcopus non plures simul habeat uxores, nec unâ repudiatâ, eaque vivente, aliam ducat, prout apud Judæos moris erat. Ita idem S. Chrysostomus loc. cit. & S. Hieronymus Ep. ad Oceanum. Observat præterea S. Ambrosius epist. 63. ad Vercellensem Ecclesiam, Apostolum dixisse eligendum esse Episcopum *habentem filios, non facientem*: id est, posse qui-

(*m*) *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

quidem Episcopum eligi, qui filios habeat, modò in posterum ab aliis procreandis abstineat.

313 Inst 1mo. Constat ex c. 9. 1. Cor. Omnes Apostolos fuisse conjugatos, uxoresque suas exemplô Moysis secum circumduxisse; *Nunquid*, inquit Apostolus, *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli.* Ergo.

Resp. neg. ant. Per mulieres illas sorores Tertullianus lib. de Monogamia, c. 8. S. Hieronymus lib. 1. adversùs Jovinian. & alii Interpretes in hunc locum, intelligunt aliquas pias mulieres, quæ ex singulari in Apostolos & Evangelium affectu eos sequebantur ad ministerium & victum parandum non ad voluptatem, prout ait S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 167. Non erant igitur mulieres illæ uxores Apostolorum. Enimverò una est Sanctorum Patrum sententia, Apostolos à Christo vocatos dimisisse uxores, si priùs habuerant; colligiturque ex Matth. c. 19. ubi Christus Petro pro se & condiscipulis suis interroganti, quæ foret eorum merces, qui dimissis omnibus eum fuerant secuti, respondet: *Vos, qui secuti estis me & omnis qui reliquerit ... uxorem aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, &c.*

Diximus, *si uxores priùs habuerant;* communis enim est sententia, omnes Apostolos, præter S. Petrum, quem socrum habuisse refert Matthæus c. 9. vocatos fuisse cœlibes. Nec verisimile est, quod scribit Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, S. Paulum ante vocationem nuptias contraxisse, cùm S. Lucas Act. 7. v. 55. narret eum fuisse adolescentem, quando passus est Stephanus, & annô proximè sequenti à Christo vocatus fuerit. Sed quidquid sit, idem S. Clemens cit. loc. asserit, eum post vocationem non adhæsisse uxori; quemadmodum ipsemet Apostolus testatur 1. Cor. 7. ubi optat Corinthios suô exemplô cœlibem vitam ducere.

Inst. 2do. Heb. 13. v. 4. Apostolus absolutè pronuntiat, *honorabile esse connubium in omnibus, & thorum immaculatum.* Atqui quod est in omnibus honorabile nemini debet interdici. Et 1. Tim. 4. v. 2. ait esse *spiritum erroris & doctrinam dæmoniorum, prohibere nuptias.* Ergo. 314

Resp. ad 1mum. 1mo. neg min. Si enim nemini interdici debet connubium, eò quòd in se bonum sit & honorabile, tunc poterit frater cum sorore, filius cum matre, conjugiô copulari; quod dicere impium est. Quemadmodùm igitur illegitimum & nullum est inter certas personas conjugium, ita & meritò Ecclesia voluit suos sacros Ministros eo carere. Neque propterea, ut jam diximus, vim cuiquam infert, aut laqueum injicit; neminem ad Clericatum invitum ac nolentem compellit; sed lege lata de continentia in Clericatu servanda, ei se liberè & ultrò subjicere censendus est, qui ad Clerum spontè accedit; qui si non probatis priùs ac tentatis suis viribus, imprudens obtrudat se se, neque subindè valeat continere, sibi suam imputet culpam, atque jugis orationibus & lacrymis donum illud à *Deo postulet, qui misericors est, ac rectè petentibus illud non denegat, nec patitur tentari nos supra id quod possumus;* ait Concilium Tridentinum Sess. 24. Can. 9

Resp. 2do. Varios esse horum verborum *honorabile in omnibus* interpretationes Patrum, quæ Hæreticis minime favent; maximè litteralis & scopo Apostoli congrua videtur illa, quam affert S. Chrysostomus in hunc Apostoli locum; tùm quia idem Apostolus in hoc Capite tradit præcepta ad mores pertinentia, quibus admonet quid *fieri debeat;* tùm quia hanc præcepti sui rationem tradit eodem versu, *Fornicatores autem & adul-*

adulteros judicabit Dominus. Sic ergo S. Chryſoſtomus hunc locum ſic explicandum eſſe exiſtimat, ut præcipuè iſtud *in omnibus* referatur ad perſonas, ita ut iſte ſit Apoſtoli ſenſus: conjugium ſit omnibus vobis honorabile, & thorus immaculatus; id eſt, præcipio, ut omnes, qui in conjugio eſtis, ſervetis honorem conjugii, & thorum ſine macula: id verò fiet, ſi nec violetur conjugii fides per adulterium, nec quidquam ab ipſis conjugibus inter ſe committatur, quo thori conjugalis pudicitia & caſtitas maculetur.

Ad 2dum. ex c. 4. 1. Ep. ad Tim. Diſt. Eſt ſpiritus erroris & doctrina dæmoniorum prohibere nuptias, tanquam per ſe malas, & à Diabolo inventas, ut ſenſerunt aliqui Hæretici, quos exoriendos fore monet ibid. v. 2. Apoſtolus, *Noviſſimis*, inquit, *temporibus diſcedent quidam à fide prohibentes nubere.* Conc. Eſt ſpiritus erroris & doctrina dæmoniorum prohibere nuptias, ſtudiô duntaxat majoris perfectionis, & iis tantùm, qui ſcientes & liberi eam vitæ conditionem amplectuntur, cui annexa eſt continentiæ perpetuæ profeſſio, neg. ant. Hoc poſteriori modô prohiberi ab Eccleſia nuptias ſacris Miniſtris, negare non poſſunt Novatores, niſi frontem omnem exuerint.

315 Ob. 2do. Matrimonium eſt de jure divino Gen. 1. v. 28. *Creſcite & multiplicamini.* Eſt etiam de jure naturæ, ut patet ex naturali hominum inclinatione & appetitu. Atqui juri divino & naturali aliqua lege humana derogari non poteſt.

Reſp. Diſt. min. Juri divino & naturali, quod eſt præcepti, derogari non poteſt, conc. Juri divino & naturali, quod eſt permiſſionis & voluntatis. neg. min. Ex hoc Scripturæ textu colligi dumtaxat poteſt & inſtitutio Matrimonii in officium naturæ, & virtus multiplicandi, quam Deus homini conceſſit, non autem obligatio atque abſolutum præceptum multiplicandi, alioquin & eandem legem brutis dediſſet animantibus, quibus pariter dixit, *Creſcite & multiplicamini*, quæ tamen præcepti ſunt incapaces; & virginitatem damnaſſet, quam tamen ipſe Chriſtus coluit & poſt eum B. Virgo, S. Joſeph, S. Joannes Baptiſta, ac plures alii; & quam impensè commendat Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 38. ſup. adduct. Deinde obſervant SS. Hieronymus & Auguſtinus, addidiſſe Deum, *Et replete terram*, ut nimirùm intelligatur, hoc præceptum, ſi quod fuit, ſpectaſſe tantùm initium mundi, quo terra erat vacua, ubi ſcilicet ſine conjugio genus humanum deficeret; & ex eadem ratione, tempus, quod diluvium proximè ſecutum eſt.

Ad 2dum. Reſp. Inclinationem naturalem unicuique inditam oſtendere quidem licitum eſſe omnibus uxores ducere, ſed non probare ſub præcepto omnibus injunctum eſſe, ut uxores ducant. Atqui, ut jam obſervavimus, neminem invitum ad continentiam cogit Eccleſia, cùm neminem invitum compellat ad Ordines ſacros percipiendos; ſed ſi eam vitæ rationem quis liberè amplexus fuerit, cui Eccleſia ſapienter annexam eſſe voluit continentiam, hunc ad illam ſervandam ſeverè adſtringit; & certè in aliis vitæ civilis officiis ac muneribus, tenetur quilibet ad ea vocatus & ſponte accedens, ea omnia implere, quæ his officiis ac vitæ inſtituto annexa eſſe voluit Princeps aut Reſpublica.

Inſt. 1mo. Non poteſt Eccleſia id 316 prohibere, quod omnibus Deus liberum voluit & reliquit, dicente ipſo Chriſto Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Atqui Deus omnibus liberum reliquit Matrimonium. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Si Deus Eccleſiæ non dederit poteſtatem condendi novas ali-

quas

quas leges, quæ spectent disciplinam, conc. Secùs, neg. maj. At potestatem hanc Ecclesiæ dedit Christus, cùm dixit: *Qui vos audit, me audit. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Obedite Præpositis vestris, &c.* Lex autem continentiæ spectat disciplinam. Porro citata Christi verba non sunt ad rem præsentem; negant quippè solvendum esse conjugale vinculum, quod per libellum repudii solvebant Judæi; sed non imperant, ut omnes se eo vinculo adstringant.

317 Inst. 2do. Dura est & iniqua lex, quæ pluribus juvenibus Ministris Ecclesiæ laqueum injicit, ac tot nefandis voluptatibus aperit aditum, & ruinæ occasionem subministrat. Atqui talis est lex cœlibatûs &c. cujus exemplum suppeditat epistola S. Udalrici Episcopi Augustani an. 903. ad Nicolaum summum Pontificem, in qua narrat S. Gregorium, qui uxores Sacerdotibus ademerat, in sua piscina sex millia capitum infantium suffocatorum reperiisse, quam cædem cùm intelligeret sanctus Pontifex ex occultis Clericorum fornicationibus natam esse, continuò decretum revocavit, & peccatum suum dignis pœnitentiæ fructibus purgavit. Hanc historiam Magdeburgenses centuriâ 6. c. 7. & 10. maximè urgent adversùs legem cœlibatûs.

Resp. Dist. maj. Si sit occasio per se, conc. Si sit per accidens, neg. maj. Similiter Dist. min. Est ruinæ occasio &c. pluribus per accidens; iisque præsertim, qui temerè, & sine continentiæ dono ad Ordines obrepunt tanquam fures, conc. Per se, neg. min. Lex cœlibatûs profectò laqueum non injicit, nec est ruinæ occasio iis, qui, ut oportet, præparati, ac post probatas vires suas, seriumque ac diuturnum examen, liberè amplectuntur Clericalis vitæ institutum, cui sciunt annexam esse perpetuam continentiam. Qui aliter sacris se immiscent ministeriis sibi ipsis laqueum injiciunt, ac propriæ ruinæ sibi occasio sunt; nec aliud ipsis superest remedium, quàm ut lacrymis scelus eluant, ac continentiæ donum suppliciter à Deo postulent. Igitur omninò per accidens est, quòd aliquibus incommodis & malis occasionem aperiat; non lex ipsa, quæ sancta est, sed humana perversitas incusanda est. Quòd si lex tanquam injusta damnanda sit, eo quòd ejus occasione nonnulli injustè agant, tunc abroganda fuisset lex vetus, utpote cujus occasione, prout memorat Apostolus Rom. 7. peccatum, quod erat mortuum, revixit, & operatum est omnem concupiscentiam. Imò expungenda forent, ac de medio tollenda Sacramenta, quæ Sacrilegorum profanationi quotidie patent. Vide quæ hac de re disseruimus in Tract. de Religione, ubi de Votis.

Ad confirmationem Adversarios pudere deberet nobis anilem fabulam objicere, quæ ab imperitis cum omnimoda falsi specie conficta est.

Namque 1mo. ejusmodi historia neque in operibus S. Udalrici legitur, neque ab ullo antiquo Scriptore refertur. 2do. Ad quem Nicolaum scripta est epistola, de qua est sermo? an ad Nicolaum I. aut ad Nicolaum II? Atqui Nicolaus I. jam dudum obierat, nempè annô 867. ex Onuphrio lib. de Romanis Pontif. Nicolaus verò II. creatus est Papa annô 1069. hoc est, centum circiter annis post obitum S. Udalrici. Hinc Magdeburgenses coguntur fingere absque ulla auctoritate Udalricum II. 3tio. Falsum est legem cœlibatûs latam fuisse à S. Gregorio; quin constat ex dictis, illum temperasse rigorem Pelagii II. respectu Subdiaconorum Siciliæ. 4to. Unde habent Adversarii non Laicos, sed Clericos genuisse sex millia infantum, à promulgata lege S. Gregorii? 5to. Cùm lex S. Gregorii spectaret solummodò Subdiaco-

diaconos Siciliæ, juxta historiam, soli Subdiaconi Siciliæ supponuntur fuisse patres tot infantum. 6to. Quomodò tot capita occultè deferri potuerunt ex Sicilia in piscinam S. Gregorii? an ex aëre, sicut imber, deciderunt? 7mo. Qui tulit legem iniquam, falsam agit pœnitentiam, nisi eam revocet. Atqui neque ex Scriptis S. Gregorii, neque ex ullo Scriptore Ecclesiastico adversarii probare possunt S. Gregorium revocasse legem cœlibatûs; quin suprà probavimus religiosiùs post ipsum fuisse observatam quoad Subdiaconos. Ergo imperitè admodùm conficta est illa fabula.

318 CAPUT IV.

De impedimentis removentibus ab Ordinatione.

Impedimenta, quæ homines reddunt inhabiles ad Ordines suscipiendos vel exercendos, vulgò *Irregularitates* appellantur; quia sunt quædam deviationes à regula, quæ conditiones & qualitates Ordinandorum præscribit; Irregularis quippe dicitur ille, qui ad regulam compositus non est.

Circa *Irregularitatem* autem 1mo. exponemus quid sit, & quotuplex. 2do. Qui ejus effectus. 3tio. Singillatim disseremus de singulis ejus speciebus. 4to. Quæremus, quis in ea dispensare possit. Quæ sequentibus Paragraphis expedimus.

§ I.

319 *Quid & quotuplex sit Irregularitas.*

Dum Irregularitatis notionem dare intendimus, atque, quid illa sit, exponere, nobis quæstio non est de illis Irregularitatibus, quæ ex jure divino sunt, & quarum mentionem facit Rituale nostrum Argentinense, atque omnimodè irritam & nullam reddunt Ordinationem, suntque duæ, defectus nempè Baptismi, & sexûs: sed in illas inquirimus, quæ sunt ex Ecclesiæ statutis. Hoc prænotatô,

Irregularitas definitur, *Impedimentum Canonicum, quo vir baptizatus redditur inhabilis directè ac primariò ad Ordines licitè recipiendos, & consequenter ad eorum functiones obeundas.*

Dicitur 1mo. *Impedimentum*, non verò pœna, ut distinguatur à Censura, quæ, ut supponit culpam, ita & semper est pœna; Irregularitas verò ex se ac generatim culpam non importat, nec consequenter est pœna.

Dicitur 2do. *Canonicum*, seu à Canonibus & Ecclesiæ decretis latum; irregularitas enim *propriè dicta* nusquam incurritur nisi in casibus jure Ecclesiastico expressis. Ita Theologi omnes & Canonistæ, favetque Bonifacius VIII. qui Cap. *Is qui.* tit. *De sent. excom.* in 6to. declarat eum, qui celebravit in Ecclesia polluta, licet peccaverit, Irregularitatis tamen laqueum non incurrisse; *cùm id*, inquit, *in jure expressum non sit.* Ex quibus verbis Theologi & Canonistæ inferunt omnem irregularitatem debere esse in jure expressam.

Dicitur 3tio. *Quo vir baptizatus.* ut denotetur subjectum irregularitatis Ecclesiasticæ, seu juris Ecclesiastici, ad distinctionem irregularitatis juris divini, de qua primùm disseruimus. Mulier enim, sicut est subjectum incapax Ordinationis, ita & Irregularitatis: infidelis verò non est subditus legibus Ecclesiæ, nec proindè irregularitate Canonica ligari potest. Subjectum ergo Irregularitatis est omnis & solus masculus baptizatus, sive sit Clericus, sive Laicus.

Dici-

Dicitur 4to. *Redditur inhabilis directè ac primariò ad Ordines licitè suscipiendos.* Quibus verbis Irregularitas distinguitur ab excommunicatione, interdicto, suspensione, depositione, & degradatione: per excommunicationem enim Fidelis directè & primariò privatur communione aliorum Fidelium; per interdictum, divinis officiis; per suspensionem, depositionem, & degradationem functionibus Ordinis: Irregularitas verò per se primariò ac directè impedit, non quidem *validam*, sed *licitam* Ordinum susceptionem.

Dicitur 5to. *Et consequenter ad eorum functiones obeundas.* Quando enim Irregularitas sortiri non potest primarium effectum, ad quem primò ac per se instituta est, scilicet reddere inhabilem ad Ordines suscipiendos, ut contingit, quando aliquis jam Ordines suscepit; tunc irregularitas secundarium suum effectum obtinet; scilicet, impedire susceptorum Ordinum exercitium. Ratio est, quia qui non potest Ordines suscipere, multò magis prohibetur susceptis Ordinibus uti.

Istud Irregularitatis impedimentum etiam se ad Tonsuræ susceptionem extendit; adeo ut irregularitate innodatus nec eam licitè suscipere valeat. Ita Theologi & Canonistæ communiter; favetque Ecclesiæ praxis; & quia Irregularis est incapax effectuum Tonsuræ, qui sunt habilitas ad Ordines & Beneficia. Et quia denique Tonsura in jure appellatur Ordo, Cap. *Cùm contingat.* tit. *De ætate & qualitate perficiendorum.* Ergo cùm in Jure Tonsura dicatur Ordo, & aliundè in jure habeatur, irregularitatem esse impedimentum ad Ordines; satis in Jure exprimitur Irregularitatem esse impedimentum suscipiendæ Tonsuræ.

320 Quæstio hîc etiam inter Theologos & Canonistas movetur, an quis in dubio contractæ Irregularitatis censeri debeat Irregularis?

Not. Duplex posse esse dubium, juris scilicet & facti. Dubium juris est, quando lex Canonica ita est obscura, ut peritiores sensum ejus non satis percipiant, & in ejus interpretatione inter se discordent: dubium verò facti dicitur, cùm quis dubitat, num posuerit actum, cui lex Irregularitatem expressè imponit, v. g. num re vera occiderit in bello justo. His præmissis,

In dubio juris nemo censendus est Irregularis. Ita Canonistæ omnes, nitunturque Cap. *Is qui.* tit. *De sent. excom.* suprà laudato.

Circa dubium facti est aliqua controversia inter Theologos. Aliqui enim eorum docent in dubio quidem facti homicidii censendum esse Irregularem, minimè verò in aliis facti dubiis; quia, inquiunt, nullus, ex dictis, reputandus est Irregularis, nisi id habeatur in Jure expressum. Atqui nullibi Jus pronuntiat Irregularem in dubio facti, nisi homicidii.

Verùm opposita sententia videtur probabilior, scilicet in quolibet probabili dubio facti debere aliquem se gerere Irregularem. Deducitur ex Cap. *Ad audientiam.* tit. *De homicidio voluntario.* in quo Clemens III. dubitanti Presbytero num famulus decessisset ex vulnere à se inflicto, sic respondet ejus Episcopo: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem; vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Et Cap. *Significasti.* eod. tit. Innocentius III. in simili dubio facti decernit, *quòd si discerni non possit, ex cujus ictu interierit* (fur à pluribus percussus) *in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, et si fortè homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet; cùm in*

 hoc

hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare : pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. Nec refert, quòd in utroque Canone sermo sit de dubio facto in materia homicidii; namque ratio, qua nituntur Summi Pontifices, est universalis, militatque pro dubio facti in qualibet materia, v. g. magnum periculum est, si celebret temerè, qui dubitat, num Irregularis sit ob violatam Censuram, ac propterea secundùm laudatos Pontifices à Sacerdotali officio abstinere debet, cùm hoc faciens, nullum subeat periculum. Diximus, *probabili dubiô*; quia si dubium sit leve, & merus scrupulus, debet contemni. Itaque debet se reputare Irregularem, 1mo. Qui fuit causa abortûs, & dubitat an fœtus esset jam animatus. 2do. Qui cum aliis percussit, & nescit, an ipse inflixerit vulnus lethale. 3tio Medicus, vel Chirurgus, incertus, an infirmus ipsius culpâ aut negligentiâ mortuus sit, vel mutilatus. Hæc de notione Irregularitatis; modò Quotuplex sit explicandum est.

321 1mo. Igitur Irregularitas dividitur in eam, quæ est *ex defectu*, & eam quæ est *ex delicto*. Irregularitas *ex defectu* est ea, quæ fundatur in aliquo defectu absque propria culpa. Talis est Irregularitas, quæ est ex defectu corporis, natalium &c. Irregularitas *ex delicto* est ea, quæ fertur propter indecentiam fundatam in propria culpa. Talis est Irregularitas, quæ nascitur ex homicidio, aut violatione Censuræ.

2do. Dividitur in *totalem*, & *partialem*. Prior est ea, quæ perpetuò excludit à quolibet Ordine suscipiendo vel exercendo, v. g. Irregularitas homicidii, bigamiæ, &c. *Partialis* verò est ea, quæ vel non durat in perpetuum, v. g. Irregularitas ob defectû ætatis; vel non omni ministeriô Ordinis privat, sed aliquo tantùm: sic percussus cœcitate est Irregularis Irregularitate partiali; potest enim concionari & confessiones excipere, privaturque solummodò functionibus, quarum propter cœcitatem capax non est. Porro ad incurrendam Irregularitatem ex delicto, Requiritur 1mo. Ut delictum sit grave & mortale. 2do. Requiritur actus externus: sola quippe voluntas peccandi non sufficit. 3tio. Non tamen necesse est, ut delictum sit cum contumacia contra Ecclesiam: undè Irregularitas ex delicto incurritur, tametsi delinquens ignoret latam Irregularitatem, imò etiamsi ignoret prohibitionem talis delicti ab Ecclesia factam esse.

Novem sunt species Irregularitatis ex defectu; Quatuor verò Irregularitatis ex delicto; de quibus singillatim agemus, postquam pauca de Irregularitatis generatim sumptæ effectibus differuerimus.

§. II.

De effectibus Irregularitatis. 322

Triplex dignoscitur esse effectus Irregularitatis. 1mo. Impedit susceptionem Ordinum, & Tonsuræ Clericalis. 2do. Privat usu Ordinum, omnium quidem, si sit totalis; quorumdam verò duntaxat, si sit partialis. 3tio. Inhabilem reddit ad quodlibet Beneficium recipiendum, si sit totalis; ità ut collatio sit ipso jure nulla & irrita. Cap. *Si celebrat.* tit. *De Clerico excommunicato.* Et ratio est, quia Beneficium datur propter officium. Atqui ligatus Irregularitate prohibetur fungi Ordinis officiô. Ergo non potest recipere Beneficium ex natura sua ordinatum ad officium. Ergo Irregularis tenetur dimittere Beneficium in Irregularitate, præsertim totali, obtentum, & fructus indè perceptos restituere.

Diximus *Ad recipiendum Beneficium;* quia propter Irregularitatem, quæ supervenit

venit Beneficio jam obtento, Beneficiarius potest quidem privari Beneficiô; sed actu & de facto non privatur: quia nemo tenetur seipsum spoliare re, quam justô titulô acquisivit, ante Judicis sententiam.

Diximus etiam *præsertim si Irregularitas sit totalis;* quia plures Theologi existimant Irregularitatem partialem non reddere inhabilem ad Beneficium, cujus munia Irregularis obire potest.

323 Porrò Irregularitas totalis præcedens adeptionem Beneficii, inhabilem reddit ad exercitium jurisdictionis ordinariæ huic Beneficio annexæ. Et ratio est evidens; quia jurisdictio ordinaria fundatur in Beneficio, ad quod Irregularis est inhabilis. Non est tamen incapax jurisdictionis delegatæ, cùm ejusmodi jurisdictio non conferatur ratione Beneficii. At contrà hujusmodi Irregularitas, quæ supervenit Beneficio obtento, non privat usu jurisdictionis ordinariæ; quia, ex mox dictis, non privat ipso Beneficio. Ubi tamen jurisdictio exerceri non potest sine usu Ordinis, ut in Sacramento pœnitentiæ, & benedictione nuptiarum, Irregularitas eam exercere nequit, cùm Irregularis impediat usum Ordinis. Ergo Parochus, qui incurrit Irregularitatem, licitè potest exercere ea, quæ sunt meræ jurisdictionis, v. g. delegare ad Sacramenta suis Parochianis ministranda; non tamen potest ipsemet illa ministrare, quia in illis actibus jurisdictionis includitur usus Ordinis, quo per Irregularitatem privatur.

Qui Irregularitatem, quam fortè incurrit, violat, v. g. celebrat, Sacramenta administrat, &c. peccat, & quidem graviter, nisi necessitas excuset: sed nulla pœna decernitur in Jure adversùs Irregularem, qui Irregularitatem violat, sicut decernitur adversùs eum, qui Censuram violat.

Diximus, *Nisi necessitas excuset;* quia si Irregularitas sit occulta, & Parochus v. g. nequeat absque infamia & scandalo abstinere ab offerendo Sacrificio, licitè celebrare poterit. In hypothesi tamen, quòd dispensatio esset reservata summô Pontifici, & gratia nisi tardiùs obtineri non posset, ad Episcopum sive per se, sive per Confessarium recurrere deberet, ut cum ejus licentia interim munere suo fungeretur.

§. III.

De Irregularitatibus ex defectu. 324

Novem, ut supra §. 1mô. memoravimus, numerantur species Irregularitatis ex defectu: suntque sequentes. 1ma. Ex defectu animæ. 2da Ex defectu corporis. 3tia. Ex defectu natalium. 4ta. Ex defectu famæ. 5ta. Ex defectu ætatis. 6ta. Ex defectu obligationis. 7ma. Ex defectu Sacramenti. 8va. Ex defectu lenitatis. 9na. Denique ex defectu libertatis. Quæ nobis modò sunt explicandæ; sequenti §. eas, quæ sunt ex delicto explicaturi.

Irregularitas ex defectu animæ. 325

Triplex animi defectus inducit Irregularitatem, scilicet defectus usûs rationis, defectus scientiæ, qualem sacri Canones requirunt; & defectus fidei confirmatæ.

1mo. Ob defectum rationis ab Ordinibus arcentur 1mo. pueri, qui nondùm sunt rationis participes. 2do. Amentes & furiosi habitualiter ex læsione organorum, non autem solùm ex causa transeunte, v. g. febre vehementi. 3tio. Lunatici, qui per temporum intervalla amittunt usum rationis. 4to. Epileptici, qui morbô comitiali ita subitò corripiuntur, ut statim interclusis sensibus cadant quasi exanimes,

nimes, undè morbus ille caducum malum appellatur. 5to. Energumeni seu arreptii, qui à Dæmone vexantur.

Hi omnes ex dispositione Canonum repelluntur à susceptione Ordinum, non solùm quamdiu tales sunt, sed etiamsi sanati videantur, quia raró aut nunquam potest de eorum perfecta sanatione esse certitudo. De furiosis, lunaticis, &c. habetur Cap. *Maritum.* Dist. 33. De Epilepticis, Cap. *In tuis litteris.* Causâ 7. q. 5. De Energumenis, Cap. *Communiter.* Cap. *Clerici.* & Cap. *Usque adeò.* cit. dist. 33.&Can. 13 Concilii Toletani XI. an. 675. Repelluntur etiam ab exercitio susceptorum Ordinum, nisi ab abliquo tempore, juxta arbitrium Episcopi determinando, liberi fuerint ab ejusmodi defectibus. Cap. *Communiter.* dist. 33. Quòd si dubium sit, an re vera quis morbô caducô laboret, in illo dubio probandus erit duntaxat per 30. dies Cap. *Nuper.* Caus. 7. q. 2. Observat tamen Cabassutius lib. 5. c. 19. Theoriæ, consuetudine receptum esse, ut epilepsis in infantibus usque ad annum 14tum. non inducat Irregularitatem; *quia* inquit, *ex Hypocrate ante pubertatem amotionem recipit.*

Hujusmodi tamen Energumeni, Lunatici, & Epileptici, etsi ab aliquo, ut dictum, tempore per Episcopum determinando à vexatione dæmonis, & morbô suô liberi fuerint probati, atque sic, Episcopi judiciô, in susceptis Ordinibus ministrare possint, tamen ad Superiores Ordines absque dispensatione promoveri nequeunt, ex Cap. *Maritum.* & Cap. *Clerici.* suprà laudatis.

326 2do. Ex defectu scientiæ Irregulares sunt illiterati durante imperitia, ut patet ex Cap. *Illiteratos.* dist. 36. Et hoc contingit, quando ignorant ea, quorum notitiam sacri Canones prærequirunt ad susceptionem Ordinum, de quo videri potest Concilium Tridentinum Sess. 23 de reform. c. 4.

Not. Defectum illum scientiæ esse impedimentum suscipiendorum Ordinum, in quo nequidem Summus Pontifex dispensare potest; cùm sit intrinsecè malum, ut quis officium suscipiat, cui aptus non est.

3tio. Ex defectu fidei Irregulares 327 sunt 1mo. Hæreticorum filii; nam Patres eorum non ex defectu, sed ex delicto sunt Irregulares. Cap. *Quicunque.* §. *Hæretici.* tit. *De Hæreticis.* in 6to. quod est Alexandri IV. Verùm Canon iste plerumque non viget; enimverò non solùm Hæreticorum filii, sed ipsimet Hæretici, postquam hæresim ejurârunt, ad Ordines & Beneficia absque dispensatione admitti solent. 2do. Neophyti, seu recèns ad fidem ab Idololatria, Judaismo, & Mahumetismo conversi. Hos enim ab Ordinibus arcet S. Paulus 1. Tim. 3. v. 6. *Non Neophytum*, inquit, *ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Et Concilium Laodicenum Sæculô 4tô. sub Damaso I. celebratum can. 3. ubi, *De iis*, ait, *qui nuper sunt illuminati Baptismate, non convenit promoveri in Ordine Sacerdotali.* 3tio. Qui in provectam ætatem Baptismum differebant, atque in infirmitate duntaxat, ac urgente mortis periculo in lecto baptizabantur ac propterea *Clinici*, à voce κλίνη, quæ lectum significat, vocabantur, inter Irregulares computari solebant. Cap. *Si quis.* dist. 57. quod est Concilii Neocæsariensis cap. 12. an. 314. Ita etiam Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. Hist. cap. 43. ait, *Novatianum idcirco Irregularem fuisse, quòd in lecto baptizatus fuisset.* 4to. Qui è statu Laicali statim ac sine mora ad Ordinem Clericalem transibant. *Debet enim*, ajebat Cœlestinus Papa,

Papa, epist. 2. *prius esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, ut possit docere, quod didicit.* Item ex Cap. *Sicut.* Dist. 48. quod est S. Gregorii lib. 7. epist. 110. Excipiendi tamen nonnulli, qui ob insignem pietatem ac Religionis tuendæ zelum ad Ordines velut inviti rapiebantur; quemadmodùm SS. Ambrosius, Augustinus, & alii, statim a Baptismo ad sacros Ordines rapti fuerunt.

328 *Irregularitas ex defectu corporis.*

Primis Ecclesiæ Sæculis defectus corporis, modò ex delicto non essent, Irregularitatem non inducebant. Id constat ex Can. 77. Apostolorum, ubi dicitur: *Si quis oculò defectus, aut obtuso crure existat, & dignus sit, Episcopus efficiatur; non enim mutilatio corporis ipsum polluit, sed inquinatio animæ.* Et Auctor Constitutionum Apostolicarum, *Pro una tribu Sacerdotali*, inquit, *jussit* (Christus) *ex unaquaque gente optimos quosque ad Sacerdotium eligere, neque corporum vitia contemplari, sed religionem & vitam.* Quin stigmata & cicatrices ex vulneribus propter Christum toleratis ornabant, nedum deformabant pios Confessores, iisque erant gradus ad Ordines: ut scribit S. Cyprianus de Aurelio & Celerino epist. 34.

Verùm Sæculis sequentibus, cùm refriguit charitas, nec ea esset virtus in iis, qui corpore vitiati erant, quæ deformitatem illius vinceret, atque ideo in Clero oneri essent, & despicatui; Ecclesia post quartum Sæculum prohibuit, ne quis cum ejusmodi defectibus ordinaretur. Plures ea de re extant Canones dist. 55. & lib. 1. Decretalium toto tit. *De corpore vitiatis.* Et lib. 3. *De Clerico ægrotante.*

Diximus, *modò defectus illi non essent ex delicto;* quia Ecclesia semper prohibuit, ne ad Ordines promoverentur, aut in susceptis ministrarent, qui se ipsos mutilaverant, eosque habuit tanquam sui homicidas, ut constat ex Can. 22. & 23. Apostolorum relatis Cap. *Si quis.* Dist. 55. & ex Concilio Nicæno Oecumenico I. Can. I. relatô eadem Dist. 55. Cap. *Si quis.*

Defectus autem corporis, Irregularitatem, ex Decreto Ecclesiæ, inducens, 329 talis esse debet, ut vel impediat decentem Ordinis executionem; vel notabilem deformitatem inducat, aut scandalum, horrorem, vel contemptum personæ generet. Ita Theologi & Canonistæ colligunt ex Titulo *De Corpore vitiatis.* & *De Clerico ægrotante.* & ex Dist. 55. jam prius à nobis citatis.

Porrò ejusmodi Corporis defectus quadruplicis sunt generis. Nam 1mo. Irregularis est ex corporis defectu, qui inhabilis redditur ad munus Sacerdotale. Ita expressè habetur Cap. *Exposuisti.* tit. *De corpore vitiatis*, ubi mutilatus manu deponitur. Et Cap. *Presbyterum.* tit. *De Clerico ægrotante.* celebrare non permittitur Presbytero, cujus duos digitos cum medietate palmæ prædones absciderant; *quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem* celebrare posset. Idem sentiendum de eo, qui ita tremulis est manibus, ut sine periculo subversionis calicis celebrare non possit; vel qui ita vinum abhorret, ut evomendi sit periculum. Privatio tamen digiti, nisi sit pollex aut index, aut propriâ culpâ acciderit, non facit Irregularem, Cap. *Qui partem.* & Cap. *Labor.* Dist. 55.

2do. Irregularis est ex corporis defectu, qui horrorem & scandalum generat, ut lepræ macula. Cap. *De Rectoribus.* tit. *De Clerico ægrotante*, quod est Clementis III.

3tiò. Irregularem efficit defectus corporis, qui, etsi inhabilem non reddat ad

ad functiones ſacras, efficit tamen, ut cum nimia difficultate & indecenter peragantur, ut ſi quis habeat partem pollicis aut indicis amputatam, ita ut impediatur decenter frangere & tractare Euchariſtiam. Item, qui caret lumine oculi ſiniſtri, quamvis integri, ita ut non poſſit commodè per oculum dexterum conſpicere librum ſine indecora faciei converſione ad populum. Obſervant tamen celeberrimi Scholæ Doctores, quòd, ſi tanta virtute polleat in dextero oculo, ut ſine deformitate legere poſſit Canonem, non cenſeatur Irregularis; quia ceſſat fundamentum Irregularitatis. Hæc quidem ſententia certiſſima videtur, ſi defectus poſt Ordinationem contingat; ſi verò antecedat, judiciô maturiori opus eſt.

4to. Irregularem efficit defectus, qui parit notabilem deformitatem. Ita Alexander III. Cap. *Cùm de tua.* tit. *De corpore vitiatis.* Ubi decernit maculam in oculo non eſſe impedimentum ſuſcipiendi Ordinis, niſi inducat magnam deformitatem: examen autem permittit Epiſcopo. Hinc Irregularis eſt, qui caret oculô ſive dextrô ſive ſiniſtrô, Cap. *Si Evangelica.* Diſt. 55. nasô, pede, vel ita debilis eſt pedibus, ut ſine baculo ad altare ſtare nequeat; qui ita ſurdus eſt, ut nullo modo poſſit audire; qui nodum linguæ ita patitur, ut verbum integrum vix exprimere poſſit.

Diximus, *Qui caret oculô*; qui enim utrumque oculum habet integrum, ſed caret lumine oculi dexteri absque notabili macula, Irregularis non eſt, ſecundùm communem ſententiam.

Cæterùm in dubio, num deformitas, aut indecentia Irregularitatem inducat, ſtandum eſt Epiſcopi judicio, ex cit. Cap. *Cùm de tua.* tit. *De corpore vitiatis.*

Denique vitia corporis occulta Irregularitatem non inducunt, exceptis duobus caſibus, quia tunc nulla eſt deformitas, nullum ſcandalum, nullum indecorum in exercitio Ordinum. 330

Diximus, *exceptis duobus caſibus* 1mo. quia ſi defectus occultus ex propria culpa ortus ſit, Irregularitatem inducit: ſic qui membrum aut partem membri absque juſta cauſa ſibi amputavit, Irregularis eſt, quantumcumque occultum ſit vitium. Conſtat ex Cap. *Maritum.* Diſt. 33. 2do. Hermaphroditus etiam occultus, ab Ordinibus rejiciendus eſt ſecundùm Theologorum & Canoniſtarum ſententiam.

Irregularitas ex defectu natalium. 331

Ex defectu natalium Irregulares ſunt omnes filii illegitimi, quacumque ratione ſint illegitimi. Conſtat ex pluribus Juris Canonici decretis, maximè verò ex cap. 1. & 2. *De filiis Presbyterorum.* Etiam ii, qui occultè ſunt illegitimi, Cap. *Niſi cùm pridem.* & cit. Cap. *De filiis Presbyterorum.* Item ii, qui fuerunt expoſiti, & quorum natales ignorantur: Ratio eſt, quia communiter filii legitimi exponi non ſolent. Ita celebres Theologi & Canoniſtæ.

Qui autem natus eſt ex matrimonio in facie quidem Eccleſiæ celebrato, ſed re vera nullo ob impedimentum dirimens aliquod, nihilominùs habetur pro legitimo; ſi matrimonium in facie Eccleſiæ, id eſt, coram Parocho & teſtibus celebratum fuerit, & cum bona fide ſaltem unius contrahentium Irregularis non eſt, ut habetur Cap. *Ex tenore.* & *Cùm inter.* tit. *Qui filii ſint legitimi.*

Quatuor modis tolli poteſt Irregularitas iſta: 1mo. per ſolemnem Religionis profeſſionem, ut patet ex cit. cap. 1. *De filiis Presbyterorum.* Advertendum ta- 332

tamen, quòd in hoc casu solùm tollatur Irregularitas quoad Ordines; non verò quoad Prælaturas & Dignitates, sive intra sive extra Religionem. 2do. Per subsequens Matrimonium. Ita Alexander II. Cap. *Tanta.* tit. *Qui filii sint legitimi.* Dummodò tamen tempore conceptionis filiorum ipsi parentes fuerint habiles ad contrahendum matrimonium, nec habuerint ullum impedimentum dirimens. Hinc si adulter, mortua conjuge, ducat in matrimonium fœminam, ex qua prolem suscepit, proles manebit spuria & illegitima, cit. Cap. *Tanta.* 3tio. Per legitimationem, quæ à solo summo Pontifice emanare debet quoad effectus spirituales, hoc est, jus ad Ordines & Beneficia (*n*): Ab Imperatore verò seu Rege quoad effectus civiles, hoc est, jus ad paternam hæreditatem. 4to. Per dispensationem, quam solus summus Pontifex concedere potest ad majores Ordines, & Beneficia curata, aliasque dignitates. Ex Cap. *Is qui.* tit. *De filiis Presbyterorum.* in 6to. Quoad minores Ordines verò & Beneficium simplex, quod non requirit Ordines sacros, potest Episcopus dispensare, ex eodem tit. & Cap.

333 *Irregularitas ex defectu famæ.*

Defectus bonæ famæ dicitur infamia, *In* quippe est particula negativa, sicut *inutilis* idem sonat *ac non utilis*, *insons* idem ac *sine culpa;* ita *infamis* est idem ac *sine fama*, nimirum bona.

Bona autem fama definitur à S. Augustino lib. 83. Quæstionum, q. 31. *Clara cum laude notitia.* Ergo infamia, quæ bonæ famæ opponitur, est obscura notitia cum vituperatione & reprehensione. Porrò sinistra illa opinio præcisè sumpta non est delictum, sed defectus bonæ famæ, quamvis ut plurimùm oriatur ex delicto. Dicimus, *ut plurimùm*: nam in Jure nonnulli sunt infames sine delicto, putà si profiteantur artem viliorem & infamem, prostitutam ducant in uxorem. Undè meritò Irregularitas, quæ contrahitur ex infamia, dicitur ex defectu; & qui ad Clericatûs honorem aspirant, ii boni nominis ac integræ famæ esse debent, monente Apostolo 1. Tim. 3. v. 7. *Oportet*, inquit, *illum habere bonum testimonium ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* En radix & origo Irregularitatis, quæ ex defectu bonæ famæ nascitur. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Est regula Juris penultima in 6to.

Infamia generatim duplex est, Juris 334
una, alia facti. Infamia Juris oritur ex Jure seu lege Civili aut Canonica, quæ certis quibusdam actionibus vel officiis infamiæ notam inurit. Leg. *De his qui infamiâ notantur.* Et in Jure Canonico Causâ 6. Cap. *Infames.* Hæc Juris infamia aliquando propter crimen, aliquando verò propter officium minùs honestum incurritur: quales sunt v. g. usurarii publici, histriones, comœdi, &c. Incurritur pariter infamia Juris ex sententia Judicis aliquem ad pœnam infamantem damnantis, v. g. ad triremes, flagella, cauterium, &c. Infamia facti est ea, quæ oritur ex delicto gravi & notorio, propter quod reus apud graves & honestos viros malè audit. Cap. *Latet.* tit *De probationibus.*

(*n*) De Jure communi scilicet. De Jure novo enim Concilii Tridentini Sess. 24. c. 6. de Reform. probabile videtur, quòd hæc Irregularitas, si sit occulta tolli possit etiam ab Episcopis.

Plura autem peccata infamiam ipso Jure inducentia, proindeque Irregularitatem, in Jure recensentur. Ut Cap. *Infames* causâ 6. q. 1. ubi dicuntur infames, *Sodomitæ*, *capitali crimine vel calumniæ causâ publicè damnati*, *exercentes improbum fœnus*, *& exigentes usuras usurarum*, *fures*, *sacrilegi*, *qui adversùs Patrem armantur*, *incestuosi*, *homicidæ*, *perjuri*, *malefici*, *venefici*, *adulteri*, *qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant*, *& omnes*, *quos Ecclesiasticæ vel Sæculi leges infamant &c.* Et cap. *Sanè.* 15. q. 3. quod refertur ex Cod. 1. leg. 29. Si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis & læsæ Majestatis, perpetuæ infamiæ damnatur. Item duellô decertantes & eorum patrini, ex Concilio Tridentino. Mulierum raptores, & ad id consilium, auxilium, vel favorem præbentes; gladiatores; committentes crimen Lenocinii; Histriones, &c.

Quòd si autem hujusmodi crimina sint planè occulta, iis non contrahitur infamia, proindè nec Irregularitas. Infamia enim in opinione hominum consistit, sicut bona fama, prout jam suprà adnotavimus. Ut verò crimen notorium sit & habeatur, necesse est illud ita publicum esse, ut nulla tergiversatione celari possit.

335 Nulla pœna à Judice Ecclesiastico inflicta præcisè ac directè inducit infamiam saltem quoad effectus civiles: tùm quia paterna est, medicinalis, non mortalis: tùm quia sicut bona fortunæ, ita & fama, directè subest civili, non autem Ecclesiasticæ jurisdictioni. Dicimus, *præcisè ac directè*: quia si accusatus convincatur reus criminis ipso Jure infamantis, eo ipso Judex Ecclesiasticus eum declarando reum talis criminis, illum indirectè reddit infamem. Dicimus etiam, *quoad effectus civiles*: quia Ecclesia reddere potest infamem & Irregularem quoad effectus spirituales, ut patet exemplô eorum, qui pœnitentiæ publicæ olim ab Ecclesia addicebantur, qui cùm gradus luctuosæ hujus pœnitentiæ decurrebant, jure Ecclesiastico arcebantur ab Ordinibus, defectu bonæ famæ, Cap. *Non negamus.* Dist. 61. quod est Hormisdæ Papæ.

Nec etiam quævis mulcta aut pœna à Judice sæculari imposita infamem reddit, nisi crimen, propter quod reus damnatur, infamiam habeat ipso Jure annexam; sed debet esse gravis, ut ignominiosè traduci (offentliche Buß verrichten, da man GOtt und die Welt um Verzeyhung bittet:) numellis publicis circumduci (am Halßeisen, oder Pranger gestellt werden) Igitur neque propter mulctam pecuniariam à Judice sæculari decretam, neque etiam propter admonitionem ab eodem Judice in Auditorio factam, incurritur infamia & Irregularitas. Cap. *Cùm te.* tit. *De sent. & re jud.* Lege *Interlocutio* 19. Leg. *Quibus causis infam. Admonitionem* dicimus; quia reprehensio (*Bestraffung*) Irregularitatem inducit. 336

Clericus damnatus ad exilium aut triremes, amittit Beneficium, si pœnæ illæ sint perpetuæ, qualis censetur pœna exilii extra Imperium v. g. quia per hujusmodi pœnas censetur mortuus, & bona ipsius fisco sunt addicta: Secùs verò si sint ad tempus, & infra decem annos; sic enim damnatus non amittit ipso facto Beneficium ob ejusmodi pœnam, potestque de illo disponere, sed novum acquirere non potest. 337

Irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per eam vitæ emendationem, quæ maculas prioris vitæ non solùm coram Deo, sed etiam in opinione hominum deterserit, adeoque 338

per

per notoriam morum in melius converſionem; ita ut ſiniſtræ famæ ſucceſſerit bona exiſtimatio ex contrariis bonis operibus ſæpè ac diu repetitis; ſicut enim veſtium, ita & vitæ ſordes difficiliùs abluuntur, quàm contrahantur. Irregularitas verò juris non tollitur per ſolam pœnitentiam, ſed inſuper requiritur diſpenſatio ſummi Pontificis, quando infamia eſt Juris Canonici. Ex Cap. *Cùm te.* tit. *De ſent & re judic.* Principis verò temporalis, ſi infamia lata ſit Jure Civili.

339 *Irregularitas ex defectu ætatis.*

Quicumque ea ætate non ſunt, quam Canones præſcribunt, ſunt Irregulares, id eſt, qui non attigerunt pro Subdiaconatu annum vigeſimum ſecundum, pro Diaconatu vigeſimum tertium, pro Presbyteratu vigeſimum quintum, & pro Epiſcopatu trigeſimum; quos tamen annos inchoaſſe ſufficit, prout parte 1ma. adnotavimus. Concilium Trid. Seſſ. 23. de reform. Cap. 12. Cap. *Cùm in cunctis.* lib. 1. Decretal. Gregorii IX. tit. *De electione.*

Undè qui ante legitimam ætatem & præſcriptum tempus ſacrum aliquem Ordinem præſumunt accipere, ipſo facto ſuſpenduntur; & ſi illum exerceant, fiunt Irregulares: neque etiam poſſunt, ætate ſuperveniente illum exercere ante obtentam abſolutionem à prædicta ſuſpenſione. A defectu ætatis autem diſpenſare ad ſolum ſummum Pontificem pertinet. Cap. *Nullus.* tit. *De temp. Ordinat.* in 6to. Imo ſi Epiſcopus ſacrum Ordinem ante legitimam ætatem conferret, à collatione Ordinum ſuſpendendus foret. Cap. *Ut non eſt compos.* eod. tit.

Irregularitas ex defectu obligationis. 340

Irregularitas ex defectu obligationis ea dicitur, quæ oritur ex obligatione aliqua, qua quis tenetur.

Duo autem ſunt hominum genera, qui hanc Irregularitatem contrahunt, nempè Curiales, & obligati ad ratiocinia. Cap. *Prætereà.* Diſt. 51.

Curiales dicuntur, qui in Curia Principum Sæcularium aliquibus officiis obligati detinentur: v. g. Judices, Advocati, Notarii, Milites, & alii ſimiles Miniſtri, qui ſi perpetuò ſunt obligati, perpetuò repelluntur ab Ordinatione. Cap. *Sed nec.* tit. *De Cleric. vel Monach.* fundamentum verò habet hæc Irregularitas in iſtis Apoſtoli verbis, *Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis.* Si verò depoſitô officiò liberi ſunt, poſſunt ordinari, exceptis duntaxat duobus caſibus, nempe vel cùm mutilationi aut homicidio ſe ſe immiſcuerunt, vel cum infame aut vile miniſterium in Curia exercuerunt, v. g. hiſtriones, ſatellites, &c.

Irregulares etiam ſunt, qui dimiſſô curiali officiô obligantur ad ratiocinia reddenda; nam ex Cap. unico, tit. *De obligatis ad ratiocinia.* non ſunt ordinandi, *niſi poſt depoſita onera, & reddita ratiocinia.* His verò de cauſis Eccleſia ducta fuit ad hanc Irregularitatem ſtatuendam, 1mo. quia ſic obligati adhuc implicati cenſentur negotiis ſæcularibus. 2do. quia periculum eſt, ne à Judicibus ſæcularibus poſſint in Eccleſiæ dedecus infamari, ſi dolus aut fraus in rationibus inveniatur, atque etiam à Curia repeti, ſicque Eccleſia quaſdam moleſtias pati poſſet. Cap. *Deſignata.* diſt. 51. 3tio. Quia hi non affectu Religionis, ſed ut officiorum ratiocinia fugiant, videntur ad Eccleſiam ſe transferre. Diſt. 53. Cap. 1.

S. Cyprianus Clericis olim prohibuit, ne alicujus tutelam in se susciperent, ut habetur Causâ 21. q. 3. cap. *Cyprianus.* Sed Concilium Chalcedonense Can. 3. Decretum immutavit, aut saltem temperavit, refertur que dist. 86. cap. ult. his verbis : *Decrevit sancta & magna Synodus, neminem horum deinceps, hoc est, Episcopum, sive Clericum, aut Monachum, conducere possessiones, aut misceri sæcularibus procurationibus, nisi fortè qui legibus ad minorum ætatum tutelas sive curationes inexcusabiles attrahuntur, aut cui civitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vel orphanorum ac viduarum, quæ indefensæ sunt, & earum personarum, quæ maximè Ecclesiasticô indigent adminiculô propter timorem Dei.*

341 *Irregularitas ex defectu Sacramenti.*

Irregularitas hæc oritur ex Bigamia, sive Matrimoniô pluries cùm variis successivè uxoribus contractô ac consummato. Bigamia quippe est nomen Græcum compositum ex vocibus δὶς, latinè *bis*, & γαμὸς, Latinè *nuptiæ*; undè *bigamus*, sive *digamus* dicitur, qui, ut dictum, plures uxores successivè duxit. Huic Bigamiæ semper annexam fuisse Irregularitatem patet ex Apostolo. *Oportet*, ait 1. Tim. 3. v. 2. *Episcopum unius uxoris virum esse.* Vocatur autem hæc Irregularitas *ex defectu Sacramenti*, seu significationis Sacramenti; non quòd secundæ nuptiæ veri Sacramenti rationem non habeant; sed quòd perfectè non significent nec repræsentent unionem Christi cum Ecclesia, quæ unius est cum una. *Qui excessit uxorum numerum singularem*, ait S. Augustinus lib. de bono conjugali c. 18. *non peccatum aliquod commisit, sed normam quandam Sacramenti amisit, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.*

Bigamia triplex distingui solet, ex 342
qua Irregularitas contrahitur : nempe *vera*, *interpretativa*, & *similitudinaria.* Prima est, qua plures successive uxores legitimè ducuntur: dicimus *legitimè*, quia ex fornicatione vel adulterio non exurgit Bigamia & Irregularitas, ex Cap. *Quia.* tit. *De Bigamis non ordinandis.* Hujusmodi Bigamos ab Ordine semper removit Ecclesia. Cap. *Nuper à nobis.* tit. *De Bigamis non ordinandis.* Ad hanc etiam Irregularitatem incurrendam necessaria est consummatio matrimonii. Ita Innocentius III. Cap. *Debitum.* tit. eod. seu *De bigamis non ordinandis.*

Bigamia interpretativa est ea, qua quis ex Juris interpretatione tanquam bigamus habetur, etiamsi verè bigamus non sit. Hac bigamiæ specie laborat 1mo. qui viduam duxit, ex Innocentio I. Epist. 2. & ex S. Leone Epist. 87. 2do. Qui propriam uxorem post adulterium ab ipsa patratum cognoscit. Concil. Neocessarien. Can. 8. 3tio Qui multas quidem uxores, sed non veras habuit propter impedimentum dirimens; ex Cap. *Nuper.* tit. *De Bigamis.* quod est Innocentii III.

Bigamia similitudinaria est ea, qua quis post votum solemne castitatis in approbata Religione emissum, vel post sacrum Ordinem susceptum contrahit & consummat Matrimonium, etiam cum virgine; ex Concilio Ancyrano Can 18. referturque Causâ 27. q. 1. Cap. 24. *Quotquot.* Ratio etiam est; quia per hujusmodi Matrimonium carnale quod contrahitur, violatur spirituale, quod præcessit.

Causæ autem, quibus Ecclesia mota 343
est ad hanc Irregularitatem ex Bigamia statu-

statuendam tres esse videntur. 1mo. Incontinentia, quæ se prodit iteratô Matrimoniô. Ad eam attendisse videtur Apostolus, cùm non solùm in ordinandis Clericis, sed etiam in viduis eligendis requirat, ut secundò non nupserint; & post ipsum SS. Ambrosius lib. 1. de Offic. c. ult. refferturque Cap. *Una tantùm*, dist. 26. Augustinus (*o*), & Gelasius Papa epist. 9. Ecclesia Græca item ad solam incontinentiæ notam in bigamis respexisse videtur, utpotè quæ licèt secundas nuptias non damnaret, bigamos tamen baptizatos pœnitentiæ subjecit. Atqui pœnitentia supponit culpam, defectus verò Sacramenti seu significationis mysticæ non est culpa. Ergo solam incontinentiam in bigamis damnavit. Unde colligebat bigamiam ante Baptismum contractam per Baptismum deleri; quia Baptismus omnem peccati labem aspergit. Sed in Ecclesia Latina constans semper fuit sententia bigamiam ante Baptismum contractam post Baptismum etiamnum superstitem esse. vid. S. Ambros. *lib.* 1. *de Officiis c.* 50. & S. Augustin. *lib. de bono conjugali c.* 18. ac proinde Irregularitatem, quæ ex bigamia nascitur, ex defectu significationis mysticæ repetendam esse. Undè 2do. Ratio, ob quam bigami excluduntur ab Ordinibus, est defectus Sacramenti; quia, ut jam dictum, bigamus perfectè non significat, neque repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, quæ unius est cum una; Christus enim in æternum unam sibi desponsavit Ecclesiam, & vera Ecclesia uni vicissim Christo adhæret. Sacramentum hoc magnum est, quod non repræsentat, qui duas uxores duxit. Ex toto tit. *De Bigamis non ordinandis.* ac præsertim Cap. *Debitum.* 3tio. Quia qui amorem suum à defuncta uxore ad alteram transfert, videtur cupiditate magis & carnali affectu duci, quàm benevolô animô; Ita S. Chrysostomus *hom* 2. *in Epist. ad Tit.* Certè de tali magis timendum est, quàm de quoquam, ne Ecclesiam ipsi desponsatam minùs diligat, quàm ejus dotem & amplitudinem; eamque repudiet, si clarior altera & magis dotata se offerat.

Concilium Tridentinum Sess. 23. de reform. c. 17. prohibet, ne conjugati bigami gestent Tonsuram & habitum Clericalem, neve obeant munia inferiorum Clericorum: quantò magis prohibet, ne ad hujusmodi ministeria ordinentur?

Irregularitas hæc bigamiæ tolli non, 344
potest nisi per dispensationem Summi Pontificis, saltem quantùm attinet ad susceptionem & usum Ordinum Majorum. Cap. *Lector.* dist. 34. & Glossa Canonis. Dispensare olim poterant Episcopi cum Bigamis ut ad minores Ordines promoverentur, ut constat ex Cap. *Super eo.* tit. *De Bigamis non ordinandis.* Imò Concilium Arausicanum I. an. 441. permisit Episcopis Can. 25. promovere bigamos ad Subdiaconatum.

Verùm mos ille abrogatus est, neque dispensare possunt nunc Episcopi cum bigamis, ut vel Tonsurâ Clericali initientur, & Beneficia possideant. Concilium enim Tridentinum Sess. 23. de reform. Cap. 17. statuit, ut Ordinum minorum functiones ab innuptis exerceantur, vel si eorum non adsit copia, à conjugatis quidem, sed qui bigami non sint. Non censuit igitur esse in potestate Episcopi, ut bigamis conferat Ordines minores.

Irre-

(*o*) Lib. de bono Conjugali c. 18.

345 *Irregularitas ex defectu lenitatis.*

Irregularitatem ex defectu lenitatis contrahit is, qui voluntariè, & proximè, licèt justè, concurrit ad necem vel mutilationem alicujus. Cap. *Si quis viduam.* dist. 50.

Diximus 1mo. *Qui concurrit*, seu physicè, ut carnifex; seu moraliter positivè influens, ut mandans, consulens, consentiens, adjuvans; aut negativè, ut non obstans, qui ex officio & justitia tenetur, sicut Magistratus, & Medicus, quorum negligentiâ aliqui pereunt: quòd si non obstans teneatur ex sola charitate, quamvis peccet, non fit tamen Irregularis.

Diximus 2do. *Voluntariè*: si quis enim coactus vim vi repellens cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem interficiat, aut mutilet, non fit Irregularis.

Diximus 3tio. *Proximè*: si enim remotè tantùm concurreret, ut armorum artifex, Irregularitatem non contraheret.

Diximus 4to. *Ad proximi necem aut mutilationem*: quia occidendi aut mutilandi voluntas non sufficit ad Irregularitatem, nisi actu & de facto homo interficiatur, aut mutiletur, ex Cap. *Sicut.* tit. *De homicidio.*

346 Idcircò autem hunc lenitatis defectum Irregularitatis causam esse voluit Ecclesia, quòd maximè deceat Clericos mites esse ac mansuetos, qui Ministri sunt incruentæ ac cœlestis victimæ, quæ etiam pro suis interfectoribus oravit, nedum ultrices pœnas ex iis repetiit.

347 Porrò in causa sanguinis proximè ad mortem vel mutilationem concurrere, adeoque Irregularitatem contrahere censentur ex Jure Canonico. 1mo. Accusator, qui petit vindictam. 2do. Advocatus seu Procurator, qui accusatori patrocinantur. 3tio. Testes. 4to. Scriba seu Notarius, 5to. Judex, qui sententiam pronuntiat. 6to. Denique Carnifex, qui eam exequitur, & ii omnes, qui operam suam ipsi præstant. Hos omnes Irregularitatem incurrere colligitur ex Cap. *Clericis.* Cap. *Sententiam.* tit. *Ne Clerici vel Monachi.* Et Cap. *Episcopus.* eod. tit. in 6to. Et Cap. *Sæpè.* 23. q. 8. Equidem in hisce Canonibus sermo non est de Laicis sed de Clericis tantùm; nihil tamen officit, quin & de Laicis intelligi debeant. Nam ideò Clerici dicuntur Irregulares in recensitis casibus, quia proximè cooperantur morti aut mutilationi. Atqui in omnium sententia quisquis sive Clericus sive Laicus sic cooperatur in causa sanguinis, est Irregularis: Laicus quidem ex solo defectu lenitatis, utpotè qui non peccet sic cooperando: Clericus verò, si sit Beneficiarius, aut aliquo majori Ordine insignitus, præter Irregularitatem, quam incurrit, gravioris peccati reus efficitur, utpotè transgressor legis Ecclesiasticæ.

Diximus accusatorem proximè ad mortem concurrere, si petat vindictam; quia si petat solùm satisfactionem, nec fit Irregularis, nec peccat, etiamsi sit Clericus; sic enim statuitur Cap. *Prælatis.* tit. *De homicidio.* in 6to. Præiverat Innocentius III. Cap. *Postulasti.* Extra. *De homicidio voluntario.* Verùm talis accusator ex præscripto cit. Cap. *Prælatis*, sequentia observare tenetur. 1mo. Clericus accusator expressè debet testari, quòd ad vindictam non intendat, alioquin foret Irregularis. 2do. Clericus accusans de injuria illata personis extraneis, secuta mutilatione vel morte, fit Irregularis. Dicimus *personis extraneis*; quia si agatur de damno suis propinquis vel domesticis, vel suæ Ecclesiæ illato, aut alicui sub ejus protectione existenti, benemulti existimant Clericum pos-

posse accusare absque periculo Irregularitatis. 3tio. Vindicta, quæ prævidetur secutura, debet esse justa; qui enim per calumniam accusaret, Irregularis foret, non tam ex defectu lenitatis, quàm ex delicto homicidii.

348 Præterea ut ii, quos memoravimus, incurrant Irregularitatem ex defectu lenitatis requiritur 1mo. ut mors rei vel mutilatio de facto sequatur. 2do. ut cooperatio ad mortem sit voluntaria, saltem *in susceptione officii*; undè, qui cooperantur causæ sanguinis, v. g. accusando, testificando &c. quando ad hoc obligantur lege charitatis, vel obedientiæ, vel justitiæ, v. g. ad præcavendum alicujus malum pendens in futurum, quod aliter præveniri non potest, non incurrunt Irregularitatem: non enim præsumitur Ecclesiam voluisse prohibere observationem charitatis, & auxilium proximi. 3tio. Requiritur, ut cooperatio sit justa, ut jam de accusatore Clerico diximus, propter rationem allatam.

349 Nota. Clericos jurisdictionem temporalem habentes, Irregularitatem non incurrere, quando leges pœnales ferunt contra malefactores in genere; vel quando Clericum degradatum tradunt Judici sæculari, tametsi reus subinde pœnâ capitis mulctetur; vel Officialibus suis mandant, ut de homicidio aut alio crimine inquirant.

350 Medici & Chirurgi, qui secuti artis suæ regulas vel consulunt vel exequuntur mutilationem aut adustionem alicujus membri, Irregularitatem non contrahunt: quia non est defectus lenitatis, si pars una ad conservationem totius amputetur: si tamen ex gravi culpa Medici aut Chirurgi homo deformaretur, vel interiret, uterque fieret Irregularis. In dubio autem, an adhibita fuerit necessaria diligentia, Medicus vel Chirurgus debet se gerere ut Irregularem. Ex Cap. *Significasti.* 2. tit. *De homicidio.*

Clericis, extra casum necessitatis 351 omninò prohibetur, nisi fieri velint Irregulares, mutilationem vel adustionem membri alicujus aut imperare, aut exequi. Ita Concilium Lateranense IV. Cap. *Sententia.* tit. *Ne Clerici vel Monachi.*

Qui pugnant in bello evidenter in- 352 justo, atque in eo militant, omnes Irregularitatem incurrunt, etiamsi propriis manibus non occiderint, nec mutilaverint. Ratio est, quia sunt causæ saltem morales homicidii injusti, quatenùs homicidas adjuvârunt, aut saltem præsentiâ suâ audaciores effecêre. Pariter Irregularitatem contrahunt, qui in bello etiam justo propria manu occidunt vel mutilant, ut patet ex Cap. *Petitio.* tit. *De homicidio voluntario.* Quòd si verò bellum sit justum, & quis certus sit se in eo neminem propria manu interfecisse aut mutilasse, non est Irregularis, secundùm communem Theologorum & Canonistarum sententiam; secùs verò si de eo dubitet. Utrumque colligitur ex cit. Cap.

Irregularitas defectu libertatis.

Hanc contrahunt 1mo. Conjugati, 353 qui sine consensu uxorum, quibus alligati sunt, promoveri ad Ordines non possunt, nisi illæ vel religionem profiteantur, vel saltem castitatis perpetuò servandæ votum emittant Episcopo approbante. 2do. Servi, hoc est, Mancipia, Germanice Leibeigene, qui sui potestatem non habent, & ordinari non possunt, nisi priùs à Dominis suis libertate donati fuerint. Constat ex tit. *De servis non ordinandis.* lib. 1. Decretal. Greg. IX. Cujus capita sunt partim Concilii Toletani fortè an. 633. celebrati, partim Concilii apud Altheim an. 917. in Germania, partim Alexandri III. partim Innocentii III. & partim ipsius Gregorii IX. Id longè antè præ-

ſcripſerat Canon 28. Apoſtolorum his verbis: *Servi non ordinentur ſine domini voluntate: ſi quis verò dignus eſt, qualis Oneſimus fuit, domino conſentiente, libertatem ei concedente, & extra domum ſuam emittente, in eum gradum aſcendat.*

§. IV.

354 *De Irregularitatibus, quæ naſcuntur ex delicto.*

Quatuor, ut ſuprà diximus, vulgò diſtinguuntur hujus Irregularitatis ſpecies: nempè ex delicto hæreſis, ex iteratione Baptiſmi, ex indebita Ordinis ſuſceptione vel uſu, & ex homicidio voluntario.

355 *Irregularitas ex delicto hæreſis.*

Jure communi Irregulares ſunt, tam Hæretici, quàm eorum fautores, & filii ad ſecundam usque generationem poſt ejuratam hæreſim. Cap. *Quicunque.* §. *Hæretici.* tit. *De Hæreticis.* in 6to. Ita Concilium Eliberitanum Can. 51. & Innocentius I. Epiſt. 22. cap. 4. Ab illa tamen ſeveritate. receſſit aliquando Eccleſia in gratiam Novatianorum & Donatiſtarum, quos ab hæreſi redeuntes cum ſuis gradibus & honoribus ſuſcepit. Irregulares pariter ſunt Apoſtatæ, Schismatici, eorumque fautores ac patroni. Cap. *Statutum.* quod eſt Bonifacii VIII. tit. *De Hæreticis.* in 6to. Diximus *jure communi* Hæreticos eſſe Irregulares: quia modò Hæretici ad fidem converſi plerumque pro Irregularibus non habentur, multò minùs eorum filii, & absque diſpenſatione promoventur tùm ad Ordines tùm ad Beneficia.

Irregularitas ex iteratione Baptiſmi. 356

In odium hæreſis Rebaptizantium Donatiſtarum, quæ Eccleſiam tamdiu turbavit, Irregulares declarati ſunt, qui ſcienter Baptiſmum iteratò vel conferunt, vel percipiunt. Cap. *Confirmando.* Diſt. 50. quod caput ductum eſt ex Concilio V. Carthaginenſi an. 398. Verba citati Capitis ſunt iſta: *Neque unquam permittendum eſt, ut rebaptizati ad Clericatûs gradum promoveantur.* Et Cap. *Qui bis.* diſt. 4. *De conſecratione.* etiam ii qui ignoranter baptizati bis fuerunt ab Ordinibus arceantur, *niſi magna aliqua neceſſitas exigat.* De rebaptizantibus habetur Can. 47. Apoſtolorum, & Cap. *Ex litterarum.* tit. *De Apoſtatis.* ubi Alexander III. Acolytum, qui rebaptizanti publicè miniſtravit, ab Ordinibus repellit.

Is etiam Irregularis efficitur, qui voluntariè & extra caſum neceſſitatis ab Hæretico ſe baptizari ſinit. Cap. *Qui in qualibet.* Cauſâ 1. q. 7. Olim etiam ii Irregulares fuêre, qui Baptiſmum differebant ad periculum mortis, prout jam ſuprà ex Cap. *Si quis.* Diſt. 50. adnotavimus.

Irregulares tamen non ſunt, qui ſub conditione ſive expreſſa, ſive tacita, Baptiſmum iterant, utpotè qui ſupplere duntaxat velint, quod timent non eſſe peractum. Verùm dubium illud debet eſſe grave & prudens; qui enim ſub conditione rebaptizat, quando nulla eſt dubitandi ratio, præterquàm quòd peccet, plures celebres Theologi, quibus favet Catechiſmus Concilii Tridentini, docent, eum incurrere Irregularitatem: alii tamen id negant; quia, inquiunt, ſic rebaptizans non intendit iterare Baptiſmum juxta ritum Eccleſiæ collatum. Neque etiam incurritur Irregularitas ex iteratione Confirmationis & Ordinis;

quia

quia in Jure nihil ea de re expreſſum legitur.

357 *Irregularitas ex indebita Ordinis ſuſceptione vel uſu.*

Ex indebita Ordinis ſuſceptione vel uſu ſeu exercitio Irregularitatem contrahunt, 1mo. Qui furtivè ac fraudulenter Ordines ſuſcipiunt, id eſt, ſi ignorante Epiſcopo, per dolum ſe ingerant Ordinandorum numero, v. g. uſurpando nomen alterius ritè examinati & admiſſi. Cap. 1. 2. & 3. *De eo, qui furtivè Ordinem ſuſcepit.* lib. 5. tit. 30. ubi Ordinem ſuſcipiens expreſsè dicitur impeditus, ne ad ſuſceptionem Ordinum promoveri poſſit, ſine diſpenſatione, quod eſt manifeſtum ſignum Irregularitatis. 2do. Qui majori Excommunicatione ligati Ordines ſuſcipiunt. Cap. *Cùm illorum.* tit. *De ſent. excom.* Cap. *Clerici.* Cap. *Latores.* tit. *De Clerico excommunicato &c.* lib. 5. Diximus, ligati *excommunicatione.* non Suſpenſione vel Interdicto tùm quia in Jure de ſolis excommunicatis ſermo eſt; tùm quia Suſpenſio non privat ſuſceptione Sacramentorum, ſed tantùm uſu ſeu exercitio Ordinis.

358 Major videtur difficultas de Interdicto, cùm privet ſuſceptione Sacramentorum, quæ ad ſalutem non ſunt neceſſaria, quale eſt Ordinatio; Undè non convenit hîc inter Theologos. Verùm quidquid ſit, extra controverſiam eſt, eum, qui ſuſpenſus, vel interdictus Ordinem ſacrum recipit, Irregularem fore, ſi exerceat officium Ordinis ſic ſuſcepti; quia Ordinatio Cenſuram, quæ præceſſerat, non tollit. Hinc Presbyter celebrando, Diaconus ſolemniter legendo Evangelium, Subdiaconus ſimiliter legendo Epiſtolam, fiunt irregulares, ſi Cenſurâ ligati Ordinem receperint.

Diximus 2do. *Majori Excommunicatione.* Minor enim Irregularitatem non parit. Cap. *Si celebrat.* tit. *De Clerico excommunicato &c.* Diximus 3tio. *Ordines Sacros*: quia non ita certum eſt, an excommunicatus majori Excommunicatione fiat Irregularis per receptionem minorum Ordinum. Affirmant alii, alii verò negant. 359

3tio. Irregularitatem incurrit, qui ſcienter & ſolemniter miniſtrat in Ordine ſacro, quem non habet. Cap. 1. *De Clerico non ordinato.* Diximus 1mo. *ſcienter*: ſi quis enim ex inadvertentia, aut ex ignorantia probabili, Officium Ordinis peragat, non fit irregularis; quia cùm hæc irregularitas ſit ex delicto, & pœna gravis non contrahitur, niſi per grave peccatum. Hinc Diaconus, qui, ex mandato Epiſcopi vel Presbyteri ſolemniter baptizans, ſal benedicit, nec advertit ejusmodi benedictionem eſſe officium proprium Sacerdotalis Ordinis, irregularitatem non contrahit. 360

Diximus 2do. *ſolemniter*: quia ſi miniſtret eo modo, quo à Laicis fieri poteſt, ſeu ſine ſolemnitatibus requiſitis ad hoc, ut quis dicatur miniſtrare ex officio, ut ſi quis cantet Epiſtolam ſine manipulo, vel Evangelium ſine ſtola, non dicitur propriè miniſtrare in Ordine atque ex officio. Diximus 3tio. *in Ordine*: quia per actus jurisdictionis non incurritur Irregularitas, etiamſi, qui illos exercet, ſit ſuſpenſus ab officio. Diximus 4to. *In Ordine ſacro*: quia cum officia minorum Ordinum nunc à laicis, adhibitis etiam veſtibus Eccleſiaſticis, promiscuè exerceantur, propter eorum exercitium ſuſpenſus aut excommunicatus irregularitatem non contrahit; niſi in Eccleſiis, ubi juxta Decretum Concilii Tridentini fortè reſtituta ſunt officia minorum Ordinum, nec exerceri ſolent, niſi ab iis, qui ad hu- 361

jusmodi Ordines sunt promoti. Diximus 5to. *In Ordine quem non habet*: v. g. Si quis nondum Sacerdos baptizet solemniter, hebdomadarium in Choro faciat, sacramentaliter absolvat, ministret Extremam Unctionem, &c.

362 4to. Irregularitatem contrahit, qui ligatus aliquâ Censurâ, excepta minori Excommunicatione, functiones Ordinum exercet. Ita habetur Cap. *Si quis. De sent. excom.* in 6to. & toto tit. *De Clerico excommunicato ministrante.*

363 *Irregularitas ex delicto Homicidii.*

Nomine homicidii hîc intelligimus injustam hominis occisionem aut mutilationem; neque enim homicidas dicimus Judices, qui pestiferos homines è medio tollunt; sed eos duntaxat, qui sunt causa injusta mortis, aut mutilationis.

Porrò duplex generatim distinguitur homicidium: voluntarium unum, aliud casuale. Voluntarium dicitur, quod directè intenditur vel in se, vel in causa, quæ cum effectu ita est connexa, ut quis effectum præsumatur velle, eo ipso, quo vult causam, ex qua prævidit, aut prævidere debuit mortem esse secuturam. Homicidium casuale dicitur, quod casu, seu præter intentionem agentis accidit; ut si quis intendens leviter percutere, manu tamen fallente, graviter vulneravit & occidit. Duplex iterùm est homicidium casuale: unum purum, aliud mixtum. Purè casuale dicitur, quod neque in se, neque in sua causa fuit intentum, nec prævisum, sed omninò præter intentionem agentis accidit: mixtum verò dicitur, quando quis vel debitam diligentiam non adhibuit, ut prævideret an mors vel mutilatio sequi posset; vel opus aliquod periculosum temerè suscipit, sive quia satis peritus non est, sive quia tale opus ipsi prohibitum erat; unde mors secuta partim est casualis, partim voluntaria in causa, quam liberè & voluntariè posuit. v. g. Clericus venatur non satis peritus in laxanda rota tormenti bellici, vel non satis attendens, hominem pro bestia interficit, reus ille est homicidii, ac proinde Irregularis, tùm ob negligentiam & imperitiam in arte venandi, tùm quòd venari Clericis prohibitum sit. His præsuppositis

Certum est 1mo. Homicidium voluntarium inducere Irregularitatem. Ita colligunt Theologi & Canonistæ ex Jure Canonico multis in locis præsertim verò Dist. 50. Cap. 4. *Miror.* 5. *Clericum.* 6. *De his Clericis.* 8. *Si quis &c.* Imò Cap. *Miror.* declarat Joannes VIII. nequidem Sedem Apostolicam in irregularitate ex homicidio hujusmodi voluntario contractâ dispensare. Hinc Concilium Tridentinum, ubi permitit Episcopis dispensare in irregularitatibus occultis, seu ex delicto occulto provenientibus, excipit eam, quæ oritur ex homicidio voluntario. vid. etiam tot. tit. *De Homicidio.* 364

2do. Non minus certum est Irregularitatem contrahi ex homicidio casuali mixto. Probatur ex variis Canonibus, tit. *De homicidio voluntario & casuali.* Cap. *Presbyterum.* Alexander III. irregularem dicit Presbyterum, qui disciplinæ causâ puerum ita percussit in capite, ut post aliquot dies interierit; quia licèt eum graviter vulnerare non intenderet, modum tamen & diligentiam necessariam non adhibuit. Idem statuit Cap. *Continebatur.* de Diacono, qui inter ludendum falcem non deposuerat, qua Laicus colludens fortè confossus fuit. Clemens quoque III. Cap. *Ad Audientiam.* Irregularem declarat Presbyterum, qui volens corrigere quemdam de familia sua, arripuit cingulum, cui cultellus adhærens, & è vagina egressus, percussit puerum. Et ratio est, quia ejus- 365

ejusmodi mixta homicidia, voluntaria ſunt, ſaltem in cauſa, quatenùs agens voluntariè, non adhibuit diligentiam neceſſariam ad vitandum homicidium.

366 Certum eſt 3tio. non contrahi Irregularitatem ex homicidio purè caſuali, niſi quis vacaverit rei illicitæ & periculoſæ. Prob. ex Cap. *Cùm dilectus.* & Cap. Ex litteris. tit. *De homicidio.* ubi Innocentius III. reſpondet non imputandum homicidium caſuale Presbytero, qui rei licitæ vacabat, omni diligentiâ adhibitâ. Ita etiam cenſuit Gregorius IX. Cap. *Quidam.* eod. tit. *De homicidio.*

Diximus 1mo. *Niſi quis vacaverit rei illicitæ*; quia ut homicidium non imputetur ei, qui fuit cauſa per accidens, Canones ſemper requirunt duas conditiones: 1mam. Ut omnem diligentiam adhibuerit: ſecundam, Ut vacaverit rei licitæ. *Attendentes*, inquit Gregorius IX. Cap. *Quidam* primùm cit. *quòd Sacerdos ipſe dabat operam rei licitæ, ſtuduit etiam quam debuit, diligentiam adhibere reſpondemus, quòd ob hanc cauſam non debet quoad Officium vel Beneficium impediri.* Et Bonifacius VIII. Cap. *Is qui.* tit. *De homicidio.* in 6to. ſic pronuntiat: *Is qui mandat aliquem verberari, licèt expreſſè inhibeat, ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cùm mandando in Culpa fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare.*

Diximus 2do. *Et periculoſæ.* Quia plures Theologi & Canoniſtæ cenſent eum non eſſe Irregularem, ob homicididium purè caſuale, ſi res illicita, cui vacabat, nullatenùs fuerit periculoſa, & debitam diligentiam adhibuerit; cùm homicidium illud nullo modo ſit voluntarium, ne quidem in cauſa, utpote quæ ex ſe homicidium inferre nequeat. Hanc ſuam ſententiam confirmant ex nonnullis abſurdis quæ ex oppoſita ſententia ſequuntur. 1mo. Suppoſito, quòd duo pulſent campanas omni diligentiâ adhibitâ, unus in loco interdicto, ac proinde illicitè; alter in loco non interdicto, & ideò licitè; nihilominùs cadant campanæ, & aliquos interficiant; in hoc caſu ſecundùm oppoſitam ſententiam primus eſſet Irregularis; alter verò minimè: quod dicere abſurdum videtur. 2do. Duo cædunt arborem, unus die feſto alter die profeſto; & aliqui ex ambarum arborum caſu opprimuntur absque ulla cædentium negligentia: in oppoſita ſententia primus erit Irregularis, quia vacabat rei illicitæ, ſecundus verò minimè, utpotè qui incumberet operi licito. Atqui ejusmodi pronuntiatum prorſùs ineptum videtur, cùm opus ſervile non prohibeatur die feſto propter homicidii periculum; ſicut prohibetur Clericis aduſtio vel inciſio, quæ ex ſe mortem vel mutilationem inferre poteſt. Unde cum Clericus voluntariè adurendo vel incidendo ſe periculo exponat, meritò illi imputatur mors vel mutilatio inde ſecuta, quamlibet peritiam & diligentiam adhibuerit.

Undè ad incurrendam Irregularitatem ex homicidio caſuali, ſatis eſt, quòd opus fuerit prohibitum & periculoſum; quia eo ipſo quis cenſetur neglexiſſe, quo contra præceptum voluntariè ſe expoſuit periculo occidendi, vel mutilandi. Si verò opus fuerit licitum, non contrahitur Irregularitas, niſi ex negligentia gravi ac mortali; quia cùm Irregularitas ex delicto ſit gravis pœna, gravem quoque culpam ſupponit. Colligitur ex Cap. *Quæſitum.* tit. 38. *De pœnitentia & remiſſ.* ubi Clemens III. reſpondet, Sacerdotes quosdam ab altari perpetuò removendos, ſi homicidium caſu acciderit ipſis ſtu-

ſtudioſè negligentibus : ſecus ſi ex leviori incuria. Ubi tamen advertendum negligentiam, quæ ſecundum ſe ſpectata eſſet venialis, attentis circumſtantiis cenſeri gravem, ut colligitur ex citatis Cap. Juris Canonici, ubi ſummi Pontifices pronuntiant Irregularitatem ex homicidio caſuali, propter negligentiam, quæ licèt in ſe levis videretur, ratione tamen periculi, in quo verſabatur actio, gravis judicatur.

367 Ergo Irregularis non eſt, 1mo. qui volvit infirmum, ut commodiùs quiescat, vel bona fide ei præbet cibum, undè mors caſu acceleratur, quia in hujusmodi actionibus non deprehenditur culpa, niſi admodùm levis : ſecus, ſi contra prohibitionem Medici cibus fuiſſet ſubminiſtratus. 2do. Qui in caſu neceſſitatis, ut ſaluti totius corporis conſuleret, membrum gangrenâ vitiatum amputavit ſecundùm regulas artis; undè tamen, brevi ſuperveniens mors ſecuta eſt; quia in illo opere non deprehenditur culpa, nec arguitur defectus lenitatis; quia ejusmodi mutilatio non tendit ad vitæ imminutionem, ſed ad conſervationem totius.

368 Qui occidit ad vitæ defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non fit Irregularis. Ita habetur Clementinâ *Si furioſus.* tit. *De homicidio*: cujus hæc eſt ratio; quia talis occiſio reputatur neceſſaria, non voluntaria. Si autem excedatur moderamen, vel inculpata tutela non ſit, non effugitur Irregularitas. Advertendum autem quòd, ſi homicidium patratum ſit ſuam defendendo vitam, tunc ad Epiſcopum recurrendum ſit, ſicut in omnibus dubiis, quæ circa Irregularitatem oriri poſſunt.

369 Pueri ante ſeptennium, ſi occidant, non incurrunt Irregularitatem. Ita Clementina tit. *De Hæreticis.* Cap. unicô. Infans autem dicitur minor ſeptenniô, etiamſi dubitetur, num habeat ſufficientem uſum rationis ad peccandum mortaliter; quia lex generaliter excipit illam ætatem. Major eſt difficultas ſi dubium ſit circa puerum ſeptenniô majorem. Affirmant aliqui talem puerum eſſe irregularem; negant alii.

Ebrius, qui in ebrietate occidit, 370 etiam fit Irregularis, ſi illa ſua ebrietas ſit culpabilis. Cap. *Si furioſus.* tit. 4. *De homicidio.* Clement. lib. 5. tùm quia in foro externo damnaretur ut homicida; tùm quia vacans rei illicitæ & periculoſæ, ſecutô homicidiô fit Irregularis. Atqui ebrietas eſt res illicita & periculoſa. Ergo.

Diximus, *Si ebrietas illa ſit culpabilis*; quia ſi contigerit absque culpa, utpote quæ prævideri non potuerit, ut in Patriarcha Noë, ebrius percuſſor Irregularis non eſt, cùm homicidium nec in ſe, nec in cauſa fuerit voluntarium.

Quæ hactenus de homicidio diſſe- 371 ruimus pariter intelligenda ſunt de mutilatione, ut paſſim jam inſinuavimus; adeoque ex ea etiam, ſi culpabilis ſit vel in ſe vel in ſua cauſa, incurritur irregularitas; quia in Jure mutilatio æquiparatur occiſioni, ſive illa mutilatio ſit directè volita, ſive ſolùm indirectè, ſive phyſicè, ſive moraliter patrata. Ita Clem. unica *De homicidio.* & Cap. *Is qui.* tit. *De homicidio* in 6to.

Porrò mutilatio dicitur, vel totalis abſciſſio membri alicujus, diſtinctam functionem habentis in corpore animato, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum : vel etiam in probabili ſententia notabilis diminutio membri; ſic abſciſſio unius digiti, præſertim ex majoribus. Ita colligitur ex Cap. 1. *De Clericis pugnantibus in duello.*

§. V.

372 ## §. V.

De Dispensatione in Irregularitate.

Certum est Summum Pontificem posse dispensare in omnibus Irregularitatibus, propriè dictis, id est, quas Jus Canonicū induxit; idque pro plenitudine suæ potestatis. Dicimus *propriè dictis*: nam impedimenta naturalia, ut cæcitas mentis ac corporis, quæ Irregularitates impropriè dicuntur, non sunt dispensationis materia, cùm humana potestate tolli nequeant.

Difficultas solùm est, an, & in quibus irregularitatibus Juris Canonici Episcopus habeat dispensandi facultatem. Aliæ enim, ut præcedentibus §§. vidimus, sunt ex defectu, aliæ ex delicto. His prænotatis

373 1mo Episcopus dispensare non potest in Irregularitatibus ex defectu, excepto defectu natalium & Sacramenti quantùm ad Bigamiam similitudinariam. Prob. 1ma. pars: quia Episcopi dispensare non possunt in jure communi, nisi in casibus ipsis specialiter concessis. Atqui omnis irregularitas est ex jure communi, & aliunde nulla apparet concessa potestas Episcopis dispensandi in irregularitatibus ex defectu, nisi circa natalia illegitimorum, & Bigamiam similitudinariam. Ergo, &c. Prob 2da. pars. Et quidem Episcopos posse dispensare in Bigamia similitudinaria patet ex Cap. 4. *De Clericis conjugatis.* Pariter dispensare possunt circa natalia illegitimorum ad Tonsuram, solos minores Ordines, & Beneficium, dummodò sit merè simplex, id est, non requirens susceptionem Ordinis sacri, neque annexam habens præeminentiam, jurisdictionem, curam animarum, &c. Constat ex Cap 1. *De filiis Presbyterorum.*

2do. Jure novo Concilii Tridentini 374 Sess. 24. de reform. c. 6. Episcopi dispensare possunt in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto nec ad forum contentiosum deducto, excepta sola Irregularitate ex homicidio voluntario, quantumvis occulto. *Liceat Episcopis*, inquit Concilium, *in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari.*

Circa quod Concilii istius Decretum hæc observanda veniunt: 1mo. Concilium permittit Episcopis dispensare in Irregularitatibus ex delicto, nullatenùs verò in iis, quæ sunt ex defectu. 2do. Facultas illa spectat solos Episcopos, non verò alios Prælatos jurisdictionem Episcopalem habentes. 3tio. Concilium restringit hanc facultatem ad crimina occulta, quæ non sunt deducta ad forum contentiosum: occulta autem crimina ea etiam communiter dicuntur, quæ probari nequeunt per tres aut ad minimùm duos testes. Quòd si crimen ad forum contentiosum deductum non probetur, & reus absolutus fuerit; Episcopus Irregularitatem solvere potest; quia tunc crimen occultum manere dicitur. 4to. Concilium excipit duntaxat homicidium voluntarium; unde aliqui arguunt Episcopum tollere posse Irregularitatem, non tantùm ex homicidio casuali & involuntario, sed etiam ex mutilatione voluntaria; exceptio enim, inquiunt, firmat regulam. Quibus, quoad Irregularitatem ex homicidio casuali & involuntario contractam, ultrò

subscri-

ſubſcribere parati eſſemus, ut etiam quoad mutilationem voluntariam; niſi aliunde ſciremus homicidium & mutilationem in Jure æquiparari, non tantùm quoad pœnam, ſed etiam quoad abſolutionem & diſpenſationem; nec ullum dari homicidium, quod Irregularitatem inducat, quod non ſit voluntarium ſaltem in cauſa. 5to. Concilium limitat facultatem Epiſcopo conceſſam ad ejus ſubditos, & in ejus Diœceſi duntaxat. Igitur alienos, nec in aliena Diœceſi, etiam ſuos proprios ſubditos abſolvere poteſt à tali Irregularitate. 6to. Denique vi hujus Decreti Epiſcopus non ſolùm per ſe ipſum, ſed & per alium ſpecialiter deputatum poteſt abſolvere ab Irregularitate, & à caſibus Summo Pontifici reſervatis. Dicimus, *ſpecialiter deputatum*; quia niſi facultas ejusmodi ſpecialiter exprimatur in mandato Vicarii generalis, iſte non habet facultatem Epiſcopo hîc conceſſam.

375 Porrò ad diſpenſandum ab Irregularitate requiritur omninò cauſa aliqua; quia per diſpenſationem plaga quædam infertur Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut loquitur S. Auguſtinus; quare ſicut non inciditur membrum corporis niſi ex neceſſitate, & propter commune bonum totius; ita relaxari non debent Canones Spiritu Dei conſtituti, tanquam repagula contra Irregulares, & totius mundi reverentiâ conſecrati, niſi exigat Eccleſiæ neceſſitas, vel major utilitas. (p) *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt*, inquit S. Leo epiſt. 53. *nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum commune ſunt præfixa.*

Cæterùm cùm ex dictis, nulla ſit Irregularitas propriè dicta ante Baptiſmum, utpotè quæ eſt impedimentum Canonicum, cui non ſubjacent infideles; Baptiſmus propriè nullam delet Irregularitatem. Attamen verum eſt, quòd licèt infidelis homicida poſt Baptiſmum non ſit Irregularis, bigamus nihilominùs maneat poſt Baptiſmum Irregularis propter rationem allatam ubi de Bigamia. 376

(p) Concilium Trid. Seſſ. 25. de reform. c. 18.

Finis Tractatus ſeptimi.

TOMI

TOMI QUARTI
TRACTATUS
OCTAVUS
DE
SACRAMENTO MATRIMONII.

INDEX

Titulorum Tractatûs octavi Tomi quarti Theologiæ universalis de Sacramento Matrimonii.

Proœmium. - - *Num.* 1.

Pars I. *De Sponsalibus, seu præparatione ad Matrimonium.* - - 6.

Cap. I. Quid sint Sponsalia. - 7.

Cap. II. De divisione Sponsalium, seu quotuplicis generis sint Sponsalia. - - 9.

Cap. III. A quibus, & coram quibus, & qua ætate iniri debeant Sponsalia. Item quo fine sint instituta. - 12.

Cap. IV. Quos effectus producant Sponsalia, & an accedente copula carnali transeant in verum Matrimonium. 16.

Cap. V. Quot modis solvantur sponsalia, & quæ pœna ea solventi sit imponenda. 19.

Cap. VI. De necessitate Sponsaliorum, & eorum denuntiationis, necnon hujus formâ. 29.

Pars II. *De Matrimonio ut est Contractus tùm naturalis, tùm civilis.* - - - 35.

Cap. I. Quid sit Matrimonii contractus, & quæ illius essentia. - - - 36.

Cap. II. De institutione Matrimonii, ut est naturæ officium. - - - 52.

Cap. III. De materia & forma contractûs matrimonialis. 55.

Cap. IV. De causa efficiente contractûs Matrimonialis, mutuo scilicet contrahentium consensu. - - 56.

Cap. V. De proprietatibus Matrimonii, & ejus præcepto. 64.

§. I. *De unitate Matrimonii.* - 65.

§. II. *De firmitate seu indissolubilitate Matrimonii; item de ejus necessitate ac præcepto.* - - 86.

Cap. VI. De solemnitatibus Matrimonii. - - 144.

§. I. *De consensu parentum, an & qua ratione ad contractum Matrimonii sit necessarius.* 145.

§. II. *De necessitate Parochi proprii ad validam Matrimonii inter Christianos celebrationem.* 157.

Pars III. *De Matrimonio, ut est Sacramentum novæ Legis.* - - - 168.

Cap. I. An Matrimonium sit verum & proprium novæ Legis Sacramentum, à Christo Domino institutum, & quando. - - - 169.

Cap. II. De materia, forma & Ministro Sacramenti Matrimonii. - - 187.

Cap. III. De effectibus & cæremoniis Sacramenti Matrimonii. - - - 200.

Cap. IV. De Impedimentis Matrimonii. - - 203.

Sect. I. *De Impedimentis Matrimonii in genere.* - - 204.

§. I. *An Ecclesia potestatem habeat statuendi Impedimenta Matrimonium dirimentia.* - - 205.

§. II. *De Dispensatione ab Impedimentis Matrimonii.* - - 217.

Sect. II. *De Impedimentis Matrimonii simplicibus seu simpliciter prohibentibus, nec dirimentibus Matrimonium.* 226.

Sect. III. *De numero Impedimentorum Matrimonium dirimentium.* - - 232.

§. I. *De Impedimento erroris.* 233.

§. II. *De Impedimento conditionis.* 237.

§. III. *De Impedimento Voti & Ordinis sacri.* - - - 238.

§. IV. *De Impedimento cognationis.* 240.

§. V. *De Cognatione spirituali.* 250.

§. VI. *De Cognatione legali.* - 257.

§. VII. *De Impedimento affinitatis.* 259.

§. VIII. *De Impedimento criminis.* 267.

§. IX. *De Impedimento disparis cultûs.* - - - 269.

§. X. *De Impedimento violentiæ.* 273.

§. XI. *De Impedimento ligaminis.* 274.

§. XII. *De Impedimento publicæ honestatis.* - - - 276.

§. XIII. *De Impedimento amentiæ, vel furoris. Item de Impedimento clandestinitatis.* - - 281.

§. XIV. *De Impedimento impotentiæ.* - - - 282.

§. XV. *De Impedimento raptûs.* 287.

Cap. V. De peccatis Conjugum in Matrimonio. - - 289.

§. I. *De peccatis Conjugum contra Matrimonii fidem.* - - 290.

§. II. *De peccatis Conjugum, quæ pugnant adversùs bonum prolis.* 304.

§. III. *De peccatis Conjugum, quæ pugnant contra sanctitatem Sacramenti.* - - - 311.

TOMI

TOMI QUARTI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS OCTAVUS
DE
SACRAMENTO MATRIMONII.

Procemium.

1 TAndem ultimum quarti hujus Tomi, ac proinde totius Theologiæ nostræ Tractatum attigimus, qui de Sacramento Matrimonii est; cujus notitiam Ecclesiæ Pastoribus, iisque omnibus, quibus animarum cura incumbit, apprimè necessariam esse vel indè apertum est, quòd in praxi multa, eaque difficilia, circa causas Matrimoniales eisdem animarum curatoribus occurrant elucidanda, ubi, si quid peccatum sit, aut omninò, aut saltem sine gravi scandalo reparari nequit; atque etiam frequenter de Matrimonio ipsis verba sint facienda Apostolorum exemplô, qui in suis Epistolis Matrimonii Christianorum dignitatem, sanctitatem, & officia accuratè & quàm sæpissimè exponunt. *Divino enim Spiritu afflati optimè intelligebant*, inquit Catechismus Romanus part. 2. de Matrimonio, *quanta & quàm multa commoda ad Christianam societatem pervenire possint, si fideles Matrimonii sanctitatem cognitam haberent, & inviolatam servarent: contra verò eâ ignoratâ vel neglectâ, plurimas maximasque calamitates & detrimenta in Ecclesiam importari. Primùm itaque Matrimonii natura & vis explicanda est; nam cùm vitia sæpè honesti similitudinem gerant, cavere oportet, ne fideles falsa matrimonii specie decepti, turpitudine & nefariis libidinibus animam commaculent.*

Difficile porro esse, obscurum & maximè implicatum hocce præsens de Sacramento Matrimonii argumentum non dissimulat ipse S. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 25. ubi, *Quæstionem*, inquit, *de conjugiis obscurissimam & implicatissimam esse non nescio, nec audeo profiteri omnes ejus sinus vel in hoc opere, vel in alio, me adhuc explicuisse, vel jam posse, si urgear, explicare.* 2

Quòd si S. Augustinus, splendidum illud Ecclesiæ lumen, profiteri ausus non est, se omnes conjugii sinus explanasse aut explanare posse, profectò vix reperiri posset, qui explanandos in se susciperet, nisi in tanta caligine facem præferret Ecclesiæ auctoritas, multis ab ætate S. Augustini ad hæc nostra tempora editis circa Matrimonium decretis, instructionibus, constitutionibus, quibus innixi præsentem aggredimur disputationem.

3 Porro apud Auctores Matrimonium quatuor potissimùm nominibus nuncupari solet: nempe dicitur 1mo. *Matrimonium* à Matre potiùs quàm *Patrimonium* à Patre, eò quòd procreatio prolis, cujus causâ Matrimonium institutum est, in matre, non autem in patre evidens fiat, atque ad matrem pertineat prolem alere & educare: ad patrem verò rem familiarem administrare & amplificare quantùm satis sit, ut filii decenter collocentur.

Dicitur 2do. *Conjugium* à communi jugo, cui vir & mulier se se subjiciunt, cùm ad prolis generationem sibi invicem corpora tradunt: duos enim sub eodem jugo perpetuò conjungit; hinc dicti Conjuges, quasi pares seu consortes ejusdem jugi; mutua siquidem ac reciproca est virum inter & uxorem obligatio, juxta Apostolum 1. Corinth. 7.

Dicitur 3tio. *Connubium* & *Consortium*. *Connubium* à verbo *nubo*, seu *velo* à velamine, quo in subjectionis signum sponsæ caput obducitur, & quo insuper innuitur debere conjuges semper modestia & pudore, quasi obducto quodam velo ea inter se tegere & obvelare, quæ Christianam modestiam & pudicitiam offendere possunt. *Consortium* verò indè dicitur, tùm quòd ejusdem sortis seu fortunæ participes esse oporteat conjuges; tùm quòd intima debeat esse inter illos conjunctio.

Dicitur 4to. *Nuptiæ* ab eodem verbo *nubo* seu *velo*, eò quòd sponsæ apud veteres, dum viris tradebantur, capita nubere seu velare solerent in signum pudoris & modestiæ. Quod quidem ad antiquissimam consuetudinem referendum esse ostendit id, quod legitur Genes. 20. Ubi Abimelech Rex Geraræ dedit Abraham mille Argenteos ad emendum Saræ uxori ipsius, quæ solutis crinibus virginum more incedebat, velamen, quo conjugatarum more operiretur. De eodem velamine fit mentio ibid. cap. 24. v. 65. atque procul dubio inde factum, ut Jacob Genes. 29. statim non agnoverit sibi Liam pro Rachele suppositam fuisse, quod nempe velô esset obducta, pro more antiquo, quo abusus est Laban, ut generum suum falleret. Juxta quem proinde morem etiamnum modò apud Ecclesiam Catholicam teguntur conjuges, cum benedictionem Sacerdotalem accipiunt, nempe in signum pudoris ac modestiæ (*a*).

Matrimonium sic variis nominibus distinctum sub duplici ratione considerari potest, nempe vel ut est contractus, isque tùm naturalis, tùm civilis; vel ut est Sacramentum novæ Legis; adeoque universim sub triplici ratione, quarum duæ binas contractûs generatim sumpti species exhibent, tertia verò Matrimonium, ut Sacramentum est, respicit: suum autem habet, distinctum quidem, sed idoneum & subordinatum huic triplici rationi correspondentem finem. Ut contractus naturalis seu officium naturæ, ad propagationem & conservationem humani generis ordinatur; ut contractus civilis, amicitias, affinitates, fœdera inter cives amplificat, atque Matrimonii contra- 4

(*a*) Vid. Can. 8. Caus. 30 q. 5.

contractum naturalem componit ac perficit politicis regulis, quibus Reipublicæ paci, perennitati, & felicitati consulitur. Si enim Reipublicæ intereſt, ut prædia & cæteræ res immobiles ad alios non transferantur nudo contrahentium consensu, sed certæ præscribantur leges ac solemnitates, sine quibus irriti declarantur ejusmodi contractus: à fortiori Respublica invigilare debuit, ne vir & mulier inordinatè sibi mutuò traderent corpora sua, copularenturque pecudum more; cùm Matrimonii contractus sit præcipuum societatis humanæ fundamentum, maximeque ab eo pendeat illius ordo & tranquillitas. Sicut autem contractus civilis naturalem perficit politicis regulis ac legibus civilibus ad finem Matrimonii & Reipublicæ tranquillitatem sapienter institutis; ita utrumque contractum istum ad nobiliorem longè sortem & fortunam evehit dignitas & ratio Sacramenti, quæ Matrimonio ex Christi institutione accessit. Matrimonium enim, ut Sacramentum novæ Legis, conjuges gratiâ exornat, Ecclesiam ditat pia & fideli prolis educatione, concupiscentiæ frænum injicit, ac remedium procurat. *Matrimonium quippe*, ait Concilium Moguntinum an. 1549. cap. 36. *ab initio ad officium naturæ institutum, tandem ex Dei benignitate infirmis hominibus ad remedium cessit, ut jam hæc maris & fæminæ commixtio, quæ alioqui, propter turpem concupiscentiæ motum, peccatô non careret, propter gratiam Sacramenti, conjugibus ad peccatum non imputetur, sed sit honorabile connubium ac thorus immaculatus.*

Rursùs Matrimonium considerari poteſt vel in fieri vel in facto esse. Matrimonium in fieri eſt actio, seu actualis contrahentium legitimus consensus signis exteriùs expressus, quo sibi mutuò sua tradunt corpora. Matrimonium verò in facto esse eſt vinculum, seu nexus, quo sibi invicem astringuntur conjuges. Igitur Matrimonium in fieri habet esse fluens & transiens, eſtque causa Matrimonii in facto esse, ut colligitur ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis: Matrimonium verò in facto esse eſt quid permanens; vinculum enim conjugale durat usque ad mortem alterutrius conjugis.

Denique Matrimonium in facto esse spectari poteſt dupliciter, vel ut ratum duntaxat, vel ut consummatum. Ratum eſt ipsemet actualis consensus legitimus verbis aut aliis signis externis expressus, nondum secutâ carnali copulâ; consummatum eſt idem consensus secutâ carnali copulâ.

Quoniam igitur Matrimonium & ut contractus eſt, & ut Sacramentum consideratur; hinc, pro utraque hac illius ratione speciali, distinctim hîc illud expendere animus eſt.

Et quia huic sacro contractui, ex legum præscripto, Sponsalia, ut quæ promissio sint de futuro Matrimonio, præmitti solent, ordinis & instituti ratio postulare videtur, ut antequam ipsam Matrimonii disputationem aggrediamur, de iis tractemus.

Igitur Tractatum noſtrum in tres partes dispescimus. In prima de Sponsalibus, quæ sunt præparatio ad Matrimonium, agemus. In secunda illud, prout Contractus eſt, expendemus. In tertia denique de eo, prout Sacramentum eſt, differemus.

PARS

6 # PARS PRIMA.

De Sponſalibus, ſeu de Præparatione ad Matrimonium.

SPonſaliorum nomen dicitur à verbo *ſpondeo*, quia, ùt dictum priùs, in ſponſalibus fit promiſſio de futuro Matrimonio. Cùm autem illa promiſſio confirmari ſoleat arrhis & muneribus, quæ ſponſus largiri ſolet ſponſæ, ipſæ arrhæ nonnunquam ſponſalia vocantur, ut 1. Reg. 18. v. 25. *Non habet Rex ſponſalia neceſſe*, id eſt, munera ſponſalia.

Sponſalia autem aliquando uſurpantur pro Matrimonio rato necdum conſummato: quo ſenſu B. Virgo, quamquam Matrimoniô juncta cum Joſeph, dicitur *deſponſata Joſeph* (*b*); quia ab ipſo cognita non fuerat, nec erat cognoſcenda. Hinc Sponſalia apud Scriptores duplicis generis leguntur, alia de præſenti, quia eo ipſo, quo alter conjux actu tribuit alteri jus in proprium corpus, promittit ſe cum eo ſocialiter victurum: alia de futuro, in quibus nulla fit actualis donatio, ſed nuda promiſſio. Sed uſus jam obtinuit, ut nomine Sponſaliorum ſimpliciter intelligatur promiſſio de Matrimonio futuro. Circa quæ hîc quæremus 1mo. Quid ſint, &c. 2do. Quomodò dividantur. 3tio. A quibus, & coram quibus iniri debeant, & qua ætate. 4to. Quo fine ſint inſtituta. 5to. Quos effectus producant, & an accedente carnali copula tranſeant in verum Matrimonium. 6to. Quot modis diſſolvantur, & quæ pœna ſolventi ea ſit imponenda. 7mo. Denique quæ ſit eorum neceſſitas & forma denuntiandi ſponſalia. Quæ ſingulis Capitibus abſolvimus.

7 # CAPUT PRIMUM.

Quid ſint Sponſalia.

SPonſalia definiuntur, *futuri matrimonii mutua & libera promiſſio obligationem pariens.* ex leg. 1. ff. de Sponſalibus.

Dicitur 1mo. *Futuri matrimonii promiſſio*, id eſt Matrimonii aliquando contrahendi, ut diſtinguantur ſponſalia ſtrictè ſumpta, de quibus hîc agimus, à ſponſalibus in laxiori ſignificatione per verba de præſenti, quibus actu & de facto contrahitur Matrimonium, prout primùm adnotavimus.

Dicitur

(*b*) Luc. 1. v. 27.

Dicitur 2do. *Mutua*, quia una pars non censetur velle se per promissionem obligare, nisi altera pars non solùm acceptet, sed etiam vicissim repromittat. Absolutè tamen potest quis fidem alteri dare, simulque ei tempus concedere ad deliberandum; sed id non præsumitur, nisi conceptis verbis illud expresserit.

Dicitur 3tio. *Libera;* qua voce excluditur coactio, & quivis gravis metus, quo Matrimonium redditur nullum, prout dicemus, ubi de impedimentis dirimentibus.

Dicitur 4to. *Obligationem pariens*, ut denotentur sponsaliorum effectus, nempè naturalis unus, scilicet obligatio implendi promissum, hoc est, contrahendi matrimonium; alter Canonicus, nempè impedimentum publicæ honestatis, quo sponsus & sponsa inhabiles fiunt ad contrahendum cum alterutrius consanguineis aut affinibus. De quibus posteà fusiùs.

8 Duobus autem modis generatim juxta S. Thomam in 4. dist. 27. q. 2. a. 1. & in Supplem. q. 43. a. 1. possunt contrahi Sponsalia, absolutè scilicet, & conditionatè. Absolutè & purè contrahuntur Sponsalia per simplicem promissionem de futuro, ut si quis dicat, *Accipiam te in uxorem*, & vicissim, *accipiam te in virum;* quæ fieri potest sive verbis, sive litteris, sive arrhis, & muneribus, quæ dantur in pignus futuri conjugii, sive per annulum, quo fides obligatur; sive per juramentum, quo magìs quidem firmatur promissio, sed intra limites tantùm promissionis de futuro. Neque enim jurata sponsalia vim habent contractûs conjugalis, etiamsi fiant præsente Parocho; quia Matrimonium fieri debet per verba de præsenti, quæ consensum actu præsentem exprimant. Unde Alexand. III. Cap. *De illis*. Tit. *De Sponsalibus*. Sponsalia jure jurando firmata per nuptias cum alia persona contractas dissolvi docet; quod certè non fieret, si illa vim habuissent veri Matrimonii. Denique absolutè per simplicem promissionem tacitè factam sponsalia contrahi possunt, ut si parentes promittant pro liberis impuberibus scientibus nec contradicentibus.

2do. Contrahuntur conditionatè, si nempè aliqua conditio apponatur, quæ vel licita est & honesta (*c*), vel illicita & turpis; vel contra substantiam Matrimonii, vel non. Certum est Sponsalia sub conditione turpi & contraria bonis Matrimonii nulla esse ac irrita (*d*): sub alia verò conditione turpi (*e*), valere in foro externo, ubi conditio illa habetur pro non adjecta. Ita Gregorius IX. Cap. *Si conditiones*. lib. 4. tit. *De conditionibus*.

Diximus, *in foro externo;* quia ibi præsumitur promissionem non fuisse conditionatam, sed modelam duntaxat: contractus autem ad modum stat, etiam modô non impletô, ut diximus ubi de Contractibus disseruimus. Unde S. Thomas cit. art. *Stat promissio*, inquit, *sed tollenda est conditio*, utpotè turpis & illicita. Sed si quis re vera noluit promittere, nisi dependenter ab illa conditione turpi, nulla sunt sponsalia in foro externo, quia nullus fuit consensus; opinioni enim veritas præferenda est. Mutatô tamen animô, Judici obtemperare debet, qui sub hac turpi conditione promisit. Idem dicendum de eo, qui fictè promisit, vel consensit in Matrimonium; quia quamvis in rei veritate nulla sint sponsalia, nullumve Matrimonium, cùm contractus essentialiter sit consensus duorum vel plurium; fraus tamen illi patro-

(*c*) Talis est hæc: *Si parentes consenserint. Si Ecclesia approbet.*
(*d*) Talis est: *Si venena sterilitatis haurias.*
(*e*) Talis est; *Ducam te, si furtis meis consentias.*

patrocinari non debet, ſed tenetur verum dare conſenſum, & ad id compelletur in foro exteriori, niſi cauſam legitimam habeat denegandi conſenſum; prout dicemus, ubi de diſſolutione Sponſalium. In foro autem interno hujusmodi Sponſalia ſub tali conditione turpi inita non valent ex ſe.

Sponſalia ſub conditione honeſta, qualis eſt v. g. *Si parentes conſenſerint*, *ſi Eccleſia approbet*, *&c.* non pariunt obligationem, nec impedimentum publicæ honeſtatis, niſi conditio adimpleatur; promittens tamen debet expectare conditionis eventum. Cap. *Super eo. De conditionibus.*

9

CAPUT II.

De diviſione Sponſaliorum.

Sponſalia alia ſunt abſoluta, & conditionata: Alia valida & invalida: Valida rursùs alia ſunt licita, illicita alia. De ſponſalibus conditionatis primùm egimus. De aliis igitur hìc nobis diſſerendum.

Valida cenſentur ea ſponſalia 1mo. in quibus datur verus conſenſus cum animo ſe obligandi, & per verba vel alia ſigna externa declaratus & acceptatus, prout jam ſuprà annotavimus; nam hæc ad veram promiſſionem obligantem requirûntur. 2do. Ubi adeſt deliberatio ſufficiens ad mortale; nam ſponſalia obligant ſub mortali ad contrahendum Matrimonium. 3tio. Cùm adeſt mutua promiſſio, ut conſtat ex data Capite præcedenti illorum definitione: quia hic contractus eſt oneroſus, & una pars non cenſetur velle ſe obligare, niſi altera viciſſim repromittat: undè promiſſio unius includit hanc conditionem, *ſi tu repromiſeris*; & ideò dicuntur ſponſalia repromiſſio, hoc eſt, reciproca promiſſio, leg. 1. ff. *de Sponſalibus.* 4to. Si adſit habilitas utriusque ad validè & licitè contrahendum Matrimonium: nam promiſſio de re impoſſibili vel illicita nulla eſt. Hinc habentis votum ſimplex caſtitatis perpetuæ, vel ingrediendi Religionem, vel ſuſcipiendi ſacrum Ordinem, invalida ſunt ſponſalia, licèt jurata, cap. 6. *Qui Clerici &c.* Idem dicendum de ſponſalibus perſonæ Catholicæ cum Hæretica ſine diſpenſatione factis, nam ſunt promiſſio rei illicitæ. 5to. Valida ſunt Jure Canonico ſponſalia ab impuberibus ſeptenniô majoribus contracta. Cap. *Litteras.* & Cap. *Acceſſit.* lib. 4. tit. *De deſponſat. impuberum.* Si tamen prudentia, ſeu, ut ajunt, malitia ſuppleat ætatem, & ratio præveniat ſeptennium, contracta à ſeptennio minoribus valent ſponſalia. Sed impuberes ejusmodi etiam ſeptenniô majores reſilire poterunt, cùm ambo ad annos pubertatis pervenerint, niſi copula interceſſerit. Contrahent nihilominùs impedimentum publicæ honeſtatis, Cap. *Litteras.* & Cap. *Acceſſit.* cit. tit. Cùm autem hodierna Eccleſiæ diſciplina requirat in deſponſandis ætatem, quæ proximè ad matrimonium ſufficit, Parochi ad ſponſalia non ſolent admittere impuberes.

Ex his facilè colligitur, quænam ſponſalia ſint invalida, quænam illicita. 10
Nempe 1mo. invalidè ſponſalia contrahunt Rationis impotes, ut ebrii, amentes, pueri ſeptenniô minores, niſi, ut dictum, malitia ſuppleat ætatem, ob rationes tùm hìc, tùm Cap. præcedenti in definitione Sponſaliorum allatas. Et habetur citat. Capit. *Litteras.* & Capit. *Acceſſit.*

2do. Sponſalia ſunt nulla in eo, qui fictè promittit; quia ſine vero conſenſu nullus eſt contractus; utrum autem deceptionem per verum conſenſum tollere teneatur, expoſuimus Cap. præcedenti.

3tio. Invalida ſunt ſecunda ſponſalia, prioribus ſtantibus, nec diſſolutis. Cap. *Sicut.* lib. 4. tit. *De Sponſal. & Matrim.*

4to. Ir-

4to. Irrita ſunt ſponſalia, etiam juramentô confirmata, quæ ſequuntur votum, vel ingrediendæ Religionis, vel ſuſcipiendi Ordinis ſacri, vel ſervandæ caſtitatis perpetuæ. Cap. *Rursùs.* lib. 4. tit. *Qui Clerici &c. Cùm ſimplex votum,* inquit Cœleſtinus III. *apud Deum non minùs obliget, quàm ſolemne; pro eo, quòd juravit temerè, pœnitentiam agat, & votum, quod Deo fecit, ſtudeat obſervare.* Aliud verò decernit idem S. Pontifex, ſi poſt ſponſalia juramentô firmata, cum altera contraxiſſet matrimonium; ſic enim pergit: *Quòd ſi poſtquam hujusmodi præſtitit juramentum, ad nuptias motu proprio convolaſſet: cùm votum ſimplex matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat contractum, nihil ambiguitatis quæſtio tua continere videtur.*

5to. Generatim invalidè ſpondet, qui nuptias celebrare nequit propter impedimentum dirimens; quia tunc ſponſio eſt de re impoſſibili. Qui tamen hujusmodi impedimenti conſcius promiſit ſe diſpenſationem petiturum, ſi adſit legitima cauſa petendi diſpenſationem, & ſciverit Papam ſolere diſpenſare in tali impedimento, tenetur ſtare promiſſis; ſecus verò, ſi deſit talis juſta cauſa, ſciveritque Papam non ſolere diſpenſare in tali impedimento.

11 6to. Illicita ſunt ſponſalia perſonæ Catholicæ cum Hæretica; ut ſuperiùs jam animadvertimus, & ampliùs evincetur infrà, ubi de impedimentis Matrimonii.

7mo. Illicita ſunt ſponſalia filiorumfamilias inconſultis parentibus contracta, utpotè contra præceptum honorandi parentes.

Porro hujusmodi ſponſalia illicita, licèt valida, non obligant, ſi impleri nequeant absque peccato, etiamſi juramentô fuerint confirmata; quia nullus obligari poteſt ad peccandum, ex Regula Juris 58. in 6to. nec juramentum inſtitutum fuit, ut eſſet vinculum iniquitatis. Cap. *Quanto.* tit. *De jurejur.* Si autem licitè impleri poſſent, ſunt omninò implenda, niſi alia cauſa ſupervenerit, quæ det locum diſſolutioni; obligat enim vera promiſſio de re licita, licèt promittendo peccatum fuerit in quibusdam circumſtantiis. Sic e. g. Puella ex occulta fornicatione gravida, ſponſalia contraxit, & quidem illicitè ac injuſtè: crimen detegit in confeſſione, quam præmittit matrimonio poſtridiè celebrando in gravem ſponſi injuriam, ac propterea, niſi à ſponſalibus reſiliat, Confeſſarius abſolutionis beneficium ei denegare tenetur, cùm illicita ejusmodi ſponſalia ſine gravi peccato impleri nequeant. Quòd ſi autem jam occultè enixa fuerit, nullumque ſit periculum, ne crimen evulgetur, neve ſponſus indè patiatur infamiæ notam, aut aliud damnum; abſolvi poterit: ſecùs, ſi morale ſubſit periculum. E contra Filiifamilias ſponſalia inconſultis parentibus contracta, quamvis illicitè & peccaminosè, cùm ex Concilio Tridentino Seſſ. 24. (*f*) c. 1. Eccleſia ſemper deteſtata ſit ac prohibuerit ejusmodi pactiones absque conſenſu parentum initas, ut patet ex Cap. *Non omnis.* causâ 32. q. 2. & ex Cap. *Honorantur.* c. 13. cauſ. 32. q. 2. ſi tamen conſentiant parentes votis filiorum, ſervare tenentur.

(*f*) De reform. Matr.

12 ## CAPUT III.

A quibus, & coram quibus, & qua ætate iniri debeant sponsalia. Item quo fine sint instituta.

EX dictis Cap. præcedenti, ab illis dumtaxat contrahi possunt sponsalia, qui habiles sunt ad contrahendum Matrimonium; aliàs esset promissio de re iniqua & illicita. Item ab impuberibus, quamvis ipsi Matrimonium contrahere nequeant; quia sic Jura determinant, & ratio est, quia ad vim sponsaliorum sufficit, ut quis cognoscat id, ad quod debito tempore se obligat. Atqui id possunt impuberes. Et etiam stando in solo Jure naturali, ea ætas sufficit ad sponsalia, in qua contrahentes & cognitionis, & deliberationis sunt capaces; cùm verò certum, ante septem annos multos esse, in quibus malitia, ut dicitur, supplet ætatem, quique ideò cognoscere possunt vim promissionis, qua se obstringunt, ideò Jure ipso naturali possunt valere sponsalia ante septennium celebrata. Denique, ex ibidem dictis, possunt parentes pro filiis inire sponsalia. Cap. 1. §. ult. Tit. *De sponsalibus impuberum.* in 6.

13 Coram quibus autem iniri debeant sponsalia, nec Jus commune, nec Concilium Tridentinum præscribit; undè perindè est sive publicè, & coram Parocho & testibus, ut plerumque moris est, sive clandestinè ineantur. *Sponsaliorum celebratio* (id est solemnis & coram Parocho & testibus) *est certè, multumque laudabilis ceremonia*, inquit Rituale nostrum Argentinense (*g*), *sed cùm nec præcepta, nec necessaria sit, omitti potest in iis locis, ubi non est in usu.*

Porro instituta sunt sponsalia, ut fideles quàm optimè parati accedant ad magnum Matrimonii Sacramentum. Sponsalia quippe sunt ad illud Sacramentum, juxta S. Thomam, & alios Theologos, quod catechumenatus ad Baptismum, Tonsura Clericalis ad sacros Ordines, & Novitiatus ad solemnem Religionis professionem. *A prima sponsione dicuntur sponsalia propriè*, ait S. Thomas in Supplem. q. 43. a. 1. ad 6. *quæ sunt quædam Sacramentalia Matrimonii.* Ideò autem Ecclesia Baptismi, Ordinis, & Matrimonii candidatos singulariter exercendos, & sacris ritibus præparandos duxit, quia fideles in perceptione trium hujusmodi Sacramentorum amplectuntur novum vitæ genus ac statum, in quo nunquam se gerent, ut decet, & expedit tùm privatæ, tùm Reipublicæ saluti, nisi statûs, quem profitentur, officia didicerint, & ad illum probè fuerint instituti. Sponsalia igitur sunt quoddam statûs conjugalis tyrocinium, in quo sponsi elaborare debent, duce Parocho, ut quæ sunt Conjugatorum Christianorum munera plenè eruditi, & ad ea præstanda bene affecti ac parati, fructum Sacramenti abundè percipiant atque conservent. 14

Duo imprimis observabit Parochus. 15
1mo. Sponsalia celebranda esse in Ecclesia Parochiali post Solis ortum, & ante illius occasum si fieri potest (*h*), (non in tabernis & ædibus prophanis) coram testibus maximè desponsandorum parentibus. 2do. Ut Parochus ad mentem Concilii Tridentini *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* moneat sponsum & sponsam, ne sub eodem tecto simul habitent; mutuus enim & flagrans amor utrique perspectus, spes propediem se ipsis fruendi, privata colloquia plerumque amatoria carnem ac libidinem naturaliter commovent, sponsosque in periculum mortaliter peccan-

(*g*) Pag. 248. (*h*) Rituale nostrum Argentinense loc. cit.

peccandi conjiciunt. Undè falsa est & damnata à summis Pontificibus hæc cujusdam Sæculi præteriti Casuistæ propositio: *Oscula, tactus, amplexus non impudici, in signum consuetum benevolentiæ, liciti sunt sponsis de futuro, licèt adsit periculum pollutionis.*

Quòd si Sponsi ignorent Religionis Christianæ rudimenta, curabit Parochus, ut ea apprimè discant, declarabitque se alioquin non posse tutâ conscientiâ illos ad Sacramentum Matrimonii admittere. Ita enim præscribunt Rituale Romanum, S. Carolus in Concilio V. Mediolanensi, & in Instructionibus.

Neque verò satis est, ut desponsati noverint, quæ vulgo Catholicorum sine gravi peccato ignorare non licet; sed insuper nosse debent, quæ ad statum conjugalem pertinent, nempe naturam & virtutem Sacramenti Matrimonii; qua intentione & animi præparatione ad illud accedendum sit, ne indignè recipiatur; quo super Parochus gravissimis verbis sponsos monebit.

Præterea Parochus eos docebit, quæ conjugatis sint præcepta, & licita, quæque prohibita & illicita. Modum tamen servabit pro personarum ingenio; aliter quippe agendum cum rudioribus, aliter cum acutioribus; illis singillatim exponet ea, in quibus contra fidem thori, bonum prolis, & sanctitatem Sacramenti conjuges delinquere possunt; istis verò generatim duntaxat, & minùs distinctè. Sed ista præstabit in tribunali Pœnitentiæ, nullatenùs autem in ædibus privatis. Suggeret etiam pias exercitationes, lectiones congruas, assiduas orationes, dignos Pœnitentiæ fructus, *Ut quidquid error vetus inquinasset*, ait Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 2. *quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset; id pœnitentia verrens, & radens, & foras abjiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui sancto paret, quò se ille cum cœlestibus bonis libens inserat.* Eò tamen copiosiora inferet ex Concilio Tridentino *Sess. 6. c. 7.* quo sponsorum corda paratiora invenerit.

CAPUT IV. 16

Quos effectus producant sponsalia, & an accedente copula carnali transeant in verum Matrimonium.

JAm suprà Cap. 1. in explicatione definitionis Sponsaliorum indicavimus duos effectus à Sponsalibus produci 1mo. Jure ipso naturali obligationem mutuam, qua fit, ut unus sine peccato (ob materiæ gravitatem) mortali non possit resilire. Ita communiter Theologi post S. Thomam in 4. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. ubi S. Doctor affert diversam agendi rationem Juris Civilis & Canonici in præsenti argumento. Nam Jure Civili, adversùs eum, qui spopondit, nulla competit actio. Jure autem Canonico per Censuram Ecclesiasticam cogi potest, si nullum habeat legitimum impedimentum. Ita statuit Alexander III. Cap. *Ex litteris.* Tit. *De Sponsalibus & Matrim.* ubi, *Quia prædicto viro*, inquit, *periculum est contra suum juramentum venire, fraternitati tuæ mandamus, quatenus eum Ecclesiasticâ Censurâ compellas, ut ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* Quod intelligi quoque debet, etiamsi alia Sponsalia cum secunda, additô juramentô, contraxisset, hæc enim nulla sunt, nec juramentum potest esse vinculum iniquitatis. Raro tamen, nec nisi cautione summa debet Judex Ecclesiasticus per censuram cogere ad contrahendum Matrimonium, quod fuit promissum; ac monitione potiùs, quàm pœnâ compellere debet, propter

propter gravissima pericula, quae ex Matrimonio coacto sequi possunt. Ita S. Pontifex Lucius III. Cap. *Requisivit.* Tit. *De Sponsalibus. Cùm*, inquit, *libera debeant esse Matrimonia, monenda est potiùs mulier, quae renuit, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles exitus soleant frequenter habere.* Et verò ex mox citato Alexandro III. cogendus est *qui renuit, nisi rationabilis causa obstiterit.* At ubi adduci non potest, ut liberè ac spontè contrahat cum ea, cui promisit, Matrimonium, certè videtur causa rationabilis, ne compellatur; periculum scilicet rixarum, contentionum, ac inimicitiarum, ex quibus vitam amarissimam à conjugibus trahi necesse foret. Quòd si arrhae & alia munera data fuissent, restitui debent ab eo, qui resilit; ac impensae, si quae factae sunt, reparari.

17 2do. Ex Sponsalibus oritur impedimentum publicae honestatis canonicum, quo sponsus & sponsa inhabiles sunt ad contrahendum cum alterutrius consanguineis & affinibus, nisi accedente dispensatione. Cap. *Ad audientiam.* Cap. *Sponsam.* lib. 4. tit. *De Sponsal. & Matrim.* Et *Cap.* 3. *Sess.* 24. *de Reform.* Concilium Tridentinum impedimentum istud restringit ad primum consanguinitatis & affinitatis gradum, cùm anteà extenderetur ad quartum.

Jure etiam veteri sponsalia etiam invalida inducebant impedimentum publicae honestatis, ut patet ex Cap. unico. Tit. *De Sponsal.* in 6to. Lib. 4. Tit. 1. *De Sponsal.* Jure autem novo non inducunt. Ita Concilium Trid. *Sess.* 24. *c.* 3. *de Reform.* ubi sic decernit: *Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsùs tollit: ubi autem valida fuerint; primum gradum non excedant.* At verò censent celebres Doctores Matrimonia clandestina, etsi post Concilii Tridentini definitionem invalida, inducere impedimentum publicae honestatis (non secùs ac sponsalia valida) maximè si non fuerint prorsùs occulta, quemadmodùm ex Matrimonio per Religiosum aut Presbyterum contracto, licèt nullo & irrito, nascitur impedimentum publicae honestatis.

Quantùm ad secundum, an videlicet Sponsalia accedente copula carnali transeant in verum Matrimonium. 18
Post Concilium Tridentinum, quod declaravit, nulla esse Matrimonia clandestina facta sine praesentia Parochi & testium, nullum relinquitur dubium, quin Sponsalia in adducto casu vim non habeant Matrimonii: promissio enim vim traditionis seu donationis non habet; necesse verò est, ut Matrimonium per verba de praesenti contrahatur coram Parocho & testibus, juxta memoratum Concilium Tridentinum; ergo & juxta illud non ampliùs rata sunt praesumpta Matrimonia illa per copulam carnalem consumpta.

At verò ante decretum Tridentinum, cùm scilicet necdum irrita erant Matrimonia clandestina, imò & post Concilium istud, in iis locis, in quibus receptum non est, nec viget tale decretum, sponsalia, accedente copula carnali, praesumuntur in verum transire Matrimonium, non quidem praecisè vi promissionis sponsalitiae, sed vi consensûs de praesenti, qui praesumitur accessisse, cùm sponsus & sponsa affectu maritali vivunt inter se. Ita statuerat Gregorius IX. Successor Honorii III.

19 # CAPUT V.

Quot modis ſolvantur ſponſalia, & quæ pœna ea ſolventi ſit imponenda.

SPonſalia diſſolvi poſſe conſtat ex toto tit. 1. lib. 4. *De Sponſal.* & maximè ex Cap. *Prætereà* 2. Cap. *Ex litteris* 7. Cap. *Requiſivit.* 17.

Modi autem, quibus diſſolvi poſſunt decem aſſignantur his duobus verſibus comprehenſi:

Diſſenſus, crimen, fuga, tempus, &
Ordo, ſecundo,
Morbus, & affinis, vox publica, cumque reclamant.

1mo. *Diſſenſus*, id eſt mutuus diſſenſus ad futurum Matrimonium, ſeu mutuus conſenſus ad diſſolutionem Sponſalium; ad quam Jure communi nulla requiritur ſolemnitas, aut Judicis auctoritas, ſed ſufficit mutuus contrahentium conſenſus, modò ambo ſint puberes; quia, ex prima regula Juris, *omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, Cap. *Præterea.* Tit. *De Sponſal.* Atqui ſponſalia Jure communi mutuo partium conſenſu contrahuntur; ergo mutuo etiam eorum conſenſu diſſolvi poſſunt, etiamſi juramentô confirmata fuerint, ex cit. Cap. *Prætereà.* & ex Cap. *Quemadmodùm.* lib. 1. lit. *De jurejurando.* Et ratio eſt, quia ex dictis in Tract. de Religione, ubi de juramento. in omni juramento promiſſorio intelligitur hæc conditio, *niſi promiſſarius remittat.*

In quibuſdam tamen Diœceſibus, ubi Sponſalia ſemper in facie Eccleſiæ celebrantur, lex eſt, ut nonniſi auctoritate ejuſdem Eccleſiæ diſſolvantur; prout fit in Diœceſi Conſtantienſi. Quare unusquisque ſequi debet morem ſuæ Eccleſiæ.

Diximus, *modò ſint ambo puberes*; quia Cap. *A nobis.* lib. 4. tit. 2. *De diſpenſatione impuber.* deſponſati impuberes à ſponſalibus reſilire nequeunt, priusquam ambo ad pubertatis annos pervenerint; idque ſtatutum eſt ob inconſtantiam & levitatem puerorum, ne quotidie nova contrahant ſponſalia, & rursùs ab iis reſiliant. Diſſenſus porro ille debet aliquâ rationabili cauſâ inniti; aliàs culpâ non vacaret. Cap. *Ex litteris.* & Cap. *Requiſivit.* Tit. *De Sponſal.* ubi Summi Pontifices Alexander III. & Lucius III. ſtatuunt imponi debere pœnitentiam à Sponſalibus ſine legitima cauſa reſilienti. Atqui pœnitentia ſupponit delictum. Talem peccare mortaliter, ait S. Thomas in Supplem. q. 43. a. 1. ad 2.

2do. *Crimen.* Si poſt ſponſalia unus 20
fornicetur; Cap. *Quemadmodùm.* Tit. *De jurejur.* Idque in gratiam innocentis conceditur, qui tamen ſi reſilire nolit, ſtat vis & obligatio ſponſaliorum. S. Antoninus, 3. part. tit. 3. id extendit ad fornicationem ſpiritualem, putà hæreſim & infidelitatem. Item ſi Sponſa poſt ſponſalia vi fuerit oppreſſa, Cap. *Raptor.* causâ 27. q. 2. Denique, ſi Sponſus poſt ſponſalia detegat, ſponſam fuiſſe priùs fornicatam: ſecus ſi hujusmodi vitium ante ſponſalia ipſum non latuerit.

3tio. *Fuga.* Si nempe Sponſus alte- 21
ruter diu abfuerit atque in regionem longinquam abſque conſenſu alterius profectus fuerit. Cap. *De illis.* Tit. *De Sponſal.* Atque Jure Civili ſtatuitur, ut ſi ſponſus intra provinciam abfuerit, per biennium expectetur; ſi verò extra provinciam per triennium. Lege 2da. Cod. *De repudio.* 22

4to. *Tempus.* Si nempe elapſum fuerit tempus Matrimonio celebrando præfixum, cap. *Sicut.* Extra. *De Sponſalibus.*

5to. *Ordo.* Per ſuſceptionem Ordi- 23
num ſacrorum. Cap. unico. Tit. *De voto.* in

in 6tô. Item per votum ingrediendi Religionem, modò secuta non fuerit copula carnalis, Cap. *Commissum.* Tit. *De Sponsal.* Undè cùm per ingressum Religionis testetur se sponsalibus renuntiare, licet alteri alia sponsalia & Matrimonium contrahere, non expectata Novitii professione; nec tenetur incommodô, quod pati deberet, expectando per annum, ut ei nubat. Sed si è Novitiatu discedat, tenetur Matrimonium contrahere cum parte id exigente; nam quamvis Jura ingressum Religionis sponsis permittant, nusquam tamen eos liberant simpliciter ab obligatione sponsaliorum: & quamvis ingrediens cedat juri suo, tamen manens in Sæculo non cedit, nisi velit.

Utrum autem sponsalia dirimantur per votum simplex perpetuæ continentiæ in sæculo servandæ iis contractis emissum dissentiunt Theologi. Affirmant multi atque S. Thomam pro se laudant in *Supplem. q.* 53. Negant alii benè multi, in quorum sententiam propendemus: tùm quia opposita nullo Canone nititur: tùm quia Deus coli non vult cum alterius injuria. Favet Extravagans Joannis XII. Tit. *De voto.* Cap. unicô, in qua summus Pontifex jubet, ut qui post Matrimonium ratum non consummatum, sacrum Ordinem susceperat, sponsa non consentiente, compellatur cum ea maritaliter vivere, si ipsa id exigat. Unde etiam juxta multos, quamvis alterutri sponso post contracta sponsalia liceat ingredi Religionem, quia vel ex natura rei, vel saltem ex dispositione Ecclesiæ hæc conditio in sponsalibus includitur, *nisi voluero ingredi Religionem;* non licet sponso sacros Ordines suscipere, quia frangeret sic fidem alteri datam in gravi materia justitiæ, neque hæc tacita conditio *nisi voluero sacros Ordines suscipere,* sive ex natura rei, sive ex dispositione Ecclesiæ in sponsalibus includi dignoscitur.

6to. *Secundo.* Id est, per subsequens Matrimonium cum alia persona contractum, sponsalia, etiam jurata, dissolvuntur Cap. *Duobus.* Tit. *De Sponsa duorum.* Cap. *Sicut ex litteris.* Cap. *Si inter virum.* Tit. *De Sponsal.* lib. 4. Quia res tradita per contractum indissolubilem, non potest ampliùs tradi priori promissario. Sed pars quæ sic contraxit, alterâ rationabiliter invitâ, peccat mortaliter fidem datam violando contra justitiam: unde Gregorius IX. cit. Cap. *Si inter virum* decernit ei de violatione fidei pœnitentiam esse injungendam. 24

7mo. *Morbus.* Nempè per morbum supervenientem, aut gravem infirmitatem vel deformitatem, v. g. lepram, paralysim, mutilationem, &c. Cap. *Quemadmodùm.* & Cap. *Litteras.* Tit. *De conjugio leprosorum.* 25

8vo. *Affinis.* Scilicet per affinitatem accedentem post sponsalia, sive carnalis illa sit, v. g. Si sponsus carnaliter cognoverit sororem suæ sponsæ; sive spiritualis, de qua vid. inf. part. 3. cap. 4. §. 5. num. 250. & seqq. Cap. *Cùm in tua.* Tit. *De Sponsal.* Cap. *Fraternitati.* Cap. *Veniens.* Extra. *De cognatione spirituali.* 26

9no. *Vox publica.* Id est, si per vocem seu famam publicam notabile vitium alterutrius priùs incognitum detegatur, putà quòd sit spurius, qui putabatur Legitimus: plebejus, qui genere se nobilem jactitabat: ære alieno oppressus, qui opulentus habebatur, &c. vel etiam innotescat esse inter sponsum & sponsam aliquod impedimentum. 27

10mo. *Cùm reclamant.* Scilicet cùm adversùs pacta sponsalia reclamant, qui ea ante pubertatis annos inierant, Cap. *De illis.* Tit. *De sponsalibus impuberum.* 28

Pariter

Pariter si non adimpleatur aliqua conditio, sub qua sponsalia inita fuerunt, ut si dos promissa non detur, Cap. cit. *De illis.* & Cap. *Super eo.* Tit. *De consanguinitate & affinitate.* Vel cum cognoscitur, quæ anteà latebat, sponsi aut sponsæ indoles difficilis ac morosa. Cap. *Veniens.* 13. Tit. 1. *De Sponsal.* Item si superveniant graves inimicitiæ inter sponsorum utramque familiam, &c.

Porro eum, qui sine legitima causa sponsalia dissolvit, Censurâ Ecclesiasticâ cogi posse, jam suprà insinuavimus; quamvis Jure Civili nulla in eum detur actio ad celebrandum Matrimonium; sed tantùm ad damnum, si quod fuit, compensandum, & restituenda, si quæ data sunt munera. Vid. dicta Cap. præcedenti.

29 ## CAPUT VI.

De necessitate sponsaliorum, & eorum Denuntiationis, necnon hujus formâ.

UT ratum firmumque sit Matrimonium, ejus celebrationi necesse non est ea præmitti; nulla quippe communi lege Ecclesiæ talis necessitas astruitur. Pius tamen & laudabilis est usus Sponsaliorum, tùm ut futuri conjuges, quod suprà jam adnotavimus, ad rei gravitatem seriò attendant; tùm ut præparent se ad gratiam Sacramenti; tùm ut concedatur tempus adimplendi conditiones in contractu enuntiatas. S. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 3. aliam adducit rationem: *Institutum est*, inquit, *ut jam pacta sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam.*

30 Attamen Matrimonio futuro & suo tempore celebrando præmitti solent proclamationes seu publicæ denuntiationes, quæ, quia mutuam de futuro Matrimonio duarum utriusque sexus personarum promissionem supponunt, sponsaliorum denuntiationes vocantur, ac trinæ esse debent.

Hujusmodi denuntiationes vulgò *Banna* dicuntur à voce Germanica *Ban*, quæ edictum, seu publicam proclamationem significat. Proclamatio verò hìc nihil aliud est, quàm publica denuntiatio seu declaratio Matrimonii futuri inter tales personas; earumque origo repetenda esse videtur ab antiqua consuetudine Christianorum, qui cùm de ineundo conjugio deliberabant, Episcopos & Sacerdotes consulebant, atque ex eorum arbitrio vota sua moderabantur, ne forte imprudenter Hæretico, vel Judæo, aut cuipiam Apostatæ implicarentur. Morem hunc indicat S. Ignatius Martyr in Epistola ad Polycarpum. Certè in multis Ecclesiis pervetustum esse usum proclamationum seu denuntiationum harum, patet ex Rescripto Innocentii III. ad Episcopum Bellovacensem, ubi mentionem facit publicationis Bannorum. Et, ut cætera taceamus, Concilium Lateranense IV. sub eodem Pontifice an. 1215. c. 51. apertè significat usum illum, quem publica & generali lege confirmat, novum non esse, sed prioribus temporibus jam in aliquibus locis observatum.

Omnium communi sententiâ denuntiationes illæ necessariæ sunt necessitate præcepti. Ita Concilium Lateranense IV. cit. cap. 51. ubi, *Specialem*, inquit, *quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, ut cùm Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur, competenti terminô præfixô.* Et Concilium Tridentinum Sess. 24. De reform. Matrimonii cap. 1. sic statuit: *Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit* (sancta Synodus) *ut in posterùm, ante-* quam

quam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia ante Missarum solemnia publicè denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum.

Non tamen sunt necessariæ necessitate Sacramenti seu contractûs; tùm quia ab illis justa & legitima ex causa dispensari potest. Atqui in iis, quæ ad substantiam pertinent, dispensatio locum habere non potest: tùm quia Concilium Tridentinum nulla quidem & irrita esse declarat Matrimonia clandestina; at non declarat ea Matrimonia esse verè clandestina, quæ fiunt sine prævìis Bannorum proclamationibus, sed tantùm ea, quæ fiunt sine præsentia Parochi ac testium: tùm denique, quia idem Concilium loc. cit. denuntiationes, ex gravi causa omitti permittit: *Nisi Ordinarius*, inquit, *ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit.*

31 Quis autem proclamationis Bannorum hujusmodi sit finis declarat ipsum Concilium locô cit. ut nempe, si quod inter contrahentes sit impedimentum, aut prohibens fieri nuptias, aut jam factas dirimens, innotescat: *Ut si aliqua subsunt impedimenta*, ait Concilium, *faciliùs detegantur.* Atque qui novit hujusmodi impedimentum tenetur illud revelare Parocho denuntianti, & quidem sub gravi peccato; quia ex S. Thoma 2. 2. q. 7. a. 1. ad 2. tenemur sub gravi peccato detegere & quidem Superiori præcipienti peccatum inferens tertio damnum notabile. Atqui nisi impedimentum detegatur, sequitur grave damnum tertii, scilicet nullitas Matrimonii, & plura, quæ indè oriuntur, incommoda. Ergo quisquis conscius est alicujus impedimenti, illud revelare tenetur sub gravi peccato; addit Rituale nostrum Argentinense hîc pag. 250. sub pœna excommunicationis.

Nec refert, etsi impedimentum sit ita occultum, ut probari non possit à revelante; quia ex Cap. *Cùm in tua.* lib. 4. tit. *De Sponsal.* testis unus omni exceptione major Matrimonium impedit.

Parocho autem, qui novit impedimentum aliquod, hæc sunt observanda. 32
1mo. Si ex sola confessione Sacramentali illud noverit, non potest illud detegere, nec publicè petentibus nuptialem benedictionem denegare; sed tantùm in foro conscientiæ dissuadere nuptias, donec petita fuerit & obtenta dispensatio; Ratio est, quia Sacerdos uti non potest notitiâ per Sacramentalem confessionem partâ, ad actus externos: quæ enim hac via novit, perinde sunt ac si ea non cognovisset.

2do. Si solus extra confessionem impedimentum novit, quod probare non potest, non potest pariter Matrimonium petentibus denegare: cùm enim Judex sit, non potest esse testis.

3tio. Si novit impedimentum ex testimonio & oppositione aliorum, non potest ulteriùs progredi, neque in denuntiationibus perficiendis, si nondùm perfectæ sunt, neque in celebrando Matrimonio, donec sublata fuerit oppositio, & impetrata dispensatio ab impedimento.

Porro præceptum istud denuntiationum sub gravi peccato, utpotè quod circa gravem materiam versetur, scilicet ad occurrendum abusibus & damnis tùm spiritualibus tùm temporalibus animarum, obligat omnes. Ita communiter Theologi. Eximuntur tamen Summi Principes: tùm quia eorum genus omnibus notum est: tùm quia nihil agere possunt 33

possunt de Matrimonio ineundo, quin singulis statim innotescat, ut Parochi denuntiationibus locus non sit.

34 Præceptum tamen istud admittit aliquam dispensationem solis Episcopis reservatam, ex Concilio Tridentino loc. cit. Ubi, *Nisi*, inquit, *Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, &c.* Hanc tamen dispensationem sine causa concedere non debent: tùm quia, ex dictis in Tract. de Legibus, omnis dispensatio sine legitima causa est illicita, & mera dissipatio, peccantque sive qui eam concedunt, sive qui petunt: tùm quia Concilium Tridentinum cit. cap. 1. dispensationem hanc prudentiæ & judicio Episcopi committit; *Quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit.* Atqui in eo non reperitur prudentia, qui agit, cùm nulla est agendi causa.

Causæ autem, cur à denuntiationibus dispensari possit, inter alias, has præcipuè assignant Theologi. 1mo. Si probabilis sit suspicio, inquiunt Patres Tridentini cit. cap. 1. Matrimonium malitiosè impeditum iri: addunt aliqui, vel ejus usum maleficiis retentum iri. 2do. Si proclamationes fieri nequeant absque gravi infamia & scandalo, putà cùm Matrimonium invalidè contractum restitui debet, aut qui vulgò pro veris conjugibus habentur, atque tanquam veri conjugati à longo tempore simul habitant, legitimô Matrimoniô conjungendi sunt. 3tio. Si infirmus morti proximus, ut creditur, & saluti animæ suæ consulens, paratus sit contrahere cum illa, cui fidem dedit, & ex qua prolem suscepit. 4to. Periculum morale, ne sponsi aut sponsæ animus immutetur ex innata levitate, si Matrimonium differatur, quod periculum vir prudens meritò timere potest; ut si juvenis ægrè consensit eam ducere, quam vitiavit, est sufficiens dispensandi causa: secùs si periculum sit remotum, nec sit aliqua specialis ratio timendi communem humanæ voluntatis mobilitatem; alioquin abroganda esset lex Bannorum, utpotè semper conjuncta cum aliquo periculo propter communem animorum levitatem. 5to. Proximitas Adventûs vel Quadragesimæ. &c. Verbô, Episcoporum prudentiæ & judicii est expendere quibus in casibus vel omnes tres, vel unam vel duas Bannorum denuntiationes legitimè remittere possint; non tamen ita in iis remittendis faciles esse debent, quasi legis hujus observantia pauperibus tantùm & infimæ velut plebi præscripta videretur, atque sola nummorum carentia ad observationem legis constringeret, &c.

35 # PARS SECUNDA.

De Matrimonio ut est Contractus tùm Naturalis, tùm Civilis.

DE Matrimonio, ut est Contractus tùm Naturalis, tùm Civilis sequentia hac in parte secunda nobis examinanda veniunt, scilicet, quæ sint ejus essentia, materia, forma, proprietates, solemnitates, impedimenta, à quo institutum fuerit in officium naturæ, quænam ejus causa efficiens; quæ ita expendemus, ut 1mo. de ejus essentia tractemus. 2do. De ejus institutione, 3tio. De ejus forma & materia. 4to. De ejus causa efficiente, mutuo scilicet contrahentium consensu. 5to. De illius proprietatibus, nempe unitate, indissolubilitate, necessitate, ac præcepto. 6to. De illius solemnitatibus, quæ scilicet illud comitantur, disseramus.

36 ## CAPUT PRIMUM.

Quid sit Matrimonii contractus, & quæ illius essentia.

MAtrimonium quatenus est contractus naturalis & civilis definiri, seu potiùs describi potest: *Conjunctio maritalis viri & fœminæ, inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem seu societatem retinens.*

Dicitur 1mo. *Conjunctio*; quæ vox tenet locum generis; Nomine verò *conjunctionis* non intelligimus actum illum, quo primùm vir & mulier per mutuum consensum verbis expressum conjunguntur, sed obligationem, vinculum, & nexum illum mutuum, qui ex consensu interno, & pactione externa virum inter & mulierem resultat, in quo essentiam Matrimonii positam esse mox dicemus.

Dicitur 2do. *Maritalis*; tùm ut distinguatur ab aliis conjunctionis speciebus, quæ possunt esse inter virum & mulierem, qualis est v. g. filialis, vel fraterna, &c. tùm ut significetur finis & objectum contractûs, mutua scilicet corporum traditio.

Dicitur 3tio. *Viri & mulieris*; quibus verbis subjectum Matrimonii designatur; & quidem numerô singulari, *viri & mulieris*, ad excludendam polygamiam.

Dicitur 4to. *Inter legitimas personas*; hoc est, quæ habiles sunt contrahendum Matrimonium, nec ullo dirimente impedimento sunt ligatæ.

Dicitur denique, *Individuam vitæ societatem retinens*; id est, perpetuam ac perseverantem, quia nempè solvi non potest

poteſt vinculum Matrimonii partium conſenſu, ſicut ſolvuntur alii contractus.

37 Ex hac contractûs Matrimonii deſcriptione liquet plura in eo diſtingui poſſe, ut 1mo. Mutuum nubentium conſenſum. 2do. Externam pactionem ſeu contractum verbis aut ſignis expreſſum. 3tio. Mutuam corporum traditionem. 4to. Nexum ſeu vinculum quoddam reſultans ex illo contractu. 5to. Jus quod eſt in unoquoque ad alterum. 6to. Mutuam obligationem ad reddendum debitum. 7mo. Denique uſum & conſummationem Matrimonii, quæ in carnali copula conſiſtit. Quæſtio nunc eſt, in quonam horum eſſentia Matrimonii potiſſimùm conſiſtat. Julianus Pelagianus, teſte S. Auguſtinô lib. 5. contra eundem Julianum cap. 16. Matrimonii eſſentiam repoſuit in uſu ſeu carnali conjunctione; *Nihil aliud dicis*, inquit ad illum S. Doctor, *eſſe nuptias quàm corporum commixtionem.* Id ipſum cenſuit Wiclefus, ex Thoma Valdenſi Tom. 2. de Sacram. cap. 130. Ad hanc ſententiam inclinaſſe videtur Gratianus 27. q. 2. cap. *Quos autem.* & Cap. *Inſtitutum.* ubi docet verum non eſſe Matrimonium ante conſummationem. Nonnulli ex noſtris Theologis exiſtimârunt non eſſe verum ac perfectum Matrimonium ſine copula; ac conſequenter Joſephum inter & B. Virginem non extitiſſe veri nominis Matrimonium. Sit

38 CONCLUSIO.

Eſſentia Matrimonii in facto eſſe (*i*) non conſiſtit in uſu & commixtione corporum &c. Sed in conjunctione animorum, ſeu nexu perpetuo qui ex conſenſu interno & pactione externa inter virum & mulierem reſultat.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, in qua B. Maria appellatur Joſephi conjux, quamvis Virgo ſemper manſerit, *Joſeph fili David*, inquit Angelus Matth. 1. v. 10. *noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Quod expendens S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 11. ſic ſcribit: *Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph*, Noli timere &c. *Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat Conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.* Idem confirmatur ex Matth. 1. v. 18. ubi, *Cùm*, inquit Evangeliſta, *eſſet deſponſata Mater ejus* (Chriſti) *Maria Joſeph.* Et ex verbis B. Virginis, quibus Joſephum appellat patrem Chriſti, Luc. 2. v. 48. *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Et ex eodem Evangeliſta v. 33. cum ait: *Et erat pater ejus & mater mirantes ſuper his.* Neque verò ſic loquerentur tùm virgo ad filium, tùm Evangeliſtæ, niſi Joſeph verè fuiſſet conjux Mariæ. Hinc communis ac pervulgata Judæorum opinio, qui JEſum & appellabant & putabant eſſe naturalem Joſephi filium, Matth. 13. Luc. 3. Joan. 6. cujus opinionis, tametſi falſæ, non alia cauſa fuit, quàm quia notum erat inter Joſephum & Mariam verum contractum fuiſſe Matrimonium, alioquin ſuam ſpuriam originem procul dubio Judæi Chriſto objeciſſent.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. S. Ambroſius lib. de inſtitutione Virginis c. 6. 39
refellens eorum opinionem, qui ideo nullum putant interceſſiſſe Matrimonium inter B. Virginem & Joſephum, quòd commixti inter ſe carnaliter non fuerint, ſic loquitur: *Cùm initiatur conjugium, tunc conjugii nomen aſciſcitur; non enim deflo-*

(*i*) Quid ſit Matrimonium *in facto eſſe*, quid *in fieri* ſuprà in proœmio expoſuimus.

defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cùm jungitur puella, conjugium est, non cùm virili admixtione cognoscitur.

S. Chrysostomus Homil. 32. in Matth. *Matrimonium*, inquit, *non facit coitus, sed voluntas.*

S. Augustinus cit. cap. 11. lib. 1. de nupt. & concup. *Quibus verò*, ait, *placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur, imò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ chariùs concordiusque servanda sunt, non voluptuariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.* Eadem habet lib. 13. contra Faustum c. 8. & lib. de bono conjugali c. 1.

Accedunt Magister sentent. lib. 4. dist. 27. & S. Thomas in supplem. q. 44. a. 1. ad 2. *Dicamus ergo*, inquit Magister sent. *quòd consensus cohabitationis, vel carnalis copulæ non facit conjugium, sed consensus conjugalis societatis.* S. Thomas verò docet conjunctionem maritalem esse vinculum, *quo conjuges obligantur formaliter, non effectivè;* hoc est, conjunctio activè sumpta seu mutuus consensus vinculum efficiens, non est formaliter Matrimonium, cum sit ejus causa efficiens, sed ipsummet vinculum, quo conjuges formaliter inter se uniuntur.

Calvinus igitur imponit Catholicis, speciatim autem Magistro sentent. dum lib. 4. Instit. cap. 19. §. 34. ait, eos docere coitum esse partem Sacramenti, & per actum immundum ac turpem, gratiam produci.

Accedit denique Catechismus Romanus Concilii Tridentini part. 2. de Sacram. Matrim. num. 5. ubi postquam multa, quæ in Sacramento Matrimonii occurrunt, enumeravit, *Nihil tamen horum*, inquit, *Matrimonii vim & rationem propriè habet, nisi obligatio illa & nexus, qui conjunctionis vocabulò significatus est.*

Prob. 3tio. Ratione Theologica. 1mo. In eo videtur reponenda Matrimonii essentia, per quod formaliter definitur. Atqui definitur per conjunctionem maritalem viri & fœminæ &c. quæ conjunctio vinculum est, quo conjuges ligantur formaliter, non effectivè, prout primùm ex S. Thoma audivimus; id est, ut jam diximus, conjunctio illa non est formaliter Matrimonium, quatenus efficit vinculum, per mutuum scilicet consensum ac contractum, qui est causa efficiens, sed quatenus est ipsum formaliter & *in facto esse* vinculum, quo conjuges inter se uniuntur. Huncque sensum innuit idem S. Doctor in 4. Sentent. Dist. 26. q. 2. a. 3. ad 2. ubi, *Actus*, inquit, *exteriores, & verba exprimentia consensum directè faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum Matrimonii.*

2do. In eo videtur reponenda formaliter Matrimonii essentia, quod firmum est, ac stabile, quemadmodùm ipsum Matrimonium firmum est ac stabile. Atqui vinculum illud seu nexus utriusque conjugis est quid firmum ac stabile, non fluxum, non transiens. Ergo &c.

3tio. Usus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractûs, sed est quid illam consequens: verus namque ac perfectus est contractus emptionis v. g. etiamsi emptor non incolat domum, quam emit, nec seminet in agro, cujus pretium solvit; requiritur tamen ad veram emptionem, ut emptor per contractum rei emptæ dominium acquirat, hoc est, potestatem eâ utendi absque cujusquam injuria, quamvis actu & de facto eâ non utatur. Ergo eo ipso perficitur contractus Matrimonii, quo conjuges sibi mutuò tradunt potestatem in sua corpora, etsi postmodùm eâ nunquam usuri sint.

41 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Apostolus Ephes. 5. Matrimonium veluti definiens, non obscurè significat corporum conjunctionem pertinere ad ejus substantiam. *Erunt*, inquit v. 31. *duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia.*

Resp. His verbis *Erunt duo in carne una*, non actum seu usum Matrimonii voluisse Apostolum designare, quasi sine illo stare non posset Matrimonium, sed mutuam translationem dominii in corpus utriusque conjugis, quæ tametsi suapte naturâ & radicali jure referatur ad usum seu consuetudinem conjugalem secundùm carnem, ab illa tamen sejungi & separari potest: neque enim necesse est, ut quicumque jus & dominium habet in rem aliquam, eâ utatur. Adde, quòd citatis verbis non tam voluerit Apostolus imperare actum seu usum conjugii, quasi foret absolutè necessarius, quàm prohibere fornicariam vel adulteram conjunctionem; quia nempe conjuges sunt duo in carne una, non multiplici. Se ipsum exponit Apostolus 1. Corinth 6. v. 16. ubi, *An nescitis*, inquit, *quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus est. Fugite fornicationem.*

42 Ob. 2do. Matrimonium Christianorum significare debet unionem Christi cum Ecclesia. Atqui ejusmodi unio non significatur nisi per conjunctionem carnis. Ergo Matrimonium Christianorum essentialiter includit carnalem copulam, qua conjuges fiunt una caro, quemadmodùm Verbum per incarnationem cum sponsa sua Ecclesia una caro evasit.

Resp. neg. min. Duplex est enim unio Christi cum Ecclesia, una per charitatem & per continuum gratiæ influxum: altera physica & naturalis per unionem hypostaticam cum natura humana. Priorem unionem significat unio conjugalis animorum per charitatem, per individuam vitæ societatem, & per mutua amoris officia, &c. quæ conjuges sibi invicem suppeditant, in qua animorum conjunctione præsertim posita est ratio Matrimonii: posteriorem verò unionem significat consummatio Matrimonii. Hæc porro significatio Matrimonio essentialis non est, sed accidentalis dumtaxat, & quamvis Matrimonium ratum & consummatum perfectiùs exprimat unionem tùm moralem, tùm physicam Christi cum Ecclesia, quàm Matrimonium dumtaxat ratum & nondum consummatum, nihilominùs Matrimonium ratum est verum Matrimonium ante ipsam consumationem, quia animorum conjunctio ad individuam vitæ societatem perfectè repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per charitatem & gratiæ influxum.

Ob. 3tio. Si sola animorum conjunctio sufficit ad verum Matrimonium, tunc frater & soror, item qui laborant impotentiâ perpetuâ poterunt contrahere inter se verum Matrimonium. Atqui hoc falsum est. Ergo &c. 43

Resp. neg. sequel. maj. Quia contractus conjugalis jus tribuit ad carnalem commixtionem. Atqui naturæ repugnat, ut frater jus illud habeat in sororem: Impotentes verò illius capaces non sunt. Quamquam igitur Matrimonium essentialiter sit ratum ac perfectum sine carnali commixtione, quia tamen ad eam suâ naturâ & radicali jure ordinem dicit, qui ordo, cùm inter memoratos esse non possit, hinc nec verum Matrimonium. Ita S. Thomas in Supplem. q. 48. a. 1.

Inst. Ergo vir & mulier verum Matrimonium contrahere poterunt, ea conditione, ut neuter potestatem habeat in corpus alterius. 44

Resp.

Resp. neg. illatum. Quia potestas illa radicaliter & essentialiter includitur in contractu Matrimonii. Sic nulla esset venditio & emptio, si venditor non transferret in emptorem dominium rei venditæ, hoc est, potestatem utendi re vendita. Sed sicut emptor usum rei à se emptæ remittere potest venditori, stante nihilominùs emptionis contractu; ita conjuges possunt mutuò cedere jure suo.

45 Ob. 4to. Verum ac ratum Matrimonium non potuit esse inter B. Virginem & Josephum post emissum ab ipsa perpetuæ virginitatis votum; quia Matrimonium, quod contrahitur post emissum votum virginitatis, omninò contrarium est ipsi nuptiarum bono, nempe prolis susceptioni. Ergo aut B. Virgo perpetuam virginitatem non voverat, aut verum non fuit ejus cum Josepho Matrimonium.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. propositionem. Matrimonium quod contrahitur post emissum virginitatis votum, contrarium est bono nuptiarum primario ac principali, nempe unioni animorum, neg. Secundario & minùs principali, subdist. contrarium est, si usus ipse seu carnalis conjunctio spectetur, conc. Si jus & potestas mutuæ traditionis corporum, neg. propos. Licèt enim B. Virgo ne implicitè quidem in usum Matrimonii consenserit, non minùs tamen verum & integrum fuit ejus cum Josepho Matrimonium, tùm propter unionem animorum ad individuæ vitæ inter illos societatem, tùm propter jus & potestatem mutuæ corporum traditionis, circa quam S. Augustinus, *divinæ*, inquit, *dispositioni se subjecit*, B. Virgo, *dum proposuit se perseveraturam virginem*, *nisi Deus aliter ei revelaret*. Porro ait S. Thomas in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3. *potentia ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actûs, qui quidem nunquam fuit in proposito B. Virginis.*

Ob. 5to. Gratianus causâ 27. cap. 16. 46
adducit S. Augustinum sic loquentem: *Non est dubium illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtionem sexûs.* Et c. 17. laudat S. Leonem, sic, ut ipse refert, scribentem: *Cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem non haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum: dubium non est eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.* Ergo Matrimonio essentiale est, ut realem Christi cum natura humana conjunctionem exhibeat per copulam carnalem per quam fit, ut duo sint una caro: sicut ex unione duplicis in Christo naturæ una persona resultat.

Resp. neg. ant. nam 1mo. textus à Gratiano laudatus tanquam S. Augustini apud eundem S. Doctorem non legitur, qui totus noster est, ut patet ex probationibus adductis. 2do. Gratianus in textu S. Leonis perperam inseruit particulam *non*, cujus hæc sunt verba Epist. 92. *Cùm societas nuptiarum ita à principio sit instituta, ut præter commixtionem sexuum, habeant in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* Et verò genuinam esse hancce lectionem colligitur ex scopo S. Doctoris: in hac quippe epistola perstringit concubinatum, probatque eum non esse Matrimonium, quia Matrimonium præter commixtionem sexuum, habet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum: concubinatus autem non habet Christi mysterium; quia unio fornicaria vel adultera, utpotè solvenda, non potest repræsentare indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia. Sicque S. Leo sententiam nostram confirmat, tantum abest, ut ei contrarius sit; unde objectio ex eo falsò deprompta inutilis est.

Ob.

47 Ob. 6to. Finis Matrimonii est conservatio speciei per susceptionem prolis. Ergo actus seu usus videtur Matrimonio essentialis.

Resp. Dist. ant. Finis secundarius Matrimonii, conc. Primarius, & essentialis, neg. ant. Solutio patet ex dictis.

48 Ob. 7mo. Matrimonium ratum & non consummatum dissolvi potest. Atqui verum & perfectum Matrimonium dissolvi non potest. Ergo ante consummationem non est verum & perfectum Matrimonium.

Resp. neg. major. Matrimonium quippe, sive ratum dumtaxat, sive ratum & consummatum, ex se perpetuum est, firmum ac indissolubile, quamquam dispari gradu: major quippe est firmitas Matrimonii consummati, quod sola duntaxat morte potest dissolvi, quàm rati tantùm, quod potest dissolvi per solemnem Religionis professionem, ùt posteà dicemus.

49 Ob. 8vo. Vinculum seu nexus ille perpetuus, quo conjuges inter se colligantur, est effectus consequens Matrimonium. Ergo in tali nexu non videtur reponenda essentia Matrimonii.

Resp. neg. ant. Vinculum illud est quidem effectus mutui consensûs seu contractûs, non verò est effectus Matrimonii; imò potiùs est formaliter ipsum Matrimonium. *Est enim Matrimonium*, ait S. Thomas anteà citatus, *vinculum, quo Conjuges ligantur formaliter, non effectivè.*

50 Inst. 1mo. Matrimonium est verus contractus: Sed contractus formaliter consistit in consensu mutuo contrahentium verbis vel nutibus expresso. Ergo Matrimonium formaliter consistit in contractu seu mutuo conjugum consensu exteriùs manifestato.

Resp. Dist. maj. Matrimonium est verus contractus præsuppositivè, vel causaliter & effectivè, id est contractus & mutuus consensus est causa efficiens Matrimonii ad quod proindè præsupponitur, conc. Matrimonium est verus contractus formaliter, quasi in eo forma seu essentia Matrimonii consistat, neg. maj. Matrimonium enim formaliter & essentialiter non est contractus ipse sed vinculum illud, quo conjuges ligantur, quod effectus est contractûs & mutui consensûs, ut jam sæpiùs dictum.

Inst. 2do. Si Matrimonium, ut est 51 naturæ officium, formaliter consistit in vinculo seu nexu illo perpetuo, quo ligantur inter se conjuges, tunc sequitur, Matrimonium, etiam quatenùs Sacramentum est, in eodem vinculo seu nexu illo formaliter esse reponendum; Christus enim naturam contractûs conjugalis non mutavit, cùm ei dignitatem addidit Sacramenti. Atqui Matrimonium, quatenùs Sacramentum est, non potest in vinculo seu nexu illo reponi, nam sic formaliter consisteret in re aliqua fixa & permanente, nempe in vinculo, quod firmum est ac perpetuum; quod falsum est, tùm quia usus Sacramenti, quod in re permanente consistit, gratiam producit, ut patet in usu Eucharistiæ; at usus Matrimonii non producit gratiam: tùm quia communis est Theologorum sententia, proprium esse solius Eucharistiæ, ut in re fixa & permanente collocetur. Ergo Sacramentum Matrimonii in actione quadam fluente & transeunte debet reponi, non verò in illa unione seu nexu constanti ac perpetuo; consequenter & ipsum Matrimonium, quatenus est naturæ officium.

Resp. 1mo. neg. sequel. maj. Neque enim necesse videtur, ut in eo ipso formaliter reponatur essentia Matrimonii quatenùs Sacramentum est, in quo reponitur essentia ejusdem, quatenùs est officium naturæ; sed satis est, quòd Christus Matrimonium, quod olim duntaxat erat in naturæ officium, evexerit ad digni-

dignitatem Sacramenti, eique indiderit vim efficacem ad gratiam producendam finibus Matrimonii consentaneam, non mutatâ naturâ contractûs, sed ei tantùm superaddita dignitate Sacramenti; undè dici posset naturam quidem Matrimonii, quatenùs est in officium naturæ, positam esse in vinculo seu nexu permanente ac perpetuo; illius verò naturam, quatenùs ipsum est Sacramentum, consistere in actione fluente & transitoria, per quam conjuges inter se uniuntur fœdere conjugali. Et ratio est, quòd Matrimonium ut contractus humanus præcipuè consideretur secundùm suum esse factum, ut dicitur; ut Sacramentum verò consideretur in suo fieri. Undè

Resp. 2do. neg. sequi ex nostra sententia, Matrimonium, ut Sacramentum est, in re aliqua permanente formaliter consistere. Nam, ùt primùm observavimus, ut Sacramentum est, non reponitur in illo vinculo considerato in suo facto esse, sed in suo fieri, quatenus nempe resultat vinculum illud tùm ex mutuo conjugum contractu, tùm ex actione Ministri conjuges unientis; adeoque habet esse fluens & transiens, sicut alia Sacramenta, si una excipiatur Eucharistia.

52 CAPUT II.

De institutione Matrimonii, ut est naturæ officium.

MAtrimonium, ut diximus, spectari potest vel ut est contractus naturalis in officium naturæ, vel ut est verum Sacramentum ad gratiam conjugibus impertiendam. De illius institutione ut est contractus naturalis & in officium naturæ hîc nobis sermo; de illius institutione, ut est Sacramentum, parte sequenti acturi.

Hîc ergo quæritur, utrum Matrimonium lege naturali ac divina positiva sit institutum.

Pro quo Notand. post S. Thomam in Supplem. q. 41. a. 1. in ⊙ aliquid dici posse homini naturale duobus modis: 1mo. quia ex principiis & ex necessitate naturæ fluit; ita cogitare est naturale homini: 2do. quia ad id natura propendet, quod ipsi consentaneum est; hoc sensu virtus homini naturalis dici potest.

Jus naturale, ajunt vulgò Juris-Consulti & Theologi, illud est, quod convenit homini, spectatis naturæ principiis secundùm se, & ex principiis naturæ rationalis optima ratione deducitur, sive spectetur homo secundùm se sive ut, vitam socialem agens. Hoc verò Jus naturale duplex est: alterum justitiæ, sive necessitatis; alterum utilitatis. Justitiæ quidem vocant, quod non tantùm permittit fieri, sed ita jubet, ut oppositum non liceat, ut non furari, non occidere, &c. Jus autem utilitatis vocant, quod quidem non jubet ita, ut oppositum peccatum sit, sed liberam facultatem concedit utendi re aliqua tanquam utili vel honestâ, tale est jus naturale Matrimonii.

Nonnulli Græci, inter quos S. Damascenus lib. 2. de fide Orthod. cap. 30. & lib. 4. cap. 25. Euthymius in Psalm. 50. ad ista verba: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum &c.* existimant nuptias non esse ex prima naturæ institutione ante peccatum, sed ex peccato duntaxat originem traxisse.

CONCLUSIO. 53

Matrimonium ut est contractus naturalis in officium naturæ, ex ipsamet Lege naturali originem trahit; quam Deus subindè lege positiva confirmavit.

Prob. 1ma. pars ex ipsa natura, quæ, etiam seclusô peccatô, hominem inclinat,
tùm

tùm ad prolis generationem, ad quem finem ordinata eſt ſexuum diverſitas; tùm ad educationem & nutritionem illius; tùm ad ſpeciei ſeu generis humani conſervationem; quos fines aſſequi meliùs ac tutiùs natura non poteſt, quàm legitimo nuptiali fœdere: undè inferunt Theologi, vagam Venerem ſeu fornicationem his finibus aſſequendis parùm idoneam, naturæ ipſi repugnare.

Secunda pars oſtenditur 1mo. Quia quidquid eſt à natura inſtitutum, ad Deum naturæ auctorem meritò referri poteſt. 2do. Eva ex coſta ipſius Adami formata fuit & ipſi data in uxorem. Hoc ipſum divini Spiritûs inſtinctu intelligens Adamus in hæc verba prorupit, Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. . . . Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Quibus verbis*, ait Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. unicô de Matrim. *perpetuum & indiſſolubile eſſe Matrimonii nexum primus humani generis parẽs divini Spiritûs inſtinctu pronuntiavit.* 3tio. Denique Chriſtus ipſe ad utramque Matrimonii inſtitutionem, tam eam, quæ eſt ex natura, quàm quæ ex Dei verbo, reſpexiſſe videtur, cùm ait Matth. 19. v. 4. *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. . . . Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Ita Chriſtus Phariſæos malignè interrogantes, an liceret dimittere uxorem ſuam, revocat ad primam Matrimonii originem & inſtitutionem.

Ex quibus compertum eſſe debet, in 54
paradiſo, ante peccatum, inſtitutum, & initum fuiſſe Matrimonium Adamum inter & Evam, illamque nuptiarum legem, quam ipſa natura dictaverat, à Deo ratam & confirmatam fuiſſe. Ita vulgò ſentiunt Scriptores Eccleſiaſtici, Tertullianus lib. de anima cap. 11. & lib. de exhortatione caſtitatis cap. 5. S. Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Epheſ. S. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 13. Lib. de Geneſi ad litt. cap. 19. & Lib. 14. de Civit. Dei cap. 22. Innocentius Papa III. lib. 2. Epiſt 209. Magiſter Sentent. lib. 4. diſt. 26. Ita pariter Concilium Moguntinum in procemio hujus Tractatus laudatum. Et Concilium Colonienſe 1536. part. 7. cap. 41. *Matrimonium enim*, inquit, *ante lapſum Adæ propter procreandos liberos inſtitutum, ac benedictione Dei firmatum, qua dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram: peculiariter autem homini, Erunt duo in carne una &c. Nec ratio conjunctionis ſeu benedictionis poſt lapſum deficit, ſed tantùm quod ſanis potuit eſſe officium, id ægrotis etiam factum ſit remedium.* Matrimonium igitur, quod ante peccatum fuit in officium naturæ, poſt peccatum factum eſt in remedium concupiſcentiæ, nulla nova conſtitutione, ſed ſola rerum mutatione. Tandem à Chriſto ad dignitatem Sacramenti in nova Lege evectum fuit, quod ſequenti parte tertia demonſtrabimus.

55
CAPUT III.
De Materia & Forma Contractûs Matrimonialis.

IN Matrimonio duplex considerari potest materia, nempe una ex qua constat contractus matrimonialis; & altera, circa quam versatur contractus iste; prior alio nomine vocatur *materia proxima*, hæc verò *remota*, de qua hîc nulla movetur quæstio; omnes enim ultrò fatentur eam esse propria conjugum corpora, sunt enim objectum & subjectum contractûs matrimonialis, ut quæ per eum dentur ac acceptentur à conjugibus per mutuam pactionem. Ergo de sola materia proxima seu *ex qua* constat contractus Matrimonialis hîc quæritur, ut & de forma illius.

Circa quas nihil ab Ecclesia definitum habemus, undè tanta opinionum varietas & dissonantia. *In materia & forma Matrimonii statuenda*, inquit Melchior Canus lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. *adeò sunt inconstantes & varii, adeò incerti & ambigui* (Scholastici Theologi) *ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere.* Pro summa igitur, quæ hîc est, sentiendi libertate, quam ultrò cuivis relinquimus, nihil decidemus, ne ineptire videamur; nihil tamen vetat, quin declaremus, quidnam, in tanta opinionum varietate, nobis probabilius videatur, idque breviter.

Probabilius igitur videtur materiam ex qua constat Matrimonium esse in actibus contrahentium reponendam; iis enim contractus matrimonialis intrinsecè componitur; ex iis nempe sequitur effectus Matrimonii, alienatio scilicet proprii corporis, & jus ad alienum. Porro ex quo contractus matrimonialis componitur, illud dicitur illius materia *ex qua* seu proxima.

Forma verò illius videntur esse hæc verba, aut in mutis, signa illis æquivalentia; *Accipio te in meam, accipio te in meum.* Per illa namque verba, aut signa eis æquivalentia (modò tamen servatis servandis proferantur) contractus matrimonialis perficitur: dantur nimirum, ut mox dictum est, & acceptantur corpora conjugum in ordinem ad actum conjugalem.

CAPUT IV. 56
De causa efficiente contractûs Matrimonialis, mutuo scilicet contrahentium consensu.

SUprà diximus mutuum contrahentium consensum, in quo consistit essentia Matrimonii *in fieri*, causam esse efficientem Matrimonii *in facto esse* seu vinculi & nexûs perpetui, qui ex consensu virum inter & mulierem resultat.

Circa hunc consensum quæritur 1mo. An sit omninò necessarius ad ratum Matrimonium. 2do. An expressus esse debeat & manifestus, necnon ab errore immunis. 3tio. An liber, sincerus, & non fictus; an absolutus & minimè conditionatus. 4to. Quodnam sit hujus consensus objectum. 5to. An consensus parentum requiratur.

Ad 1mum. Resp. affirmativè: quia 57
per Matrimonium intima fit animorum ac mutui amoris conjunctio; fit & mutua corporum traditio & acceptatio. Atqui sine consensu stare ista non possunt nec intelligi; ut patet. *Consensus*, inquit Nicolaus I. apud Gratianum causâ 27. q. 2. cap. 2. *si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Nicolai verba repetit & confirmat Innocentius III. Cap. *Cùm apud Sedem.* Cap. *Tuæ paternitatis.* Cap. *Tuas.* Tit. *De Sponsa duorum.* Et

Alexan-

Alexander III. Cap. *Cùm locum.* Tit. *De Sponsal.* ait *Matrimonium solo consensu contrahi.* Dum Summi Pontifices solum consensum exigunt, non excludunt alia necessaria secundùm leges divinas aut Ecclesiasticas; sed duntaxat innuere volunt, solum consensum contrahentium esse causam efficientem vinculi Matrimonialis. Concilium Florentinum in *Decreto.* & Tridentinum Sess. 24. c. 1. *de reform. Matrim.* idem pariter docent. Mutuus quoque esse debet consensus ille; undè si ex parte unius duntaxat contrahentium desit, tunc nullum est Matrimonium; *quia*, inquit S. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. quæstiunc. 4. *Matrimonium consistit in mutua conjunctione.*

58 Ad 2dum. Consensus ille debet esse expressus ac publicus, & ab omni errore immunis. 1mo. Expressus esse debet; quia est velut materia contractûs Matrimonialis. Atqui non potest esse materia, nisi fiat sensibilis per aliquod signum exterius. Item consensus unius conjugis debet ab alio acceptari: at id fieri non potest, nisi cognoscatur per aliqua signa externa: homines quippe sensa sua & cogitationes communicare invicem non possunt sola directione & intentione animi, sicut Angeli faciunt, sed per externa quædam symbola, sive sint verba, sive quodcumque aliud signum. Denique, quia aliàs sequeretur inter homines locis sejunctissimos, ac mutuum consensum planè ignorantes, Matrimonium intercedere posse, ex quo certè quanta rei civilis & Ecclesiasticæ perturbatio secutura esset, nemo non intelligit.

Debet etiam esse publicus, non clandestinus, sed in facie Ecclesiæ coram proprio Parocho celebratus; aliàs nullus est & irritus. Ita apertè docet Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 1. de reform. Matrim. Debet etiam esse ab errore immunis. Quadruplex verò error contingere potest in Matrimonio. 1mo. error personæ quoad substantiam; ut si putem esse Petrum, qui Joannes est. 2do. error conditionis, quoad servitutem; ut si fœmina consentiat in servum, quem putat liberum. 3tio. error qualitatis accidentalis; ut si putet adolescentem esse nobilem, aut castum, qui tamen talis non est. 4to. error fortunæ; ut si divitem putet, qui pauper est. Primus & secundus error impedit legitimum consensum; non autem tertius & quartus; quia consensus Matrimonialis directè fertur in personam determinatam & liberam, quæ habet potestatem sui corporis, & potest etiam alteri eam tradere; non autem in qualitatem aut fortunam personæ.

Ad 3tium. 1mo. Consensus ille liber 59
esse debet. Hæc enim esse debet in omni contractu necessaria conditio, quantò magis in contractu Matrimonii, unde tam arcta ac reciproca nascitur inter conjuges obligatio. Unde Matrimonium (*k*) per vim & metum gravem injustè ab extrinseco incussum contractum prorsùs nullum est & invalidum. Id constat ex pluribus Juris Canonici decretis, præsertim Cap. *Cùm locum.* Cap. *Veniens.* Tit. *De Sponsal. &c.* idque fuit convenientissimè statutum spectatâ naturâ Matrimonii. Nam cùm Matrimonium perpetuam & indissolubilem unionem inducat, ideò maximam requirit libertatem: & certè experientiâ constat, quàm infelices exitus ex invitis nuptiis proveniant.

Diximus 1mo. *per vim & metum gravem*, scilicet qui cadit in virum constantem, quia de hoc tantùm metu loquuntur

 citati

(*k*) Vide dicta in Tract. de Act. Hum. Tom. 3. ubi de Voluntario, & metu egimus.

citati Canones: undè metus, qui, ſpectatis circumſtantiis, eſſet levis, non ſufficeret ad Matrimonium dirimendum. 2do. *Injuſtè incuſſum.* Quia ſi metus juſtè incutiatur, quantumcumque gravis ſit, modò uſum rationis non auferat, irritum non facit Matrimonium, ut patet in eo, quem Judex metu mortis cogit ad ducendam puellam, quam corrupit. Ratio eſt, quia metus in tali caſu eſt potiùs ab intrinſeco quàm ab extrinſeco: ſtuprator enim liberè fecit rem tali comminatione dignam; & ideò ſi deprehenſus concipit metum, ſibi ipſi imputare debet, nec ei fit injuria. 3tio. *Ab extrinſeco:* omnes enim conveniunt, metum, ſi incutiatur à cauſa naturali & neceſſaria, non irritare Matrimonium, quia ille, qui tunc timet, propriâ ſpontè eligit Matrimonium tanquam medium vitandi mali, quod imminet, neque ab alio, ſed à ſe ipſo impellitur ad Matrimonium. V. g. ſi quis metu inferni, aut mortis ex morbo aut naufragio imminentis, ducat concubinam, tunc validum eſt Matrimonium.

Circa metum reverentialem, quo inferior ob reverentiam Superioris, quem timet offendere, aliquid facit, quod aliàs nollet facere, non conveniunt Theologi; omnes tamen concedunt, metum reverentialem eſſe inſtar metûs gravis, ſi habeat minas verborum graviorum, vel alterius gravis damni conjunctas, & verbera ſequi ſoleant easdem minas, aut rationabiliter timeantur.

2do. Conſenſus ille debet eſſe ſincerus & non fictus. Cap. *Tua nos.* Tit. *De Sponſalibus.* Et ratio eſt 1mo. Quia conſenſus fictus & fallax, non eſt verus conſenſus; qui tamen hîc requiritur. 2do. Matrimonium eſt eſſentialiter contractus, quo contrahentes ſibi invicem donant ſuas perſonas, quod certè fieri non poteſt ſine ſincero conſenſu. 3tio. Matrimonium eſt vinculum perpetui & mutui amoris; eſt etiam animorum conjunctio, quæ omnia eſſe non poſſunt ſine vero conſenſu.

Quòd ſi igitur unus contrahentium Matrimonio fictè tantùm conſenſit, graviter peccavit tùm peccatô Sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, quod invalidum fuit; tùm etiam peccatô injuſtitiæ, propter injuriam, quam in re gravi intulit alteri bona fide contrahenti: qua de cauſa ordinariè tenetur ſub peccato mortali de novo conſentire, & verum Matrimonium efficere. Adeoque Confeſſarius tenetur admonere pœnitentem, qui in Matrimonium fictè conſenſit, 1mo. Ut conſenſum ſincerum præbeat. 2do. ipſum pariter admonere debet, quòd nullo modo poſſit uti Matrimoniô donec verum conſenſum adhibuerit: cùm enim Matrimonium ſit nullum, nunquam exigere poteſt, vel reddere debitum conjugale; eſſet enim peccatum fornicationis.

3tio. Variæ conditiones apponi poſſunt 60
in Matrimonii contractu; quarum aliæ ſunt generales; aliæ ſpeciales, quæ ſunt vel intrinſecæ, vel extrinſecæ, de præterito, vel de præſenti, vel de futuro. Verùm hæ conditiones ſpectant duntaxat ſponſalia, non ipſum Matrimonium; neque enim poſt Concilium Tridentinum cuiquam licet Matrimonium ſub conditione contrahere; conjugalis enim contractus fit per verba de præſenti; nec licet exponere Sacramentum variis ambagibus & periculo invaliditatis, quod tamen evenit, quando apponuntur conditiones contractui Matrimonii. Sponſalia ergo duntaxat ſpectant enumeratæ conditiones, dicuntur autem Matrimonio apponi, quia ad illud tendunt.

Generales verò conditiones ſunt eæ, quæ in omni contractu includuntur, ſive exprimantur, ſive non: v. g. ſi quis dicat, *Ducam te in uxorem, ſi vixerimus, ſi Deus voluerit, &c.* hujusmodi conditiones

tiones contractum non suspendunt, quæ planè sunt generales ac necessariæ. Speciales aliæ sunt intrinsecæ, sine quibus stare non potest Matrimonium: v. g. si quis dicat, *Ducam te in uxorem, si non sis mea consanguinea*, vel *si non sis Matrimonió jam copulata.* Hujusmodi conditiones intrinsecæ non suspendunt contractum, quia necessarió includuntur in contractu, ac perinde est sive exprimantur, sive taceantur; & idcircò non habent vim veræ conditionis, cujus proprium est suspendere effectum. Aliæ sunt extrinsecæ; & rursùs ex istis aliæ sunt necessarió eventuræ, ut *Contraham tecum si sol manè oriatur.* Hæ conditiones non suspendunt contractum, ac perinde se habent, ac si appositæ non fuissent. Ita in Jure civili, *Qui sub conditione stipulatur, quæ omninò extitura est, purè videtur stipulari.* Ratio est, quia cùm futura illa conditio jam præsens sit & determinata in sua causa naturali, ita ut impossibile sit oppositum esse, censetur jam impleta: Aliæ sunt omninò impossibiles, ut *Contraham tecum, si cœlum digitô tetigeris.* Hisce conditionibus contractus conjugalis non suspenditur, siquidem pro non adjectis haberi debent. Cap. *Si conditiones.* Tit. *De conditionibus appositis.*

Denique aliæ sunt vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro. Si sint de præterito vel præsenti, & contrahentes certò sciant jam esse impletas, tunc non solùm validum est Matrimonium, sed etiam Matrimonió uti possunt: si verò contrahentes dubitant vel ignorant tales conditiones esse adimpletas, tunc Matrimonió uti non possunt, sed expectare debent, donec certò sciant conditiones adimpletas esse.

Si verò conditiones sint de futuro, vel sunt honestæ, vel sunt turpes, non tamen repugnantes substantiæ Matrimonii aut ejus obligationibus essentialibus; vel denique sunt turpes atque substantiæ Matrimonii adversantes.

Certum est 1mo. Conditiones honestas v. g. *Contraho tecum si pater consenserit*, non invalidare contractum Matrimonii, sed tantùm suspendere usque ad conditionis eventum, ut patet ex cap. *Super eo.* Tit. *De conditionibus.*

Certum est 2do. Conditiones turpes, quæ non adversantur substantiæ Matrimonii, pro non adjectis habendas esse, neque iis contractum suspendi: ut si quis diceret, *Contraho tecum, si furtis & latrociniis mecum operam dare volueris.* Ita habetur cit. cap. *Si conditiones.* Tit. *De conditionibus appositis.* Et hoc fit in favorem Matrimonii. Supponitur tamen verum fuisse consensum: si enim non esset verus & sincerus consensus, tunc nullum esset Matrimonium, ut constat ex supra dictis.

Certum est 3tio. Conditionibus, quibus ipsa Matrimonii substantia, seu bona, nempe fides (*l*), proles, & Sacramentum, violantur, nullum & irritum fieri Matrimonium. Ita statutum legimus à Gregorio IX. Cap. cit. *Si conditiones.*

Porro consensus in Matrimonium, 61
iis verbis aut signis exprimi debet, quæ juxta

(*l*) *Fides* hìc non sumitur pro virtute Theologica, qua assentimur iis, quæ divinitùs revelata sunt; sed pro ea parte justitiæ, qua promissis stamus; sicque conjux fidem servat alteri conjugi, dum ad alium vel aliam non accedit; frangit verò, si alteri commisceatur. Nomine autem *Sacramenti* intelligitur firmitas & indissolubilitas contractûs conjugalis, quæ ideò dicitur Sacramentum, quia est signum indissolubilis conjunctionis Christi cum Ecclesia. Per *prolem* intelligitur ipsius procreatio, quæ intenditur per Matrimonium.

juxta consuetudinem loci, aut communem intelligendi modum exprimunt consensum de præsenti; Matrimonium enim non fit nisi per consensum de præsenti: caeterùm consensus ille, quantùm fieri potest, &, ùt loquitur Eugenius in Decreto ad Armenos, regulariter debet exprimi per verba de præsenti secundùm usum Ecclesiæ, à quo sine justa causa recedere non licet.

62 Ad 4tum. Ex dictis cap. 1. Objectum Matrimonii primarium ac principale est conjunctio animorum cum potestate ad mutuam traditionem corporum. Dicimus *cum potestate*, non cum usu traditionis corporum, idest, carnali conjunctione: namque, ut suprà jam insinuavimus, B. Virgo verum Matrimonium contraxit cum viro suo Josepho, quæ tamen de carnali conjunctione minimè cogitavit. Quia igitur prolis susceptio bonum est duntaxat secundarium ac minùs principale Matrimonii, idcircò firmus ac verus esse potest contractus conjugalis, tametsi contrahentis animus in copulam non feratur.

63 Ad 5tum. Ad validè contrahendum Matrimonium necessariò non requiritur consensus parentum. Ita docet Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 1. *De reform.* ubi anathemate damnat eos, qui falsò affirmant Matrimonia à Filiis-familias sine parentum consensu contracta esse irrita, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Ante Concilium istud idem decreverant Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum cap. 3. Innocentius III. Cap. *Tuæ fraternitati.* Tit. *De Sponsalibus.*

Attamen ut licitè contrahi possit Matrimonium ordinariè requiritur hujusmodi parentum consensus. Constat id 1mo. ex S. Scriptura, quæ sæpè insinuat ad parentes pertinere filios Matrimoniô jungere (*m*). 2do. Summi Pontifices S. Leo, Clemens III. &c. docent Matrimonia sine consensu parentum contracta illicita esse & ab Ecclesia reprobata. Idem affirmavit Concilium Tridentinum cit. cap. 1. Sess. 24. ubi *Matrimonia*, inquit, *à Filiis-familias sine consensu parentum contracta . . . sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque probibuit.* 3tio. Ratio naturalis evincit consensum parentum requiri tùm ob eorum potestatem & reverentiam ipsis debitam; tùm ob communem Reipublicæ utilitatem; tùm denique quia ipsæ leges severè puniunt filios Matrimonium contrahentes sine consensu parentum, &c.

Diximus, ad contrahendum Matrimonium, parentum consensum *ordinariè* requiri: quia sunt nonnulli casus, in quibus fatentur Doctores non peccaturos filios, si ex justa causa Matrimonium ineant post petitum parentum consensum, licèt non obtentum.

Verùm de consensu parentum ad contrahendum Matrimonium requisito iterum ex professo & uberiùs infrà cap. 6. agemus.

CAPUT V.

64

De proprietatibus Matrimonii & ejus præcepto.

TRia à Theologis post SS. Augustinum & Thomam distinguuntur bona Matrimonii, nempe fides, proles, & Sacramentum. Nomine fidei, ut suprà in nota jam annotavimus, hîc non intelligitur Theologica hujus nominis virtus, sed ea justitiæ pars, qua promissis conjuges

(*m*) Genes. 24. & 28. Exod. 34. & Deut. 7.

juges stare debent, in servanda scilicet thori conjugalis fide ac integritate, ne ad aliam vel alium accedant. Per Sacramentum hîc intelligitur signum unionis sacræ ac perpetuæ, quæ est inter Christum & Ecclesiam. Per Prolem intelligitur hîc ipsius procreatio, quæ intenditur per Matrimonium. Fides Matrimonii unitatem, Sacramentum firmitatem & indissolubilitatem, proles verò necessitatem demonstrat, quæ præcipuæ sunt Matrimonii proprietates.

Circa prolem seu necessitatem Matrimonii nihil est, quod nos moretur; de aliis ergo duabus proprietatibus, unitate scilicet, & indissolubilitate, de quibus graves moveri solent difficultates, duobus paragraphis nobis dicendum est; necnon de ejus præcepto.

§. I.

65 ### *De unitate Matrimonii.*

Matrimonii unitati opponitur polygamia (*n*), seu uxorum pluralitas: hæc autem vel est successiva, cum nempe uno conjuge mortuo, alter ad secundas vel ulteriores nuptias convolat; vel simultanea, cùm nempè eodem tempore aut vir plures uxores, aut mulier plures habet viros; de iis quæritur, an, & cui Juri repugnent?

Certum est, polygamiam, qua una mulier multis simul viris nuberet, esse contra jus naturale, quia ejusmodi conjunctio adversatur fini Matrimonii duplici, scilicet prolis generationi; experientiâ enim constat meretrices esse infœcundas: & certitudini patris, quia incertum redderet filiorum patrem, qui tamen necessarius est congruæ eorum educationi. Quæstio igitur hîc solùm est, num polygamia, qua unus vir duceret plures vel successivè, vel simul uxores juri naturali & positivo divino adversetur. Ergo de polygamia tùm successiva tùm simultanea hîc nobis sermo est.

De Polygamia simultanea. 66

Primus inter mortales polygamiam exercuit atque duas simul uxores duxit Lamech septimus ab Adam ex posteritate Cain. *Genes.* 4. Illius exemplum posteà imitati sunt Gentiles, atque, impellente scilicet libidine, plures simul uxores duxerunt. Hanc consuetudinem in Mesopotamia jam Isaaci temporibus viguisse colligitur ex Genes. 29. ubi Laban duas suas filias Jacob simul in Matrimonium obtulit.

Exemplum Abrahami, qui primus inter sanctos viros cum pluribus simul uxoribus nupsit, polygamiæ viam aperuit veri Dei cultoribus: Ii nempè, non ut libidini facerent satis, sicut Gentiles, sed ut populi fidelis multiplicationi consulerent, plurima simul inière matrimonia.

Moyses polygamiam simultaneam, tamquam morem communiter apud Israelitas usitatum recenset Deut. 21. imò eam ultrò præcepit in uno casu, ubi nempè germanus frater sine liberis obiisset: tunc enim frater, qui esset superstes, jubebatur mortui viduam ducere in Matrimonium, ut eidem mortuo suscitaret hæredem, etsi fortè jam uxorem haberet.

Primus, qui inter Christianos poly- 67
gamiam exercuerit ac probarit, dicitur à Socrate Valentinianus Senior; scribit enim lib. 4. hist. cap. 26. hunc Imperatorem legem tulisse, ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas, eamque

(*n*) Polygamia vox Græca à *Polygamos*, quod idem est ac *multinubus* derivatur.

eamque in ſingulis civitatibus divulgaſſe, qua divulgatâ ipſum Juſtinam duxiſſe uxorem, quamvis Severa, quam priùs duxerat, adhuc ſuperſtes eſſet. Sed multa evincunt deceptum fuiſſe Socratem & falſa ſcripſiſſe. Namque 1mo. Zozymus, Ammianus, Auctores Ethnici, qui geſta Valentiniani ſcripſerunt, necnon Sozomenus, Theodoretus, aliique, qui tunc vixère Scriptores Græci, id, quod Socrates refert de polygamia Valentiniani, prætermiſerunt. 2do. S. Hieronymus, Oroſius, & cæteri Auctores Latini, qui ejusdem Imperatoris ætate floruerunt, de ejus polygamia & lege ab eo lata omninò ſiluerunt, quamvis de polygamia non ſemel ſermonem habuerint.

Certiora ſunt ea, quæ de Luthero, Philippo Melanchtone, Martino Bucero, Antonio Corvino, Adamo, Joanne Leningo, Juſto Wintferte, Dionyſio Melandro, Novatorum Germaniæ anteſignanis, refert Jacobus Benignus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis lib. 6. hiſt. Variat. Eos ſcilicet annô 1539. Philippo Haſſiæ Landgravio auctores fuiſſe, ut duas ſimul duceret uxores, quòd nullo divino aut naturali jure prohibita eſſet Polygamia ſimultanea. Hujus rei invicta monumenta legi poſſunt apud eundem Boſſuetum loc. cit. Item apud Juenin in Commentario hiſtorico & dogmatico de Sacramentis Diſſert. 10. de Matrim. q. 4. c. 1. §. 2. Præclaram hanc Lutheri & ſociorum doctrinam amplexi ſunt Anabaptiſtæ.

At contra Calvinus cenſuit Polygamiam ſimultaneam repugnare juri tùm naturali tùm divino: hincque concludit ſanctos Patriarchas reos factos fuiſſe adulterii, quòd pluribus ſimul mulieribus adhæſerint, quod tamen Deus, quia prædeſtinati erant, ipſis non imputârit.

Quamvis conſtet apud omnes Catholicos Theologos ſimultaneam uxorum pluralitatem prohiberi poſitiva lege Evangelii, nonnulli tamen cenſent eam non repugnare legi naturali, ac conſequenter ſanctis Patriarchis opus fuiſſe diſpenſatione divina, ut licitè plura ſimul inirent Matrimonia; nec peccare Gentiles, qui etiamnum idem factitant, ex ignorantia invincibili legis Evangelicæ. Sed cum communiori Theologorum ſententia ſit

CONCLUSIO. 61

Pluralitas uxorum adverſatur legi naturali: in ea tamen Deus diſpenſavit cum veteribus Patriarchis, & aliis in lege Moſaica: Sed Chriſtus Dominus in lege nova ejusmodi diſpenſationem planè revocavit, conjunctionemque cum pluribus ſimul uxoribus illicitam fecit ac prorsùs irritam. Tres hujus Concluſionis ſunt partes.

Prob. itaque 1ma pars. 1mo. Ex Scriptura. Geneſ. 2. v. 24. dicitur: *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Atqui duorum in una carne conjunctio polygamiam ſimultaneam excludit, qua non duo, ſed tres quatuorve eſſent in una carne. 1. Corinth. 7. *Mulier*, inquit Apoſtolus, *ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ergo ſicut jure naturali corpus uxoris eſt in poteſtate viri, atque totam ſe per Matrimonium viro tradit, ita & viri corpus eſt in poteſtate mulieris, atque hic ſe totum mulieri tradit: quemadmodùm igitur ſine injuſtitia mulier alteri, quàm viro ſuo, commiſceri non poteſt, ita nec vir alteri uxori. *Uxori vir debitum reddat, & uxor viro*, ait ibid. Apoſtolus. adeoque Maritus debet conjugale debitum uxori quam priorem duxerit, quoties ipſa loco & tempore debitis petierit. Ergo vir non poteſt inire Matrimonium

cum altera; nam per alterum Matrimonium prior uxor jure suo frustraretur: quippe fieri posset, ut posterior mulier simul cum priore debitum peteret, eoque indigeret, ne pateretur castitatis detrimentum: posset quoque fieri ut vir, persolutô secundæ uxori debitô, impar esset persolvendo priori.

69 Prob. 2do. Ex Patribus, qui Lamechum tanquam adulterum & violatæ legis accusant, quòd omnium primus duas acceperit uxores. Tertullianus lib. de exhort. castit. cap. 5. *Non tres*, inquit, *nec quatuor: alioquin jam non una caro, nec duo in carnem unam. . . : Numerus Matrimonii à maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.* Idem repetit lib. de Monogamia c. 4.

S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. cap. 8 sic scribit: *Una costa à principio in unam uxorem versa est; Et erunt duo in carne una, non tres neque quatuor; alioquin non jam duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius & homicida, unam carnem in duas divisit uxores.*

Nicolaus I. Epist. ad Lotharium Regem, qui duas acceperat uxores, scribit eum imitatum esse Lamechi adulterium. Et respondens ad consulta Bulgarorum num. 51. postquam Scripturæ testimoniis probavit uxorum pluralitatem nec ipsa origine humanæ conditionis admissam fuisse, nec ab ulla Christianorum lege permissam, sic prosequitur: *Hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione cataclysmô vindicatum fuerit; adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, nonnisi sanguine Christi abolitum fuerit, qui septima & septuagesima generatione secundùm Evangelium luxerit in mundum.*

S. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 4. parùm abest, quin hunc Patriarcham ejusdem criminis accuset, ob plures, quas duxerat, uxores; atque tamen pro ejus defensione hæc adduxit, 1mo. *Adulterium tunc temporis nondum lege prohibitum fuisse.* 2do. *Quòd amore posteritatis, non amore libidinis id fecerit, & de consensu uxoris, ac tandem rei hujus pœnitentiam egerit.* 3tio. *Quòd id in significationem & figuram rei futuræ, juxta Apostolum Gal.* 4. fecerit. Harum rationum prima absolutè rejici debet; adulterium quippe lege naturali semper omninò prohibitum fuit, eamque legem à nemine invincibiliter posse ignorari, agnoscit ipse S. Ambrosius eod. lib. c. 11. nisi quis dicere malit, illum loqui non de adulterio ipso, sed de pœna per legem adulteris imposita, quæ per Moysem primò determinata fuit.

Denique Innocentius III. Cap. *Gaudemus.* Tit. *De divortiis. Nec ulli unquam licuit*, ait, *plures simul uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Atque in confirmationem suorum dictorum adducit Scripturæ textus ex Genesi, quorum nos suprà jam meminimus.

Prob. 3tio. Ratione. 1mo. Quia inter fines Matrimonii computantur animorum intima conjunctio, individuæ vitæ societas, pax & tranquillitas in re familiari, filiorum liberalis educatio. Atqui ab his finibus plurimùm, aut potiùs omninò avertit uxorum simul pluralitas, prout apertum est, enimverò difficile est, ut vir omnes suas uxores æquali amore diligat; quòd si tamen non fecerit, quæ inde rixæ, quæ contentiones, quæ invidia & zelotypia inter ipsas ejusdem viri uxores? Exemplo esse possunt Sara & Agar, Lia & Rachel, inter quas, quæ discordiæ intercesserint, non dissimulat Scriptura, Genes. 16. &. 30. Difficile pariter est, ut in educandis filiis 70

& alendis non aliqua sit prædilectio & distinctio; unaquæque enim uxor suos proprios filios, magis quàm alterius diliget, & curabit; atque indè odia domestica, & dissidia intestina, quæ familiarum pacem conturbant, ex quo necesse foret conjuges vitam amarissimam trahere.

2do. Uxor non in thori tantùm consortium assumitur, verùm etiam in societatem gubernandæ familiæ: cujus quidem rei significandæ gratiâ prima mulier non ex pedibus, sed ex latere viri formata est. Eam autem gubernandæ familiæ potestatem, quam S. Chrysostomus Homil. 20. in Epist. ad Ephes. quemdam principatum appellat, multùm perturbaret uxorum pluralitas.

3tio. Denique, pluralitas uxorum simul repugnat Sacramentali significationi, quæ Sacramento inest, nempe significat unionem Christi cum Ecclesia. Atqui unus Christus unam sponsam duxit Ecclesiam.

71 Prob. 2da pars. 1mo. Ex Scriptura. Et quidem ex illo ipso Patriarcharum facto, quod multipliciter recenset Scriptura, quos verisimile non est proprio motu ac instinctu pluribus uxoribus jungi voluisse, nisi & conditio temporis, & divina dispensatio tunc permisisset. Et re ipsa Deus Genes. 21. v. 12. dixerat Abrahamo, ut ea omnia faceret, quæ Sara ejus uxor ipsi significaret: *Audi vocem ejus.* Cùm ergo Sara Genes. 16. v. 2. marito suo persuasisset, ut accederet ad Agar ancillam suam, *si fortè ex illa susciperet filios;* non immeritò asseritur Abrahamum aliosque veteres Patriarchas non peccasse, cùm plures uxores sibi copulârunt, quia, inquit S. Ambrosius suprà laudatus, *non amore libidinis sed posteritatis* ad id compulsi sunt. Item Deut. 21. v. 15. & 16. hæc statuuntur: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos non poterit filium dilectæ facere primogenitum & præferre filio odiosæ.* Quæ verba supponunt pervulgatam & probatam apud Hebræos consuetudinem ducendi plures uxores. Idem colligitur ex cap. 25. v. 5. ubi superstes frater etiam conjugatus debet ducere uxorem fratris sui absque liberis defuncti.

Prob. 2do. Ex Patribus. S. Ambrosius suprà laudatus lib. 1. de Abraham cap. 4. ubi scribit conjugium Abrahæ cum Agar *peccatum* non fuisse, sed *mysterium.* 72

S. Chrysostomus Hom. 56. in Genes. de Jacobo, qui duas sibi assumpsit uxores, sic habet: *Neque juxta statum, qui nunc est, opera, quæ tunc facta sunt, judices: tunc enim, quia principia erant, permissum fuit cum duabus vel tribus, vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur.*

S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. & lib. de bono conjugali c. 17. affirmat non peccasse Veteres, quando plures sibi copulârunt uxores. Et lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. consuetudinem illam Veterum plures ducendi uxores *inculpabilem* appellat; & quidem conditioni illorum temporum *congruentem* ait cap. 17. Lib. de bono conjugali: quia nempe pluralitatem hanc exigebat tunc temporis humani generis propagatio.

Innocentius III. Cap. *Gaudemus. De divortiis.* sup. cit. disertissimè conclusionem nostram confirmat his verbis: *Nulli unquam licuit simul plures uxores habere; nisi cui fuit divina revelatione concessum. . . . Sicut Jacob à mendacio, Israelitæ à furto, Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.*

Prob.

73 Prob. 3tia pars 1mo. Ex Scriptura. Matth. 19. ubi Christus Matrimonium ad primævam suam institutionem reduxit, concessionemque veteribus factam in causa polygamiæ rescidit dicens: *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet.* Quòd autem irritum fecerit Matrimonium cum secunda uxore altera adhuc vivente, declarat Luc. 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam*, inquit, *& alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Porro si adulter est, qui dimissa uxore cum altera copulatur, quantò magis, qui, sua retenta priori uxore, ad alteram accedit. Idem repetit Marc. 10. v. 12.

Hanc Christi doctrinam apertissimè declaravit Apostolus 1. Corinth. 7. v. 10. *Iis autem*, inquit, *qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et Rom. 7. v. 2. & 3. generatim sic pronuntiat: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi &c. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Quibus testimoniis compertum est, non tantùm illicitam, sed etiam omninò irritam esse conjunctionem viri cum secunda uxore, priori adhuc vivente.

74 Prob. 2do. Ex veterum Patrum & Conciliorum Traditione. Præter ea, quæ in probationibus primæ partis Conclusionis ex ipsis adduximus, testimonia accedunt

Concilium Milevitanum II. an. 416. Can. 17. ubi sic habet: *Placuit, ut, secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.*

S. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 7. *Non licet tibi*, inquit, *uxore vivente ducere aliam: nam & aliam quærere, cùm habeas tuam, crimen est adulterii.*

S. Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 4. post relata hæc verba Apostoli Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier, &c.* sic pergit: *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, plana sunt: nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non, si fornicetur.*

Innocentius I. Epist. 3. ad Exuperium cap. 6. ex his Christi verbis Matth. 19. *Qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit mœchatur &c.* colligit *manifestum esse eos, qui interveniente repudio, vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, alii se matrimonio copulârunt, adulteros esse.* Eandem ob causam ibidem Epist. 9. respondet invalidum esse Matrimonium ejus, qui falsò putans uxorem esse mortuam, cum alia contraxerat, *Quia*, inquit, *fide Catholica suffragante, illud est conjugium, quòd primitùs erat gratiâ divinâ fundatum; conjugiumque secundæ mulieris, priori superstite, nullo modo potest esse legitimum.*

Nicolaus I. in Responsis ad consulta Bulgarorum cap. 51. *Duas*, inquit, *tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit.*

Innocentius III. Cap. *Gaudemus.* Tit. *De divortiis.* sup. cit. ait, *hoc absonum esse & inimicum fidei Christianæ* (nempe unum virum pluribus simul uxoribus conjungi) *cùm ab initio una costa in unam*

fœminam sit conversa ; & Scriptura divina testetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Ponderat ibidem S. Pontifex non dixisse Scripturam, *tres vel plures, sed duos :* neque pariter dixisse, *adhærebit uxoribus, sed uxori.*

Alexander III. Cap. *Licet.* Tit. *De sponsa duorum.* respondet eum, qui per verba de præsenti contraxit cum una, posteaque alteri nupsit, *etiamsi copulam cum ista habuerit, debere tamen ab illa separari*, ac compelli, ut ad priorem redeat, veluti solam legitimam uxorem.

Indè meritò Concilium Tridentinum Seff. 24. Can. 2. sic statuit : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Ferit hic Canon Lutherum, qui in cap. 16. Genes. scripserat, non esse prohibitum plures simul habere uxores, exemplô Abrahæ : quia *Patrum exempla*, ajebat, *sunt adhuc libera, seque illam consuetudinem neque introducere velle, neque improbare posse.*

75 *Solvuntur Objectiones*

Contra probationes Conclusionis.

Ob. 1mo. Contra 1mam prob. Inter Veteres SS. Hieronymus, Augustinus, & Theodoretus testantur pluralitatem uxorum simul nulla prorsùs lege prohibitam fuisse Judæis. *Sciebat* (Apostolus) inquit S. Hieronymus Epist. 82. aliàs 83. ad Oceanum, *lege concessum, & exemplô Patriarcharum ac Moysis familiare populo noverat, in multis uxoribus liberos spargere.*

S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. scribit pluralitatem uxorum simul nulla lege fuisse prohibitam Patriarchis. *Peccata*, inquit, *alia sunt contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta ; quæ cùm sint ita, quid tandem criminis est, quòd de pluribus uxoribus simul habitis objicitur sancto viro* (Jacob?) *si naturam consulas, non lasciviendi, sed generandi causâ illis mulieribus utebatur ; si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur ; si præceptum, nulla lege prohibebatur.* Et lib. de bono conjugali cap. 17. *Plures fœminas*, inquit, *uni viro legimus, cùm gentis illius* (Judaicæ) *societas sinebat, & temporis ratio suadebat : neque enim contra naturam nuptiarum est.* Et lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 9. ait, *magis pertinere ad bonum nuptiarum, si unus & una, quàm si unus & multæ conjungantur.* Quibus verbis innuit, retineri adhuc nuptiarum bonum, tametsi minus, si unus pluribus uxoribus, copuletur.

Theodoretus quæst. 67. in Genes. excusat Abrahamum, quòd cum Agar, ipsa exhortante Sara, conjunctus sit, *Cùm*, inquit, *neque natura, neque ulla lex tùm scripta plures ducere uxores prohiberet.* Ergo juxta hos Patres polygamia simultanea non adversatur legi naturali.

Resp. Dist. conf. Polygamia non adversatur legi naturali, Deo dispensante, conc. Non dispensante, neg. conf. Certè S. Augustinus aliquando de Polygamia tanquam licita, velut de re perplexa obscuriùs locutus est ; quamquam nunquam eam defenderit ut simpliciter licitam, imò improbaverit magis lib. 1. de nupt. & concup. cap. 9. & lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 8. & 11. Cùm itaque ait eam nulla lege prohibitam fuisse, intelligit legem positivam : re vera enim nulla extat ; imò consuetudo contraria invaluerat apud Judæos, ipso dispensante Deo. Cùm verò addit *Polygamiam illam non esse contra naturam nuptiarum*, intelligit primarium nuptiarum finem, scilicet prolis generationem, non verò alios

alios saltem secundarios fines. Se ipsum exponit cit. cap. 17. de bono conjug. *Plures enim fœminæ*, inquit, *ab uno viro fœtari possunt, una verò à pluribus non potest.* Denique cùm ait, *Majus esse bonum Matrimonii, si unus uni copuletur*; impropria est comparatio, qualis fieri solet inter bonum & malum: in qua tamen hoc spectasse videtur S. Augustinus, quòd unius cum pluribus conjunctio bonum aliquod adferat, quòd in conjunctione unius cum una perinde non reperitur, videlicet numerosior proles, quæ causa fuit dispensandi cum veteri populo. Nam si nullum ibi fuisset bonum peculiare, dispensatio præter legem communem locum non habuisset. Eadem est ad S. Hieronymi & Theodoreti textus responsio.

76 Ob. 2do. Contra 2dam partem Conclusionis & simul urgetur prior objectio. Communis est Theologorum sententia Deum non posse dispensare in lege naturali. Atqui ex dictis part. 1mâ. Conclusionis pluralitas uxorum repugnat legi naturali. Ergo.

Resp. Dist. maj. Deus dispensare non potest in lege naturali invariabili, conc. variabili, neg. maj. Jus itaque seu lex naturalis alia est invariabilis, alia variabilis. Lex naturæ est invariabilis quoad universalia principia ac primarium naturæ finem; & in iis nulla potest esse dispensatio, quoniam quæ iis opponuntur, sunt intrinsecè & per se mala, ut idololatria, blasphemia, pluralitas virorum simul respectu unius & ejusdem mulieris. Sed lex naturalis variare potest circa conclusiones & secundarios naturæ fines; ad quos videlicet inclinat natura. In exemplum affert S. Thomas pluralitatem Beneficiorum in uno & eodem Clerico, quæ licèt pugnet contra legem naturalem, propter necessitatem tamen & majorem Ecclesiæ utilitatem evadit licita. Sic matrimonium fratris cum sorore absolutè spectatum, quamvis repugnet legi naturali, nihilominùs filii Adami licitè copulabantur cum sororibus suis propter necessitatem propagandi generis humani. Porro eadem est ratio Polygamiæ simultaneæ, quæ licèt secundùm se spectata jure naturali vetita sit, eoquòd pugnet contra plures secundarios matrimonii fines, desiit esse contra legem seu jus naturale, cùm ex divina ordinatione & dispensatione conduxit ad primarium finem nuptiarum, nempè ad numerosam fidelis populi generationem.

Inst. In nullo Scripturæ loco legitur 77 Deum ratione Polygamiæ cum veteribus Patriarchis dispensasse. Ergo gratis asseritur hæc dispensatio.

Resp. 1mo. neg. cons. Necesse enim non est, ut conceptis terminis expressa illa sit in Scriptura: ex facto quippe ipso Patriarcharum, jus, ut ita dicam, hìc nascitur; ac licitè ex divina dispensatione factum credimus, quia legimus factum, non reprehensum.

Resp. 2do. neg. ant. Hujus namque dispensationis vestigium colligi potest ex cap. 21. Genes. v. 12. ubi Dominus ad Abraham ait: *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Cùm ergo Sara cap. 16. Genes. v. 2. dixerit Abrahamo marito suo: *Ingredere ad ancillam meam Agar, si fortè saltem ex illa suscipiam filios.* Meritò arguimus peculiari revelatione admonitum à Deo fuisse Abrahamum, ut ad petitionem & instantiam Saræ Ancillam Agar in uxorem acciperet, quamvis non ignoraret, istud quodammodò naturæ legi adversari, quemadmodùm peculiari revelatione admonitus fuit, ut ad instantiam Saræ Ancillam Agar cum filio suo Ismael dimitteret, quamvis istud durum videretur ac naturæ repugnans, dicente Scriptura Genes. 21. v. 11. *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo* (Ismael).

Ob.

78 Ob. 3tio. Agar in Scripturis non vocatur uxor Abrahæ, sed concubina, vel ancilla. Atqui concubinatus non est verum Matrimonium, ex S. Leone Epist. 92. ad Rusticum; sed adulterium, ex S. Ambrosio lib. 1. de Abraham c. 4. Undè Judæi Joan. 8. dicunt, se non esse filios fornicationis, utpotè qui non descenderent ex Abrahamo per Agar ejus concubinam, sed per Saram legitimam ejus uxorem, ut interpretatur Euthymius in illum locum.

Resp. 1mo. Dist. maj. Agar non vocatur uxor in strictiore significatione, conc. In latiore, neg. maj. Nomen itaque uxoris bifariàm sumitur tam in Scripturis, quàm in Jure Civili, & aliquando in Jure Canonico, scilicet latè & strictè. Uxor in latiori significatione sumitur pro muliere viro legitimè conjuncta, quo sensu habetur Genes. 25. v. 1. *Abraham verò aliam duxit uxorem nomine Cethuram*, quæ versu 6. numeratur inter ejus concubinas. In strictiori autem significatione uxor dicitur Materfamilias, quæ cum solemnitate in uxorem ducebatur, honores & facultates cum viro habebat communes, cujus etiam filii ad hæreditatem paternam vocabantur. Iis autem privilegiis non gaudebant aliæ uxores, quæ vulgò & in strictiori significatione appellabantur *Concubinæ*. Et hoc sensu legitur de Salomone lib. 3. Reg. cap. 11. v. 3. *Fueruntque ei uxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ*. Omnes quidem erant uxores, sed gradu & honore diverso, quemadmodùm etiamnum cernere est apud Turcas, qui polygamiam simultaneam retinent; ex pluribus enim uxoribus, quas habet Turcarum Imperator, una est præcipua, ac Regina, cujus primogenitus Patri succedit in Imperio. Uxor etiam in communionem bonorum assumpta in latiori significatione vocatur concubina, ut patet ex cap. 19. Judicum, ubi unica uxor Levitæ promiscuè vocatur uxor & concubina, v. 1. 25. 27. & 29.

Resp. 2do. Dist. min. Concubinatus non est verum Matrimonium, si strictè sumatur pro vago & omni lege soluto cum muliere concubitu, quomodò apud Auctores Ecclesiasticos sumitur, conc. Si sumatur pro legitima conjunctione, in qua fides mutua servatur usque ad mortem, neg. min.

De concubinis legitimè conjunctis intelligendus est Canon 17. Concilii Toletani I. annô 400. in quo statuitur, *ut qui uxorem non habet, sed pro uxore concubinam à communione non repellatur*; si enim per concubinam Synodus intelligeret meretricem, haud dubiè utrumque repelleret à communione. *Per concubinam*, ait Binius in hunc Canonem, *intellige uxorem sine dote & externa solemnitate, interventu consensûs mutui perpetuò vivendi ductam. . . . Ad quod genus uxorum seu concubinarum referendum est, quod scribit B. Augustinus lib. de bono conjugali, & refertur Can. Solet causâ 32. quæst. 2. in quibus hæc tria erant necessaria: Primum, ut uterque esset solutus* (loquitur S. Doctor de tempore legis Evangelicæ) *Secundum, ut daretur mutua fides, quòd alteri non conjungerentur, neque à procreatione prolis abhorrerent. Tertium, ut usque ad mortem in ea vitæ conjunctione manere proponerent. Hunc contractum nuptias & connubium dici posse concedit S. Augustinus: hoc connubiò alicui junctam, uxorem appellare non audet, quia non intervenerunt dotalia instrumenta Jure Civili & Canonico requisita ad hoc, ut sit legitima uxor.*

Eodem sensu Gratianus interpretatur Caput *Omnibus*, dist. 34. *Concubina*, inquit, *hîc intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est, & conjugali*

jugali affectu asciscitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam lex verò nominat.

Ad S. Ambrosium, & S. Leonem. Certè S. Ambrosius suprà à nobis relatus conceptis terminis asserit conjunctionem Abrahæ cum Agar non fuisse peccatum sed mysterium. Addit quidem, quòd etiamsi fuisset adulterium, iniquus tamen dicendus non foret sanctus Patriarcha, cùm ipsum facti pœnituerit; sed non definiit ejusmodi conjunctionem fuisse adulterium propriè dictum. S. Leo autem loquitur de Matrimonio inito cum serva, non cum ancilla, quod secundùm Legem Ecclesiasticam, quæ ejus Sæculô obtinuerat, est prorsùs irritum, ut dicemus, ubi de Impedimentis dirimentibus, inter quæ numeratur defectus conditionis ingenuæ ac liberæ. Et ita concludit S. Leo virum, qui servam habet, posse validè & licitè mulierem aliam ducere in verum Matrimonium, *nisi fortè*, inquit, *illa mulier* (serva) *ingenua facta & dotata legitimè & publicis nuptiis honestata esse videatur*; quia in illa hypothesi prius Matrimonium ratum foret ac validum.

Quod verò spectat Cap. 8. Joannis; ibi sermo non est de fornicatione carnali, sed de spiritali, hoc est, de idololatria, quæ in Scripturis sacris frequenter appellatur fornicatio, idque patet ex ipso contextu Capitis cit. Dixerat enim Christus, *Vos facitis opera patris vestri.* Quis verò sit ille pater exponit Dominus v. 44. his verbis: *Vos ex patre Diabolo estis.* Opponunt Judæi, *Nos ex fornicatione non sumus nati*, idque probant, non quia ex Abraham per Saram descendunt, sed quia semper uni Deo adhæserunt, *unum Patrem*, inquiunt, *habemus Deum.* Et ita corruit quorumdam, præsertim Judæorum, interpretatio, quamque refert Euthymius in hunc locum.

79 Ob. 4to. Contra tertiam probat. tertiæ partis Conclusionis. Gregorius III. Epist. 14. ad Bonifacium, quæ refertur causâ 32. quæst. 7. Cap. *Quod proposuisti.* Sic loquitur: *Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis* (proposuisti) *bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.* Ergo.

Varia varii hîc respondent. Alii volunt Summum Pontificem secundum Matrimonium juveni permittere non tanquam licitum, sed tanquam minus malum. Alii, ut Gratianus, dicunt illud Rescriptum non esse recipiendum, utpotè contrarium Evangelicæ doctrinæ & sacris Canonibus. Aliis videtur suppositìtium, quia Epistola, unde desumptum perhibetur, dubiæ omninò & incertæ est fidei: siquidem cùm Zacharias Gregorii III. Successor ageret in Romano Concilio de Matrimonio inter consanguineos, ac intelligeret ex quadam concessione, ut dicebatur, prædecessoris sui Gregorii, concessum fuisse Germanis, ut infra quartum gradum nuptias celebrarent, jussit Epistolam illam ad Bonifacium Moguntiacum à Gregorio III. scriptam diligenter in Tabulis Romanæ Curiæ inquiri, quæ tamen inventa non fuit.

Communior tamen & verior Responsio est, Gregorium concessisse juveni aliam ducere uxorem; quia cùm prior esset impotens, Matrimonium cum illa initum erat invalidum.

De Polygamia successiva, seu secundis & ulterioribus nuptiis. 80

Polygamiam successivam esse contra jus naturale ac divinum, ac proindè per

ſe malam & illicitam aſſeruêre inter veteres Hæreticos Montaniſtæ, quibus ſe adjunxit Tertullianus lib. de Monogamia, & ex S. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 26. Item poſt eos Novatiani, teſte Theodoreto lib. 3. Hæretic. Fabul. cap. 5. Multi ex Catholicis Patribus, ut Athenagoras, *Legatione pro Chriſtianis*, ante finem. S. Irenæus lib. 3. adv. hæreſ. cap. 17. S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. Origenes Homil. 17. in Lucam. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 31. in illud Evangelii, *Cùm conſummaſſet JEſus hos ſermones.* S. Baſilius Epiſt. Canonicâ ad Amphilochium Can. 4. & Can. 50. S. Chryſoſtomus Homil. 32. Operis imperfecti in Matth. (*o*) S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. Heraldus Archiepiſcopus Turonenſis annô 858. in capitulis ex antiquis Canonibus collectis. Secundas & ulteriores nuptias veluti totidem fornicationes & adulteria perſtringunt, ac damnare videntur.

81 Verùm duriora ſunt iſta ac emolliendа: non enim in nuptias ipſas cadunt, tanquam per ſe malæ forent ac illicitæ, ſed in ſæpiùs nubentes, quorum effuſam incontinentiam ac libidinem SS. Doctores illi ex fervido caſtitatis & continentiæ amore, duriſſimè caſtigant ac reprehendunt, in qua redarguenda tanto ardoris impetu aliquando abrepti ſunt, ut ipſasmet in ſe ipſis nuptias culpaſſe viſi fuerint. *Vehemens quippe cum Adverſariis contentio*, ait Theodoretus Dial. 3. qui inſcribitur, *Impatibilis, facit, ut modum excedant;* quod familiari exemplô illuſtrat, *Hoc*, inquit, *& evenire ſolet iis, qui arbores colunt; cùm enim incurvam plantam viderint, non ſolùm ad rectam normam erigunt, ſed in alteram quoque partem ultrà directum inflectunt, ſed ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum ſtatum perducatur.* Ita evenit aliquando, ut dum Eccleſiaſtici Scriptores toti occupantur in aliquo errore refellendo, æſtu diſputationis longiùs abrepti nonnihil proferant, quod in errorem oppoſitum ducere videatur. Sic dum S. Auguſtinus liberum arbitrium defendit contra Manichæos, viſus eſt aliquando vim & efficaciam Gratiæ deprimere cum Pelagianis; quamquàm certiſſimum ſit eum ab utroque extremo & vitioſo errore fuiſſe alienum. Sicut igitur æquitas poſtulat, ut ea, ſi quæ ipſi exciderint paulò duriora verba, benigniùs interpretemur; ita in præſenti argumento pariter agendum, atque ad unam pluries nubentium incontinentiam & intemperantiam referendum, quidquid Veteres de ipſis nuptiis pluries repetitis dixiſſe viſi ſunt, quas & adulteria, & fornicationes, & ſordes appellant, non quidem, ùt jam indicavimus, propter ſe ipſas nudè ac ſimpliciter ſpectatas, ſed propter effuſam nubentium incontinentiam, quæ in nuptiis toties repetitis ſeipſam prodit & manifeſtat.

Hac ratione ſeverior fuiſſe videtur 82
apud veterem & primitivam Eccleſiam diſciplina erga eos, qui ad ſecundas atque ulteriores nuptias tranſibant. Namque 1mo. ſecundò nubentes pœnitentiæ ſubjiciebantur. Ita præcipiunt Concilia Neocæſarienſe annô 314. Can. 3. Ancyranum eodem anno Can. 9. Laodicenum Sæculô IV. annô incertô ſub Damaſo Papa, Can. 1. S. Baſilius Epiſt. Canonicâ ad Amphilochium Can. 4. 2do. Bigami Irregulares habebantur ad ſacros Ordines, ſcilicet propter incontinentiam, quæ ſecundis annexa videbatur. Ita S. Paulus 1. Timoth. 3. v. 2. Tertullianus lib. 1. ad uxorem, cap. 7. Origenes Homil. 17. in Luc. S. Hieronymus

(*o*) Sed hæ Homiliæ non ſunt S. Chryſoſtomi, ſed alicujus Hæretici, prout jam dudum à viris eruditis obſervatum eſt.

mus Epiſt. ad Ageruchiam 91. aliàs 11. Quæ diſciplinæ portio adhuc in Eccleſia viget, prout in Tract. de Ordine part. 3. ubi de Irregularitate, animadvertimus. 3tio. Bigami privabantur publicis Eccleſiæ eleemoſynis. Ita S. Hieronymus loc. cit. 4to. Qui ſecundò nubebant benedictione Sacerdotis privabantur. Ita teſtatur S. Cæſarius Arelatenſis Serm. 289. in appendice novæ editionis Operum S. Auguſtini. 5to. Non donabantur coronâ, quæ conjugibus imponebatur in ſignum victoriæ, quam ex voluptate & intemperantia reportârunt. Ita Theodoritus Studita Epiſt. ad Naucratium apud Allatium lib. 3. de perpetua conſenſione Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis cap. 13. Vid. Officium coronationis apud Græcos in Euchologio pag. 386. & notas Goarii ibid. pag. 397.

Apud Hiſpanos ex Decreto Concilii Toletani XIII. annô 683. ſecundæ nuptiæ Reginis Hiſpaniorum non permittebantur: quod confirmavit Concilium Cæſar-Auguſtanum III. Can. 5.

Sæculô IX. Baſilius Macedo Imperator Orientis tertias nuptias illicitas, & quartas prorsùs nullas & irritas fecit ſuâ Novellâ, quæ extat lib. 2. Juris Orientalis.

Leo Imperator, cognomentô ſapiens, Baſilii filius, Conſtitutionem edidit in Jure Orientali 90mam qua etiam ſtatuit, ut qui *tertias nuptias contrahunt, pœnis Eccleſiaſticis ſubjiciantur.* Quamvis ipſe legem hanc violaverit ad quartas etiam nuptias convolando, quod refert Baronius ad annum Chriſti 901. Unde à Nicolao Patriarcha ejectus ab Eccleſia fuit; poſtmodùm verò Joannes Papa X. ei diſpenſationem indulſit. Undè paulopoſt ſcilicet annô 925. Orientales Epiſcopi juſſu ejusdem Leonis ad Concilium vocati, in eo nihil de quarto Leonis Matrimonio edixêre, ſed pro futuro regulam & legem tulerunt ſub hoc titulo, *Tomus unionis.* ubi *Sententiâ, judicioque communi decernimus*, inquiunt, *ne ab hoc anno præſenti quartas nuptias ullus contrahat, ſed ut prorsùs eæ rejiantur. Quòd ſi quis ad ejusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni cœtu Eccleſiaſtico excludatur.*

Denique Jure Civili puniuntur viduæ, quæ ante elapſum integrum ab obitu mariti annum ad alias convolant nuptias. Cod. Theodoſ. Leg. 1. tit. 9. De ſecundis nuptiis.

Hæc veteris Eccleſiæ diſciplina, qua 83
ſecundæ & ulteriores nuptiæ nec ſuadebantur nec omninò probabantur quidem, temporis lapſu mitigata eſt, imò prorsùs obſolevit, tùm præcipuè, quòd Eccleſia, etſi eas non omninò probaret, nusquam tamen eas pro noxiis ac per ſe illicitis habuerit, multò minùs pro nullis & irritis; & quòd nec naturali nec divino juri adverſentur. Id habetur 1mo. Ex Scriptura 1. Corinth. 7. v. 39. ubi hæc habet Apoſtolus: *Mulier alligata eſt Legi quanto tempore vir ejus vivit: quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Et 1. Tim. 5. v. 14. *Volo ergo juniores* (viduas) *nubere, filios procreare.* Certè hæc non dixiſſet Apoſtolus, ſi ſecundæ & ulteriores nuptiæ per ſeſe malæ eſſent, illicitæ ac nullæ. Equidem cit. 1. Corinth. 7. v. 8. & 9. ait non nuptis & viduis bonum eſſe, ſi ſic permanſerint, ſicut & ipſe. *Quòd ſi*, tamen, inquit, *non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm uri.*

2do. Habetur ex traditione Eccleſiæ 84
& SS. Patrum. S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. *Si cui*, inquit, *Apoſtolus propter intemperantiam & uſtionem ex venia ſecundum concedit Matrimonium, hic quidem non peccat ex Teſtamento; non eſt enim lege probibitus: non implet autem ſummam illam perfectinonem, quæ agitur ex Evangelio.*

Antiquus Liber Pastoris, cujus Auctor dicitur Hermas lib. 2. sic habet: *Si vir vel mulier decesserit, & nupserit aliquis illorum, nunquid peccat? Qui nubit non peccat.*

Concilium Nicænum Generale I. Can. 8. exigit, ut Novatiani redeuntes ad Ecclesiam profiteantur, quòd Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur, id est, & bigamis se communicare, & his, qui in persecutione prolapsi sunt.

Concilium Laodicænum Can. 1. probat secundas nuptias his verbis: *De his, qui secundùm Ecclesiasticam regulam secundis nuptiis juncti sunt, &c.*

S. Basilius Epist. ad Amphilochium Can. 41. *Quæ*, inquit, *in viduitate potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet: ab omni culpa libera est, cùm Apostolus dixerit, si mortuus fuerit vir ejus, libera est, cui vult, nubat, tantùm in Domino.*

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 39. quæ est *in sancta Lumina*, Novatianum perstringens sic loquitur: *An ne juvenibus quidem viduis propter ætatis lubricum, ineundi Matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minimè dubitavit, cujus te scilicet Magistrum profiteris, perinde atque ad quartum Cœlum aliumque paradisum perveneris. . . . At hæc minimè post Baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut, si id nequis, ne condemnes. Quòd si res dubia est, vincat humanitas & facilitas.*

S. Ambrosius lib. de Viduis cap. 11. *Pro consilio dicimus*, inquit, *non pro præcepto imperamus, provocantes potiùs viduam, quàm ligantes: neque enim prohibemus secundas nuptias &c.*

S. Chrysostomus Homiliâ in hæc Apostoli verba 1. Corinth. 7. *Mulier alligata &c. Et habentibus viros*, ait, *& non habentibus, & viduis, & secundo nubentibus marito, & omnibus simpliciter sermo ille utilis est. . . . Quæ verò est libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter neque temerè hoc facit, sed cum legibus, quæ sunt à Paulo posita* Et Hom. 19. in Epist. 1. ad Cor. *Secundum*, inquit, *concedit Apostolus Matrimonium, tantùm, dicens, in Domino. Quid est autem in Domino? cum temperantia, cum honestate.*

S. Epiphanius hæresi 59. quæ est Catharorum, *Cui*, inquit, *mortua una non sufficit . . . is si alteram uxorem duxerit . . . sacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit.*

S. Hieronymus Epist. 50. aliàs 30. ad Pammachium, ubi se ipsum purgans à suspicione erroris circa secundas & ulteriores nuptias, & sui apologiam texens, *Ego*, inquit c. 7. *nunc libera voce proclamo non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam; & ita licere quinto & sexto, & ultrà, quomodò & secundo nubere marito. . . . Non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos, &c.*

Denique prætermissis pluribus aliis S. Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 11. & 12. *Ne arbitreris*, ait, *vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias, cùm sint nuptiæ, malum esse. De tertiis & quartis, & de ultrà pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Undè ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.*

Nec prætermittendus est Eugenius IV. Summus Pontifex in Decreto pro instructione Armenorum, ubi suo & totius Concilii Florentini nomine: *Declaramus*, inquit, *non solùm secundas, sed etiam tertias & quartas, atque ulteriores, si aliquod Canonicum impedimentum non obstat, licitè contrahi posse nuptias.*

Ratio

85 Ratio evidens ſuffragatur: Quia nullum proferri poteſt momentum, ſive ex Jure naturali, ſive ex divino, quo pateat ſecundas & ulteriores nuptias potiùs quàm primas, malas eſſe ac noxias. Ratio quippe à priori, cur licitum ſit Matrimonium, hæc eſt, quòd nempe ſit unio ſoluti cum ſoluta, atque ad hanc unionem inclinet natura, ipſô permittente Jure divino: at vidua poſt mortem ſui mariti libera eſt ac ſoluta, ſive primus ille ſit, ſive ſecundus, ſive tertius. Ergo tam licitè nubere poteſt ſecundo, tertio, & ulteriùs, quàm primo. Ita ferè ratiocinatur S. Auguſtinus lib. de bono viduit. c. 12.

§. II.

86 *De firmitate ſeu indiſſolubilitate Matrimonii, ut & de ejus neceſſitate & præcepto.*

Matrimonium poteſt eſſe indiſſolubile vel quoad vinculum, vel quoad thorum tantùm, vel quoad utrumque ſimul; item illius indiſſolubilitas poteſt conſiderari vel in Gentilibus, vel in Judæis, vel in Chriſtianis. De ea ſub illis diverſis reſpectibus hîc nobis agendum.

Priùs tamen adhuc obſervandum, nonnihil diſcriminis aſſignari à Theologis inter Matrimonium *legitimum*, *ratum*, & *conſummatum*. *Legitimum* dicunt, quod contrahitur à perſonis nullo impedimento ligatis. *Ratum* dicitur, quod initur à Chriſtianis, quodque ex Baptismo majorem, quàm anteà, firmitatem aſſequitur, ceſſante nimirùm cauſa, propter quam in infidelitate contractum diſſolvi poterat, nempe ob fidem Chriſtianam, ſi nimirùm Infidelis habitare nollet cum conjuge fideli, prout infrà dicemus. Denique *Conſummatum* dicitur, quod uſu ipſo ſeu carnali conjunctione perfectum eſt. Diſtant inter ſe iſta conjugia firmitatis ac perfectionis gradu: quod enim inter Chriſtianos ratum eſt per Baptismum, perfectione ſuperat illud, quod inter Infideles legitimum quidem ac verum eſt, ſed non ratum, unde diſſolvi aliquando poteſt, ut ſuô locô oſtendemus. Pariter quod ratum eſt ſimul & conſummatum inter Chriſtianos, perfectius eſt ratô tantùm & non conſummatô: quia, ut etiam dicemus, ratum non conſummatum ſolvi poteſt per ſolemnem Religionis profeſſionem; ratum verò & conſummatum ſola morte diſſolvitur. His prænotatis ſequentes hîc quæſtiones nobis ſolvendæ ſunt. 1ma. Unde repetenda ſit firmitas & indiſſolubilitas vinculi conjugalis; an ex Jure naturali tantùm; an ex præcepto divino poſitivo. 2da. De indiſſolubilitate Matrimonii apud Infideles: an ſolvatur illorum Matrimonium per converſionem alterius conjugis ad fidem Chriſtianam. 3tia. An apud Judæos ſolvebatur per libellum repudii. 4ta. An inter Chriſtianos diſſolvatur per adulterium. 5ta. An ſolvatur, quando ratum eſt & non conſummatum, per ſolemnem Religionis approbatæ profeſſionem. 6ta. An Summus Pontifex diſpenſare poſſit à vinculo Matrimonii rati, ſed non conſummati. 7ma. An, cùm ratum eſt ac conſummatum, ſolvatur per ingreſſum in Religionem. 8vo. De divortio ſeu ſeparatione conjugum, tùm quoad thorum, tùm quoad cohabitationem: an liceat, & quibus de cauſis. De quibus ſingulis erunt ſequentes Concluſiones.

CONCLUSIO I. 87

Matrimonii vinculum firmum eſt, perpetuum ac indiſſolubile, tùm ex primæva ſui inſtitutione, tùm Jure naturali, tùm præceptô Dei poſitivô.

Prob. 1ma pars. Geneſ. 2. v. 23. ubi primus hominum parens Adamus, de Eva uxore ſua, quam ex coſta ipſius ædificaverat Deus exclamat: *Hoc nunc*

os ex ossibus meis, & caro de carne mea. . . . Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. seu ut observat S.Chrysostomus Hom.63. in Matth. juxta vim verbi græci, *agglutinabitur* uxori suæ; quod verbum aptè exprimit unionem indissolubilem: quæ enim glutinô invicem adhærent, ea potiùs frangas, quàm solvas.

88 Prob. 2da pars. 1mo. Quia verum est, legitimum ac indissolubile apud Infideles Matrimonium. Atqui non aliundè, quàm ex ipso Jure naturæ ac primæva sua institutione oriri potest hæc firmitas & insolubilitas. 2do. Quia in statu innocentiæ indissolubilitatem hanc, ipsa suggerente natura, cognovit Adamus, antequam Deus ullum de illa positivum mandatum dedisset; ut declarant verba ipsius Adami mox à nobis relata. 3tio. Ipsâ lege naturæ essentiale ac certum intercedit discrimen inter fornicationem seu liberum concubitum, etiam suscipiendæ prolis causâ, & legitimum conjugium; siquidem Scriptura passim nuptias commendat & prædicat, alium verò quemlibet concubitum damnat & prohibet sub pœna exclusionis à Regno Cœlorum, Rom. 1. Ephes. 5. 1. Corinth. 6. Galat. 5. Atqui discrimen illud aliundè melius repeti non potest, quàm tùm ex periculo prolis, cujus educationi non satis consuleretur in concubinatu libero; tùm ex firmitate ac perpetuitate, quæ annexa est vinculo conjugali, & qua caret concubinatus, qui liber est, & omni lege solutus. 4to. Firmitatem hanc & insolubilitatem postulat natura & finis contractûs conjugalis. Natura quidem; Matrimonium quippe est animorum corporumque conjunctio ad individuam vitæ societatem: at perit illa societas individua, si naturâ suâ, & libero conjugum consensu dirimi potest; frigescit non minùs ac penè extinguitur amor seu animorum conjunctio, cùm uni liberum est ab altero discedere: è contrà necessitas unionis perpetuæ arctiùs animos devincit & ligat. Finis verò Matrimonii potissimùm duplex est, nempè generatio prolis, & liberalis ejusdem educatio: at uterque hic finis postulat perpetuum firmumque Conjugum nexum. Quomodò enim certus erit prolis pater, si mulier sæpiùs ad libitum repudiata pluribus conjungatur? Quis prolem nutriet & educabit? Quis porro futurus esset discordiarum ac dissensionum finis, non tantùm in familiis, sed in Republica universa, si disrupto conjugii fœdere, & mulier sine viro, & proles sine certo patre ac debita educatione destituta relinqueretur? quibus certè gravissimis incommodis occurrit sapientissimus naturæ architectus, ipsa naturæ lege ita firmans ac stringens conjugii nexum, ut nulla privata possit auctoritate disrumpi. 5to. Denique vel ipsis Romanis tam benè consentire visa est cum natura & dignitate Matrimonii ejus firmitas & indissolubilitas, ut, teste Tertulliano cap. 6. Apologetici, per sexcentos annos nullum apud ipsos extiterit soluti Matrimonii, ac repudiatæ uxoris exemplum. Primus omnium repudiavit uxorem Spurius Carnilius *sterilitatis causâ*, inquit Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Qui*, pergit Historicus, *quamquam tolerabili causâ motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur.*

Confirmatur. Infidelis, qui repudiata 89
prima uxore alias duxit, si ad Religionem Christianam convertatur, dimissis posterioribus uxoribus, cogitur priori reconciliari, præsertim si ipsa facta sit Christiana, ex cap. *Gaudemus.* Tit. *De divortiis.* Nempe quia Matrimonium infidelium lege naturali censetur indissolubile.

Prob.

90 [illegible]

[illegible] habente Christo.

Observavit hanc Dei legem, [illegible] Synodus Tridentina, sess. 24. [illegible] de Matrimonio, [illegible] *Quod Deus conjunxit*, [illegible]

[illegible]

91 CONCLUSIO II.

Verum & legitimum contrahunt [illegible] que infideles Matrimonium.

Prob. ex Apostolo 1. Corinth. 7. v. 12. *Si quis frater*, [illegible] *uxorem habet infidelem*, *&* [illegible] Apostolus [illegible] Contractus [illegible] [illegible]

[illegible]

93 [illegible]

94 [illegible]

90 Prob. 3tia pars. Matth. 19. v. 6. Christus citata Genesis verba Judæis opponit: *Itaque*, ait, *non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ad hanc divinam legem respexit Apostolus 1. Corinth. 7. v. 10. *Iis*, inquit, *qui Matrimonió juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, liberata est.* Idem rursùs repetit Rom. 7. v. 2. & 3. Igitur, interprete Apostolo, sola morte dissolvitur Matrimonium, ita ordinante ac jubente Christo.

Positivam hanc Dei legem agnoscit Synodus Tridentina Sess. 14. cap. unicô. *de Matrimonio.* ubi, *Ejusdem nexus*, inquit, *firmitatem, ab Adamo tantò ante prænuntiatam Christus his verbis confirmavit, Quod Deus conjunxit*, &c. Et Can. 7. ejusdem Sess. ubi anathema dicit iis, *qui asserunt errare Ecclesiam, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi.*

91 CONCLUSIO II.

Verum & legitimum contrahitur inter infideles Matrimonium.

Prob. ex Apostolo 1. Corinth. 7. v. 12. *Si quis frater*, inquit, *uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ergo supponit Apostolus uxorem hanc legitimè ductam fuisse in infidelitate; aliàs non permitteret eam retineri à viro converso ad fidem. 2do. Contractus conjugalis est Juris naturalis. Ergo verè & legitimè celebrari potest in quacumque Religione ab illis, qui nullo impedimento irritante ligati sunt, sive Jure ipso naturali, sive Civili Principum, quibus subditi sunt, constitutione.

Observandum hîc 1mo. Matrimonium in infidelitate contractum non dissolvi per conversionem utriusque conjugis ad fidem. Patet id ex mox relato Apostoli testimonio. Si enim vir conversus non debet discedere ab uxore infideli, quæ consentit pacificè habitare & sine injuria Creatoris cum illo; quantò magis discedere non debet ab uxore, quæ pariter convertitur ad fidem? *Per Baptismum enim*, inquit Innocentius III. cap. *Gaudemus.* Tit. *De divortiis. non solvuntur conjugia, sed dimittuntur crimina.* 92

Observ. 2do. Matrimonium Infidelium, quamvis validum & legitimum, ac etiam consummatum dissolvi potest quoad vinculum, si unus ad fidem convertatur, in hisce casibus. 1mo. Si alter infidelis nolit habitare cum Fideli. 2do. Si infidelis velit quidem habitare cum Fideli, sed non sine contumelia Creatoris, seu blasphemia divini nominis, & Christianæ Fidei. 3tio. Si pertrahat ad peccatum mortale. Ita colligitur ex cap. 7. 1. ad Corinth. ubi *Non enim*, ait Apostolus v. 15. *servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Hoc est, non tenetur vitam ducere cœlibem, si discedat alter conjux infidelis; adeoque ex Apostolo saltem in primo casu hujusmodi Matrimonium dissolvi potest. Item ex Jure Canonico variis Capitibus, ut Cap. *Quanto.* Tit. *De divortiis.* in quo Innocentius III. expressè hos casus refert, in quibus Matrimonium Infidelium quoad vinculum dissolvi potest. Idem patet ex Cap. *Gaudemus.* eod. tit. quod est ejusdem Innocentii. 93

An verò casu quo conjux infidelis consentiat pacificè & sine injuria Creatoris cohabitare cum Fideli, liberum isti sit solvere Matrimonium, & aliud contrahere non conveniunt Theologi. Negant alii fulti sententiâ Apostoli 1. Co- 94

rinth.

rinth. 7. v. 12. *Ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.* Affirmant alii, hancque Apostoli sententiam nudum consilium esse interpretantes. Alii denique mediam viam ineunt, censentque in proposito casu ordinatione quidem divina licere fideli ad alias evolare nuptias; sed præceptô humanô & Apostolicô duntaxat id prohiberi, quando fieri nequit absque aliorum offensione & scandalo, quemadmodùm de idolothytis docet Apostolus Rom. 14. & 1. Cor. 8. & 10. quæ secundùm legem Evangelicam edere licebat, sed à quibus abstinere præcepit Apostolus propter infirmorum sandalum, quod præsertim cavendum erat in repudio primis Ecclesiæ temporibus, quibus Religio Christiana in odium venisset infidelium, si divortium permisisset inter conjuges pacificè & amicè conviventes. Et hæc sententia longè magis nobis arridet, videturque esse S. Augustini lib. 1. de adulterinis conjugiis, cap. 18. necnon facilè colligitur ex ipso Epistolæ contextu: ait enim Apostolus, *Ego dico, non Dominus,* quo innuit præceptum illud non esse divinum, sed humanum; ac proinde mutabile pro temporum & circumstantiarum varietate, ubi scilicet plus timendum est ex conjunctione fidelis cum infideli, quàm ex eorum separatione. Hinc Concilium Toletanum IV. annô 633. Can. 61. non solùm permittit, sed etiam jubet, ut conjux fidelis separetur à viro Judæo, etiamsi consentiat habitare cum illa, nisi Christianus fiat; quia, cùm Judæi præ cæteris infidelibus sint infensi Religioni Christianæ, difficiliusque ad fidem adducantur, conjux fidelis non sine propriæ salutis periculo cohabitare censetur cum Judæo infideli. Posterioris ergo sententiæ Doctoribus adducta S. Pauli sententia partim præceptum, partùm consilium esse videtur; præceptum pro primis Ecclesiæ temporibus, quibus non expediebat, ut uxores infideles, quæ pacificè cohabitare volebant, dimitterentur, ne scilicet gravis & odiosa hinc fieret Christiana Religio; consilium verò pro temporibus subsequentibus, quibus ad summos Pontifices & Episcopos pertinet judicare, an expediat, ut fidelis discedat ab infideli.

Observ. 3tio. Vinculum conjugale non solvi per hæresim vel infidelitatem, ad quam post Baptismum conjuges deficiunt. Nullo enim jure, neque divino, neque Ecclesiastico, comprobari istud potest. Et Concilium Trident. Sess. 24. Can. 5. ita decernit: *Si quis dixerit propter hæresim aut molestam cohabitationem dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* 95

Observandum 4to. Neque Matrimonium fidelis cum infideli præcisè per professionem Religionis Christianæ dissolvi. Quia ex Cap. *Gaudemus.* Tit. *De divortiis.* Si uxor infidelis convertatur priusquam conjux fidelis ad secundas transierit nuptias, compellendus est Fidelis eam recipere, ac proindè hucusque permansit vinculum conjugale. Tùm ergo dissolvitur Matrimonium, cùm conjux, Christianus factus, transit ad secundas nuptias; unde mortua posteriore uxore, non potest redire ad priorem, à qua discesserat, nisi novum cum ea contrahat Matrimonium. 96

CONCLUSIO III. 97

Libellus repudii, quo vinculum conjugale dissolvebatur, non tantùm Judæis permissus fuit & liber à pœna, sed etiam, Deo dispensante, licitus, & à peccato immunis fuit.

Prob. 1mo. Ex cap. 24. Deut. v. 1. ubi sic statuit Moyses: *Si acceperit homo uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii,*

&

& dabit ei in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam non poterit prior maritus recipere eam in uxorem. Quæ verba in proprio & nativo sensu 1mo. non nudam & simplicem minoris mali permissionem significant (prout perperam aliqui contendunt, atque propterea volunt à culpa haud vacasse, sed à pœna duntaxat liberatos fuisse eos Judæos, qui uxores suas repudiarent) sed licentiam seu facultatem Juris. 2do. non simplicem significant separationem uxoris à viro quoad habitationem, quam divortium importat, sed solutionem vinculi cum facultate ad alias nuptias convolandi: tùm quia id ferebat forma libelli, *ut abeat, quò voluerit, ducique possit ab omni viro*: tùm quia ex mox dictis mulier à primo & secundo etiam viro repudiata, non poterat *à primo marito denuò in uxorem recipi.* Atqui nisi dissolutum supponatur prius Matrimonium, quomodò Scriptura eum, quem mulier repudiata secundò duxit, *maritum* ejus appellaret, qui propriè maritus non fuisset, priori vinculo durante in adversa sententia? Quomodò prior maritus prohiberetur recipere redeuntem uxorem, si verè uxor illius post repudium adhuc fuisset.

98 Prob. 2do. Ratione triplici. 1mo. Quia lex vetus nuptias repudiatarum cum aliis viris non damnabat. 2do. Quia neque Moyses, neque Prophetæ, neque Sacerdotes, quamvis alia vitia populi reprehenderint, hujusmodi Matrimonia repudiatarum, quæ tamen publica fuerunt & frequentia, Judæis objecerunt vel exprobraverunt, tanquam adulteria: vera tamen fuissent adulteria, nisi dissolutum supponatur prius Matrimonium. 3tio. Quia lex prohibebat, ne repudiata post mortem secundi mariti posset unquam recipi à priore marito. Atqui si per repudium non solvebatur vinculum conjugii, optimum erat & optandum, nedum prohibendum, ut uxor rediret ad suum verum maritum.

Hanc porro legem repudii, ac licen- 99
tiam ad alias nuptias convolandi Christus in nova Lege penitus extinxit ac revocavit. Matth. 19. v. 8. ubi ait: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.*

CONCLUSIO. IV. 100

Vinculum Matrimonii inter Christianos dissolvi non potest propter adulterium alterius conjugis. Est 1mo. contra Græcos, qui, ut ipsi tuentur quidem, à pluribus Sæculis permittunt conjuges in causa adulterii ad alias nuptias convolare, atque ad excusandam suam praxim adducunt auctoritatem veterum Patrum, præsertim Græcorum, & Leges Imperatorum Christianorum, nempe Constantini Magni, & Justiniani, quas, inquiunt, nemine ex Pastoribus Ecclesiæ contradicente, promulgârunt. 2do. Contra Lutherum lib. in cap. 7. 1. ad Corinth. ubi censet vinculum Matrimonii solvi non solùm propter adulterium, sed propter plures alias causas. Lutheri errorem secutus est Bucerus in cap. 19. Matth. Calvinus quoque, sed solùm propter adulterium, enimverò lib. 4. Inst. c. 19. §. ult. alias causas non admittit, quàm adulterium, tyrannicamque legem vocat, quæ non permittit aliud conjugium ei, qui ab adultera conjuge divortium fecit. 3tio. Contra Cardinalem Cajetanum Commentariô in cap. 19. Matth. ubi, *Intelligo igitur ex hac Domini JEsu Christi lege*, inquit, *licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem,*

uxorem, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet. Obiit enim ante Concilium Tridentinum, ubi Conclusio nostra definita fuit, sed post exortam Novatorum factionem. 4to. Denique contra Catharinum in Opuscul. de Matrim. quæst. unicâ, ubi ait nec ex Evangelio, nec ex Apostolo posse colligi non licere in causa fornicationis aliud inire Matrimonium, quod tamen fieri non debet, nisi accedente Judicio & auctoritate Ecclesiæ, cùm id variis Canonibus sit prohibitum. Equidem Theologus iste interfuit Concilio Tridentino, sed non supervixit ad Sessionem usque 24. in qua quæstio ab ipo in memorato Opusculo agitata, fuit definita.

101 Prob. Conclusio nostra 1mo. Ex Scriptura. Marci 10. v. 11. & Luc. 16. v. 18. Christus absolutè pronuntiat Matrimonium esse indissolubile. *Quicumque*, inquit Marc. 10. *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Nulla hîc exceptio, universalis enim est Christi propositio, *Quicumque*, *Omnis*, nullam excipit causam, adeoque quacumque ex causa dimittens uxorem suam, & aliam ducens mœchatur.

S. Paulus idem docet, dum expressis verbis sic pronuntiat 1. Corinth. 7. v. 10. *Iis qui Matrimoniô juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* Et Rom. 7. v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Nihil clarius pro nostra sententia adduci ab Apostolo potuisse nobis videtur post S. Augustinum lib. 2. de adulter. conjug. cap. 5. ubi, *Hæc Apostoli verba*, inquit, *toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier esse incipit; nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.* Nihil disertius proferre potuit S. Augustinus, ut distingueret inter separationem ratione cohabitationis, & ratione vinculi; ostenderetque licere quidem viro separari ab uxore adultera, quantùm ad thorum, mensam, cohabitationem, &c. remanente tamen priori vinculo conjugali, quamdiu illa in vivis superstes est.

Prob. 2do. Ex Traditione SS. Patrum, 102
Conciliorum, & Ecclesiæ universæ.

Hermas antiquissimus Ecclesiæ Scriptor lib. 2. Pastoris, Mandatô 4. cui titulus est, *De dimittenda adultera.* sic Dominum interrogat: *Si permanserit in vitio mulier? Et dixit: Dimittat illam vir, & vir per se maneat. Quòd si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur.* Et posteà: *Propter pœnitentiam ergo non debet, dimissa conjuge sua, vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro & in muliere.*

S. Justinus Martyr (*p*) Apolog. 2. pro Christianis inter doctrinæ capita, quæ Christus circa castitatem dedit, istud recenset: *Qui repudiatam à viro altero duxerit, adulterium committit.* Nullam excipit causam, nequidem adulterium alterius conjugis.

Athena-

(*p*) Obiisse creditur an. Chr. 165.

Athenagoras (*q*) alter Religionis noſtræ Apologiſta, hæc de moribus & inſtitutis Chriſtianorum dicebat apud Imperatores: *Ut natus eſt unusquisque noſtrûm manet, vel nuptiis copulatur unicis; ſecundæ enim decorum quoddam adulterium ſunt. Qui enim uxorem ſuam dimiſerit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noſter; neque illam dimittere concedens, cujus delibata eſt pudicitia, neque alteram ducere.* Non excipit Athenagoras cauſam fornicationis, ſed abſolutè & indefinitè loquitur.

Tertullianus, qui floruit initiô tertii Eccleſiæ Sæculi, & obiiſſe fertur annô 216. lib. 4. contra Marcionem cap. 35. *Dico*, inquit, *Chriſtum conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem, ſi ideò quis dimittat uxorem, ut aliam ducat. Qui dimiſerit, inquit, uxorem, & aliam duxerit, æquè adulter eſt; ex eadem utique cauſa, qua non licet dimitti, ut alia ducatur. . . . Manente Matrimonio nubere, adulterium eſt. Ita ſi conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit.* In mente igitur Tertulliani Chriſtus in cauſa fornicationis divortium permiſit ſicut Moyſes, quoad thorum ſcilicet & cohabitationem; ſuſtulit verò quoad vinculi conjugalis ſolutionem.

S. Clemens Alexandrinus, qui obiiſſe creditur circa an. Chr. 220. in fine lib. 2. Strom. ſic loquitur: *Adulterium exiſtimat* (Scriptura) *conjungi Matrimoniô, vivo altero ex ſeparatis. Qui autem dimiſſam accipit uxorem, mæchatur eam; hoc eſt, cogit eam mæchari. Non ſolùm autem qui dimiſit eſt ejus cauſa, ſed etiam qui eam ſuſcepit, præbens mulieri peccandi occaſionem: ſi enim non ſuſcipiat eam, revertetur ad virum.* Atqui nullo jure redire illa poſſet ad virum ſuum, ſi omninò ſolutum ſupponatur per adulterium prius conjugium. Igitur S. Clemens non exiſtimat diſſolvi tale conjugium, ſed potiùs firmum ſtare.

Origenes S. Clementis diſcipulus, qui obiit annô 254. Comment. in Matth. *Contra Scripturæ legem*, inquit, *mulieri vivente viro nubere quidam Eccleſiæ Rectores permiſerunt, agentes contra id, quod ſcriptum eſt: Mulier alligata eſt quantô tempore vir ejus vivit; & contra illud: Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.*

Concilium Eliberitanum annô 305. Can. 9. *Fidelis fœmina*, inquit, *quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur.*

Concilium Arelatenſe I. annô 314. Can. 10. ſic loquitur: *De his, qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, ut in quantùm poteſt conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licèt adulteris, alias accipiant.* Ideò autem dicit Concilium adoleſcentes illos conſiliô adhortandos, non verò præceptô urgendos, quia per leges civiles licebat eis alia inire conjugia.

S. Hieronymus in cap. 19. Matth. *Sic priorem*, inquit, *dimittere uxorem jubetur* (vir) *ut ſecundam, prima vivente, non habeat.* Et Epiſt. ad Oceanum refert, publicam pœnitentiam Fabiolæ nobili Matronæ à Romano Pontifice impoſitam fuiſſe, eò quòd dimiſsô virô adulterô alteri nupſiſſet, legum civilium auctoritate ducta, quas, vel ex iſto exemplo, patet non fuiſſe ab Eccleſia

Nnnnn 2 appro-

(*q*) Eodem tempore floruiſſe perhibetur, quo S. Juſtinus: vitam poſuiſſe fertur Romæ. Illuc annô 165. à Chriſtianis pro tuenda eorum cauſa ad Imperatores miſſus ibi fuit usque ad an. 170. & Marco Aurelio Apologiam ſuam obtulit.

approbatas sed toleratas, fortè ad vitandum majus malum, sicut meretrices quibusdam in locis tolerantur.

S. Chrysostomus, qui obiit annô 407. Homil. 17. in Matth. de eo, qui propter adulterium dimisit uxorem sic scribit: *Ille enim, etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quòd adulteram fecit ex conjuge* (cùm illa alteri nupserit) *hic verò excipiendo alienam adulter effectus est: nequaquam enim mihi referas, quia illam alter ejecit: nam expulsa quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat.*

Concilium Milevitanum annô 416. Can. 10. sic statuit: *Placuit, ut secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjugatur.*

De S. Augustino jam suprà ad textum S. Pauli Rom. 7. v. 3. egimus.

Denique omissis pluribus aliis tùm Conciliorum tùm utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ testimoniis Concilium Tridentinum Sess. 24. Can. 7. *Si quis*, inquit, *dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonium non posse dissolvi, & utrumque, etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœchari eum, qui dimissâ adulterâ aliam duxerit; & eam, quæ dimissô adulterô, alii nupserit, anathema sit.*

103 CONCLUSIO V.

Matrimonium ratum & non consummatum dirimitur quoad vinculum per solemnem Religionis Professionem in Religione approbata. Est contra Novatores.

Prob. 1mo. Veteribus Sanctorum exemplis, quorum quædam, omissis cæteris, hîc subjicimus. Primum, & quidem antiquissimum, cùm sit primi Ecclesiæ Sæculi, est sanctæ Theclæ, quæ testibus S. Ambrosiô lib. 2. de Virginibus cap. 3. & Methodiô in convivio virginum, & S. Epiphaniô hæres. 78. magistrum habuit S. Paulum. *Hæc*, ait S. Epiphanius loc. cit. num. 16. *cùm in Paulum incidisset, pactas nuptias dissolvit, cum primario cuidam civitatis totius, ac longè diviti, nobilissimo splendidissimoque desponsata jam fuisset. Verùm terrena ideò Sancta illa contempsit, ut cælestium compos esse posset.* Et S. Ambrosius loc. cit. *Thecla*, inquit, *copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.* Tam illustre fuit, tamque omnibus compertum hoc exemplum, ut Faustus Manichæus ipsemet illud proferat apud S. Augustinum lib. 30. contra ipsum cap. 4. *Paulus*, inquit, *Theclam oppignoratam jam thalamo in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendit.* Exemplum non negat quidem S. Augustinus, sed directè infert adversùs Manichæos, virginitatem præferri nuptiis, tanquam majus bonum minori, non autem tanquam malo.

2do. Ipse S. Augustinus lib. 8. Confessionum cap. 6. narrat duos milites, lectâ Antonii vitâ mox vota monastica suscepisse, relictis, quas habebant, sponsis: quod ubi istæ cognoverunt, eandem vitæ rationem amplexæ sunt.

3tio. S. Gregorius Magnus lib. 3. Dialog. cap. 14. de virgine Gregoria hæc narrat: *Dum adolescentiæ suæ tempore constitutis jam nuptiis in Ecclesiam fugisset, & sanctimonialis vitæ conversationem quæreret sponsum meruit habere in Cælo, quia sponsum fugit in terra.*

4to. Gregorius Turonensis lib. de vitis Patrum cap. ult. refert Leobardum rupto fœdere nuptiali, quod contraxerat cum

cum honesta puella, Monachum esse factum in majori Monasterio Turonensi.

Denique, ut alia multa prætermittamus, Venerabilis Beda lib. 4. Hist. Anglorum cap. 19. aliud non absimile suppeditat exemplum Edildridæ Reginæ, quæ Matrimonio juncta, nunquam se viro permisit, quòd nempe vellet Religionem ingredi, quam re ipsa ingressa est; ejusque corpus post mortem à corruptione diu præservatum fuisse narrat Historicus, Deo ita concedente in signum & præmium servatæ virginitatis.

104 Prob. 2do. Ex decretis Summorum Pontificum. 1mo. Alexander III. in Concilio Lateranensi III. annô 1179. in Appendice part. 5. cap. 1. & refertur Cap. *Verùm.* Tit. *De conversione conjugatorum.* 32. lib. 3. Decretal. *Post consensum illum legitimum,* inquit, *de præsenti datum, licitum est alteri, altero etiam repudiante, monasterium eligere, sicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt; dummodò inter eos carnis commixtio non intervenerit; & alteri remanenti, si commonitus servare noluerit continentiam, licitum esse videtur, ut ad secunda vota transire possit: quia cùm non fuissent una caro effecti, potest unus ad Dominum transire, & alter in Sæculo remanere.* Idem rursùs confirmat eadem parte cap. 8. & refertur Cap. *Ex publico.* eod. tit. ubi cupienti profiteri Religionem duos menses concedit ad deliberandum, quibus elapsis, aut Religionem ingrediatur, aut uxori adhærere compellatur. Solvit deinde objectionem, quæ peti posset ex Evangelio prohibente virum ab uxore discedere, exceptâ fornicationis causâ. *Sanè*, inquit, *quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro uxorem suam, nisi causâ fornicationis, dimittere, intelligendum est, secundùm interpretationem sacri eloquii, de his, quorum Matrimonium est carnali copulâ consummatum.* His non absimilia repetit idem S. Pontifex part. 50. cap. 30. & 31.

Innocentius III. Cap. *Ex parte.* Tit. *De conversione conjug.* *Nos tamen*, inquit, *nolentes à prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondêre consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquô inconsultô, ad Religionem transire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari.*

Gregorius Magnus à Gratiano citatus causâ 27. quæst. 2. Cap. *Decreta.* idem statuerat: *Decreta legalia*, inquit, *desponsatam, si converti voluerit, nullo omninò censuerunt damno mulctari.*

Denique Concilium Tridentinum Sess. 24. Can. 3. sic definit: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit*

CONCLUSIO VI. 105

Verisimile est, non posse summum Pontificem dispensare à vinculo Matrimonii rati non consummati.

Prob. 1mo. Ex Summis Pontificibus, qui declarant Matrimonium ratum non consummatum nullatenus dirimi per subsequens Matrimonium copulâ perfectum seu consummatum. Ita Innocentius III. Cap. *Ex parte.* Tit. *De convers. conjug.* docet, in nullo casu, *nequidem lepræ supervenientis, aut lapsûs in hæresim, sed ob solam Religionis professionem* posse dirimi Matrimonium ratum non consumatum. Nicolaus I. Cap. *Hi, qui Matrimonium.* causâ 32. quæst. 7. idem statuit. *Cùm*, inquit, *hi, qui Matrimonium contraxerunt, & uni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, & ob hanc infirmitatem & causam conjugia talia solvi non possunt. Similiter sentiendum est de his, qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à barbaris exsecti fuerint.* Ante ipsos

Alexander III. in appendice Concilii Lateranensis III. part. 6. cap. 8. jubet mulierem quæ, Matrimoniô ratô initô, posteà alteri nupsit atque Matrimonium consummavit, iterum ad priorem redire maritum. Atqui hæc non statuissent aut declarassent Summi Pontifices, si censuissent se habere potestatem aliquam dispensandi à vinculo Matrimonii rati non consummati. Ergo.

106 Ratio etiam suffragatur tùm quia non potest Summus Pontifex dispensare à Jure divino naturali. Atqui Matrimonium ratum, etsi non consummatum, Jure divino naturali est indissolubile. Ergo nullus privata & humana auctoritate, sed solus Deus, pro supremo, quod in res omnes habet, dominio potest à tali vinculo dispensare, sicut re vera dispensat in gratiam Religiosæ professionis. Tum quia non potest Papa dispensare à vinculo Matrimonii consummati. Ergo nec inconsummati. Par enim videtur in præsenti casu utriusque ratio.

Diximus *Verisimile est.* Nam plures Theologi, iique celeberrimi sunt in opposita sententia, scilicet, quòd Summus Pontifex propter alias causas, quàm voti solemnis, Matrimonium ratum nondum consummatum dissolvere possit. Quin Pyrrhus Corradus in praxi lib. 8. cap. 6. exempla dispensationum, quas in hanc rem concesśere Clemens VIII. & Urbanus VIII. adducit. S. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 3. affirmat se vidisse Bullas Martini V. & Eugenii IV. pro hujusmodi dispensationibus. Navarrus Enchiridii cap. 22. num. 22. testatur Paulum III. & Pium IV. ad petitionem suam dispensasse. Cajetanus in Opusculis Tom. 1. cap. 28. de Matrimonio, quæst. unicâ, refert sua ætate idem sæpiùs factitatum. Henriquez lib. 2. de Matrimonio cap. 9. n. 2. asserit Gregorium VIII. unica die cum Undecim dispensasse.

CONCLUSIO VII. 107

Mátrimonium Christianorum ratum & consummatum solvi non potest per ingressum in Religionem, seu per Monasticam professionem.

Prob. iisdem momentis, quibus suprà demonstravimus, Matrimonium Christianorum Jure naturali & divino positivo non dissolvi, nisi per mortem alterius conjugis. Atqui momenta illa efficaciùs concludunt pro Matrimonio consummato, quàm pro rato tantùm; cùm illud sit longè firmius.

Confirm. tùm ex S. Gregorio lib. 9. Epist. 39. ad Theoctistum, in qua reprehendit legem Civilem, quæ permittit contrarium. Tùm ex Cap. *Quidam*, quod est Alexandri III. & Cap. *Placet*, quod est Cœlestini III. lib. 3. Decretal. tit. 32. *De convers. conjug.* ubi Religionem professus, ignorante vel invita conjuge, ad eam redire compellitur. Ecclesia igitur non approbavit Justiniani Imperatoris legem 56. Codicis tit. 3. *De Episcopis & Clericis.* & aliam similem, quæ habetur in Authenticis Collat. 4. tit. 1. *De Nuptiis.* cap. 5. qua lege sine ulla exceptione conceditur facultas conjugatis *ad meliorem vitam migrandi*, & sub castitate vivendi. *Etsi hoc lex humana concessit*, ait S. Gregorius Magnus lib. 11. Epist. 45. aliàs lib. 9. Epist. 39. *Lex divina tamen probibet.* Quamquàm igitur ambo conjuges ex consensu mutuo continentiam voverent, staret nihilominùs firmum inter illos consummati conjugii vinculum.

CONCLUSIO. VIII. 108

Constans est Ecclesiæ doctrina Christianos conjuges aliquando licitè posse separari quoad thorum & cohabitationem, salvô Matrimonii vinculô. Est contra Novatores, qui, quamvis doceant

Matri-

Matrimonium dirimi poſſe ex qualibet gravi cauſa, negant tamen conjuges licitè ſeparari quoad thorum & cohabitationem, manente Matrimonii vinculo. Contra quos

Prob. Concl. 1mo. ex Scriptura. Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9. ubi Chriſtus ait: *Qui dimiſerit uxorem, exceptâ fornicationis causâ &c.* Ergo ſuppoſitâ fornicationis causâ licet dimittere uxorem; non quidem quoad vinculum, datâ ipſi licentiâ nubendi cum altero: namque ſtatim Chriſtus addit, *& aliam duxerit, mœchatur.* Ergo licet dimittere ob cauſam fornicationis ſeu adulterii, quoad thorum & cohabitationem, cæteraque nuptiarum bona & commoda. 1. Corinth. 7. v. 10. & 11. *Iis autem*, inquit Apoſtolus, *qui Matrimoniô juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Quibus verbis Apoſtolus duo ſupponit. Primum, per divortium, de quo loquitur, Matrimonium non dirimi, cùm decernat mulierem ſeparatam debere manere innuptam. Secundum, divortium illud eſſe licitum; optionem enim permittit mulieri, vel redeundi ad maritum, vel non redeundi, modò alteri non nubat: ſi autem illicitum eſſet divortium, procul dubio eam compelleret ad reconciliationem.

109 Prob. 2do. Ex communi Eccleſiæ praxi, quæ conſtat ex titulo *De divortiis.* 19. lib. 4. Decretal.

Accedit definitio Concilii Tridentini Seſſ. 24. De Matrimonio Can. 18. his verbis: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.*

110 Porro plures poſſunt eſſe cauſæ, præter crimen adulterii, divortii faciendi legibus expreſſæ, ut 1mo. Sævitia conjugis tanta, ut alter non poſſit illi cohabitare ſine periculo. Cap. *Litteras.* Tit. *De reſtitutione ſpoliatorum.* 2do. Si conjux laborat tantâ furiâ, ut ab ea ſit periculum. 3tio. Si tentaverit alium è medio tollere. 4to. Si ſollicitet ipſum ad peccatum, ita ut non poſſit ei cohabitare ſine periculo ſubverſionis, & incidendi in grave aliquod crimen. Cap. *Quæſivit.* Tit. *De divortiis.* 5to. Si defecerit à fide.

Illud autem diſcrimen intercedit inter 111 ſeparationem propter adulterium, & propter alias cauſas; quòd ſeparatio propter adulterium fiat ex cauſa Matrimonio propria & quaſi intrinſeca; tùm quòd perpetua eſſe poſſit, quia violata eſt carnis unitas. Non autem ita ſit de aliis cauſis ſeparationis, maximè cum vir ad meliorem mentem redit, ac vitiis renuntiat. Undè Chriſtus, omiſſis aliis cauſis, ſolius meminit fornicationis in juſta cauſa divortii; quia fornicatio ſcilicet ſeu adulterium directè ac ſpeciatim opponitur fidei conjugali, & ſubſtantiæ ipſius Matrimonii, ut jam dictum; cætera verò crimina aliis nociva, ſunt ſeparationis cauſa omnibus confœderationibus; filius à Patre, famulus à Domino æquè debent ſeparari, ac uxor à viro, quando ex convictu trahuntur ad hæreſim & aliud quodlibet flagitium. Item quia Chriſtus loquitur de divortio perpetuo; quærentibus enim Judæis, nùm liceat uxorem dimittere per libellum repudii quacumque ex cauſa (libellus autem repudii apud eos erat in perpetuum, ita ut mulier repudiata nunquam poſſet redire ad maritum) Chriſtus conſentaneè ad interrogationem reſpondet, id non licere, niſi in cauſa fornicationis; quia propter alia crimina divortium fit ſolummodò ad tempus, nimirùm donec conjux nocens reſipiſcat; ſi enim ſeriò convertatur, innocens tenetur pœnitentem recipere, eique affectu maritali cohabitare; quia iſta crimina

per

per accidens opponuntur Matrimonio. At propter adulterium, etiamſi ſemel tantùm fuerit patratum, & mox, qui peccavit, reſipiſcat, alter tamen conjux per totam vitam liberaretur à debito reddendo; ac proinde ſola fornicatio eſt juſta cauſa divortii perpetui. Atque ex hac ratione inferunt Theologi, ſuperveniente adulterio, conjugem innocentem poſſe in Religione approbata ſolemniter profiteri, etiam abſque conſenſu conjugis nocentis, non verò ipſum nocentem, niſi alter priùs fuerit profeſſus; quia adulter amiſit jus in corpus alterius, ſed non viciſſim innocens in corpus nocentis, à quo poteſt exigere debitum conjugale; cùm divortium in ejus gratiam duntaxat concedatur. Porro nomine fornicationis Matth. 5. & 19. non ſolùm intelligitur adulterium, ſed etiam omnis illicitus concubitus, ex Cap. *Meretrices.* cauſ. 32. q. 4. Unde S. Thomas in Supplem. quæſt. 62. art. 1. ad 4. docet peccatum contra naturam eſſe ſufficientem cauſam divortii.

Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus etiam intercedente fornicatione divortium licitum non eſt. Ut, 1mo. Si fornicatio fuerit ſine crimine, putà ſi uxor vim perpeſſa fuerit, aut bona fide alteri nupſerit, virum ſuum credens mortuum. 2do. Si uterque conjux eodem fornicationis crimine teneatur. 3tio. Si poſt adulterium cognitum ſecuta ſit reconciliatio, quæ cenſetur facta per actum conjugalem. 4to. Si vir fornicatus fuerit, ſive ante, ſive poſt uxoris adulterium, non poteſt in conſcientia illam expellere. 5to. Si vir ipſe uxorem proſtituerit, aut fornicandi dederit cauſam, v. g. debitum conjugale illi pertinaciter denegando. Ita ferè S. Thomas cit. q. 62. a. 1. Advertes tamen, quòd ſi noverit uxor virum adulterum pœnituiſſe, & ipſa nihilominùs perſeveret in adulterio, licitè dimitti poterit.

Quamvis conjux innocens in cauſa 112
adulterii, modò certus ſit de alterius adulterio, propria & privata auctoritate divortium facere poſſit quoad thorum; non tamen poteſt quoad cohabitationem; cùm enim hujuſmodi divortium ſit publicum, fieri non poſſet ſine ſcandalo & perturbatione ſocietatis, niſi accederet publica Judicis auctoritas & ſententia, & cùm contractus conjugalis ſit contractus publicus, illius etiam quoad cohabitationem ſeparatio publicè fieri debet, ex Cap. *Porro.* Tit. *De divortiis.*

Immò divortium ſeu ſeparatio conju- 113
gum quoad thorum & cohabitationem non ſolùm eſt licita, ùt patet ex hactenùs dictis, ſed aliquando neceſſaria & imperata. Sic vir tenetur dimittere uxorem adulteram, ſi ſe non emendet, quia alioquin videbitur conſentire ejus peccato. Hinc dixit Sapiens Prov. 8. v. 22. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt & inſipiens.* Ad quam ſententiam attendens S. Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 19. revocat quod ſcripſerat lib. 1. de Serm. Dom. ſcilicet, *permiſſum, non juſſum divortium.* & habetur Cap. *Si vir.* Tit. *De adulteriis.* ubi ſic decernit Concilium Arelatenſe: *Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps.* Et Cap. *Si quis.* Cauſ. 32. quæſt. 1. Maritus, qui cohabitaverit cum uxore adultera, duobus annis ſubjicitur pœnitentiæ.

Diximus, *Si ſe non emendet;* ſi enim illa reſipiſcat, ipſi condonandum eſt, cit. Cap. *Si vir.* ubi dicitur: *Quòd ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpè, recipere peccatricem.* Quo autem titulo eam recipere debeat, exponit Gloſſa ibid. *Debet*, inquit, *debitò boneſtatis, & non neceſſitatis; quia etiam poſt pœnitentiam poſſet eam accuſare de adulte-*

adulterio. Lege tamen charitatis teneretur cedere de jure ſuo, ſi uxor dimiſſa in magno æternæ damnationis periculo verſaretur non revocata; ordo quippe charitatis poſtulat, ut ſpiritualem proximi ſalutem temporali noſtro commodo præferamus. Unde S. Auguſtinus lib. 2. de conjugiis adulterinis c. 6. ſic ſcribit: *Poſteaquam Chriſtus ait adulteræ, nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare; quis non intelligat debere ignoſcere maritum, quod videret ignoviſſe Dominum amborum: nec jam debere ſe adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miſeratione deletum.*

114 Cæterùm non eſt eadem obligatio in uxore dimittendi virum in adulterio perſeverantem, 1mo. quia ex eo non videtur conſentire in ejus peccatum: quòd non poſſit illum cum auctoritate corripere, ſicut vir poteſt mulierem, cujus eſt caput. 2do. Quia non idem incommodum imminet cohabitando cum viro adultero, neque enim erit incertus pater prolis, nec falſus hæres ſupponetur. 3tio. Quia rarum eſt maritum adulterum corrigi propter ſeceſſionem uxoris; quin potiùs metuendum eſt, ne fiat deterior; quare ut plurimùm conſulendum eſt uxori, ne dimittat virum adulterum. Dicimus, *ut plurimùm*; quia ſi ex divortio probabiliter ſperaretur correctio mariti adulteri, uxor innocens teneretur illum dimittere ſeu potiùs deſerere.

115 Porro æquale eſt in utroque conjuge jus divortii ex cauſa adulterii; quia in iis, quæ pertinent ad thorum, pares ſunt maritus & uxor, necnon æqualis eſt utriusque conditio; & ſicut vir poteſtatem habet in corpus uxoris, ita & uxor in corpus viri, ex Apoſtolo 1. Cor. 7.

116 Denique cùm in adulterio duplex reperiatur malitia: altera impudicitiæ, altera injuſtitiæ, adulterium ratione impudicitiæ gravius eſt in viro quàm in muliere: ratione verò injuſtitiæ gravius eſt in muliere, quàm in viro, qui cum ſoluta adulterat.

Rationem 1mi affert S. Auguſtinus lib. 2. de conjug. adult. cap. 8. ubi refellens querelas maritorum, quòd in luendis pœnis adulterii mulieribus comparentur, *Quaſi non propterea*, inquit, *magis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frænare, quia viri ſunt; quaſi non propterea magis debeant mulieribus ſuis ad virtutis hujus exemplum ſe præbere, quia viri ſunt; quaſi non propterea minùs debeant à libidine ſuperari, quia viri ſunt? Et tamen indignantur, ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas; cùm tantò graviùs eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet & virtute & exemplo vincere fœminas. Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt* Caput mulieris vir, *ubi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere, & ideò cavendum viro illac ire vivendo, qua timet ne uxor ſequatur imitando.*

Ratio 2di eſt, quia uxor adultera injuriam facit tùm proli, cujus incertum reddit patrem, tùm marito, cui falſum, vel ſaltem dubium hæredem ſubſtituit. Adde, quòd virum majori infamiâ aſpergat, quàm ipſam maritus adulter. Undè ſimpliciter & abſolutè gravius eſt adulterium uxoris, quàm mariti, proptereaque per leges civiles punitur ſeveriùs.

Modò pauca hîc adhuc addenda ſunt 117
de neceſſitate & præcepto Matrimonii. Certè extare naturale ac divinum Matrimonii præceptum vel inde patet, quòd natura ipſa ſuggerat conſervationi ac propagationi generis humani conſulendum eſſe, in quem finem inſtitutum fuit Matrimonium, cui Deus benedixit Geneſ. 1. his verbis: *Creſcite & multiplicamini &c.* Adeoque initiô generis humani

lege ipſa naturæ tenebantur omnes inire conjugia. Non item poſt ſufficientem humani generis propagationem. Legimus enim in Lege veteri, poſtquam ſufficienter propagatum fuit genus humanum, nonnullos, ſine injuria legis divinæ & naturalis, cœlibes & caſtos vixiſſe, quales fuêre Joſue, Elias, Jeremias. Unde Iſaiæ 56. & Sapientiæ 3. laudatur caſtitas thori conjugalis neſcia. Quod ergo legimus Deut. 7. & Exod. 25. *Sterilem non fore quemquam in terra Iſraelitica*, non præcepti ſed promiſſionis ſermo eſt, quo benedictio fœcunditatis promittitur conjugibus Dei mandata ſervantibus: nam ſterilis non dicitur, qui, vel quæ conjugium non ſuſcipit; ſed qui, vel quæ conjugiô utens, liberos ſuſcitare non poteſt, eaque ſterilitas in opprobrium & maledictionem reputabatur, ut patet exemplô Eliſabeth, Luc. 1.

Quòd ſi poſt ſufficientem humani generis propagationem nullum ampliùs in lege veteri extabat conjugii præceptum; multò minùs in Lege Chriſti tenentur omnes & ſinguli ad Matrimonium, quamvis neceſſe ſit aliquos, qui ad conſervationem ſpeciei, aliquando ad propriam infirmitatem, & ſalutem æternam, Matrimoniô conjungantur. Quamvis enim Matrimonium bonum ſit, melior tamen eſt continentia, ad quam adhortatur Apoſtolus 1. Corinth. 7. Liberum igitur eſt in nova Lege nuptias celebrare, imò neceſſarium quidem toti hominum communitati, ſed non ſingulis hominibus, qui, quod melius eſt, ſectari poſſunt. Sunt tamen, quos per accidens, ut dicitur, ſpeciatim obligat Lex ineundi Matrimonii, eos v. g. qui continentiæ donum non habent; *Melius eſt enim nubere, quàm uri*, qui ſunt in proximo fornicationis periculo: aliquando etiam publica & communis Regnorum utilitas poſtulat, ut Principes vel alii viri primarii conjugali fœdere uniantur.

Solvuntur Objectiones. 118

Ob. 1mo. Contra 1mam Concluſionem. Quod jure naturali & intrinſecè eſt inſolubile, nusquam dirimi ac diſſolvi poteſt; jus quippe naturale immutabile eſt, nec in eo diſpenſatio humana locum habet. Atqui Matrimonii diſſolutio etiamnum Principum Chriſtianorum legibus permiſſa fuit, ut Conſtantini Magni, lib. 3. Codicis Theodoſiani tit. 16. *De repudiis.* Juſtiniani Novellâ 117. Ergo.

Reſp. Diſt. min. Et hoc ab Imperatoribus factum eſt præter jus & illicitè, conc. De jure & licitè, neg. min. A facto ſeu exemplo ad jus ipſum hîc trahi non debet argumentum. Non enim ex eo, quòd aliqui Principes Chriſtiani permiſerint repudium, ſequitur illud eſſe licitum; quaſi verò omnes & ſingulæ quotquot unquam extitêre civiles leges à Chriſtianis Principibus latæ juſtæ ſemper & æternæ legi conformes fuerint: nonnullas illi aliquando ſanxerunt, improbitate, ut ita dicamus, hominum ſuperati, ad majus præcavendum malum, quas aliàs non tuliſſent, ſed quæ excuſari à culpa non poſſunt, cùm adverſantur legi divinæ & naturali. Hujusmodi leges, *cùm iniquæ recognoſcuntur*, inquit Tertullianus Apologet. cap. 4. *meritò damnantur.* Et S. Hieronymus Epiſtol. ad Oceanum, *Aliæ ſunt*, inquit, *leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papianus, aliud Paulus noſter præcipit.* S. Auguſtinus Serm. 392. aliàs 49. inter 50. *Hoc non licet*, ait, *jure poli, etſi liceat jure fori.* Et lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10. *Sterilem conjugem relinquere, ut alia fœcunda ducatur nefas eſt. Quod ſi quisquam fecerit, non lege hujus Sæculi, ubi interveniente repudio ſine crimine conceditur ſed lege Evangelii reus eſt adulterii.*

S. Chryſoſtomus Homil. in hæc Apoſtoli verba 1. Corinth. 7. *Mulier alligata eſt*

est legi &c. Ne mihi, inquit, *leges ab exteris conditas legas præcipientes dari libellum repudii, & divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundùm eas quas ipse statuit.*

S. Gregorius Nazianzenus Epist. 211. *Divortium*, inquit, *legibus nostris omninò displicet, tametsi Romanæ aliter decernant.*

S. Gregorius Magnus de lege civili, quæ Religionis causâ permittebat solvi conjugia, ita scribit lib. 11. Epist. 45. aliàs lib. 9. Epist. 39. *Sciendum est, quia etsi lex humana concessit, divina tamen probibet.*

Hocce Gregorii testimonium postquam retulit Nicolaus I. Epist. 32. ait: *Civiles Imperatorum leges nullum posse præjudicium inferre Evangelicis, Apostolicis, aut Canonicis Decretis.*

Et ante illos Innocentius I. Epist. ad Exuperium cap. 6. ait, *ex utraque parte esse adulteros, qui interveniente repudio alii se Matrimonio copulârunt.*

119 Ob. 2do. Contra Conclusionem 3tiam. Judice ipso Christo libellus repudii permissus fuit à Moyse *ad duritiam cordis* duntaxat. Ergo re ipsa fuit illicitus, nec à culpa immunis fuit, sed permissus tanquam minus malum ad immunitatem poenæ.

Resp. neg. cons. Potuit enim Deus ad duritiam cordis id Judæis permittere, ita tamen, ut peccatum esse desineret.

120 Ob. 3tio. Contra eandem Conclus. Deuter. 24. Uxor repudiata, quæ cum altero nupsit dicitur *polluta & abominabilis coram Domino.* Ergo ejus conjunctio cum altero viro est verum adulterium, adeoque illicita.

Resp. Neg cons. Nam uxor repudiata 1mo. dicitur polluta legaliter, eo ferè modo, quo immundus apud Judæos dicebatur legali quadam immunditia, qui mortuum, vel leprosum tetigisset. 2do. Polluta dicitur & abominabilis coram Domino, tùm quia Deus severè prohibuerat, ne si à secundo marito repudiata fuisset, rediret ad priorem; tùm quia maritus eam publicâ infamiâ notaverat eo ipso, quo illam dimiserat.

Ob. 4to. Contra eand. Conclusion. 121
Mulier repudiata, quæ alterum virum ducit cum fornicariis comparatur à Jeremia cap. 3. v. 1. *Vulgò dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit alterum, nunquid revertetur ad eam ultrà? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Atqui non esset apta comparatio repudiatam inter & populum, qui spiritualiter fornicatus est cum idolis, nisi repudiata ream adulterii se constitueret nubendo alteri. Ergo, &c.

Resp. neg. min. Est enim argumentum à minori ad majus: nempe lex prohibet, ne mulier, quæ repudiata alteri nupsit, à priori viro recipiatur, si defunctô posteriori ad eum redierit: *Ego tamen*, ait Dominus, *redeuntem ad me populum Israel recipiam, quamvis non solùm me dimiserit, sed etiam fornicatus sit cum multis idolis*, intellige, spiritualiter.

Ob. 5to. Contra eandem Concl. Non 122
aliter permittit Deus Judæis dimittere uxores suas Deut. 24. quàm usuras accipere ab alienigenis, ibid. cap. 23. v. 19. Atqui usuras nunquam sic permisit Deus, ut licitæ forent, sed toleravit duntaxat tanquam minùs malas comparatè ad eas, quas in fratres suos exercere parati erant, præ sua duritia & avaritia. Ergo.

Resp. Neg. maj. Nam quælibet usuræ absolutè & absque ulla discretione fratris vel extranei damnantur in Lege veteri

Ooooo 2 Levit.

Levit. 25. v. 36. Psal. 24. v. 5. & Psal. 54. v. 12. Ezechiel. 18. v. 9. Non ergo sine culpa exercebantur à Judæis, etiam in extraneos, licèt absque ulla punitione. At non ita est de repudio, quod nullibi in Lege veteri damnatur tanquam malum & illicitum.

123 Ob. 6to. Contra eand. Conclus. Si dispensante Deo libellus repudii solvisset apud Judæos vinculum conjugale, nullum tunc temporis fuisset discrimen inter Matrimonium & solutam fornicationem: in eo enim tantùm distat conjugalis unio à fornicaria, quòd ista solvi possit & debeat, cùm nulla sit lege adstricta; illa verò solvi non possit. Atqui non stat discrimen illud juxta sententiam, quam nos propugnamus. Ergo.

Resp. neg. maj. Tùm quia Matrimonium ex se & propria conditione firmitatem perpetuam exigit, atque per accidens est, quod dissolvi possit: non ita fornicatio, quæ omni lege soluta est. Tùm quia Matrimonium in se bonum est ac honestum: non ita fornicatio, quæ ex se mala est. Tùm quia mutua esse debet inter conjuges fides & obligatio: non ita inter fornicarios. Tùm denique quia filii ex Matrimonio suscepti sunt legitimi, spurii verò, qui ex fornicatione.

124 Ob. 7mo. Contra Conclusion. 4tam. Matth. 19. v. 9. hæc ait Christus ipse: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo à contrario, qui dimittit propter fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur, hæc enim est contrariorum ratio.

Resp. neg. cons. Propositio enim adducta non est propriè in genere contrariorum. Propositio siquidem, ut verè sit contraria, debet esse de eodem sub eodem respectu. Atqui falsò supponit objectio in verbis Christi exceptionem hanc, *nisi ob fornicationem*, intelligi simul & de dimittenda uxore, & de alia ducenda, quasi ex æquo ad utrumque propositionis membrum referretur, & ad *dimiserit*, & ad *aliam duxerit;* exceptio enim, nisi *ob fornicationem* non refertur nisi ad verbum *dimiserit*, ita ut per parenthesim sit pronuntiandum hoc modo: *Quicumque dimiserit uxorem* (quod non licet *nisi ob fornicationem*) *& aliam duxerit, mœchatur.* Suadetur hæc expositio 1mo. quia Christus non adjecit illam exceptionem post hæc verba, *& aliam duxerit:* non enim ait, *& qui dimissam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur:* sed simpliciter ait, *& dimissam duxerit mœchatur;* ut nimirùm indicaret causam fornicationis reddere licitam dimissionem, minimè verò novi conjugii celebrationem 2do. Quia adducto locô Christus respondet Pharisæis ab ipso quærentibus, nùm liceret homini uxorem dimittere, quacumque ex causa; ait non licere ex quacumque causa etiam levi, ut moris erat apud ipsos, sed ex gravi dumtaxat, putà fornicationis; obscurè autem, ad vitandas nempe interrogantium, illum hac in parte tentantium, ut sacer textus declarat, calumnias de neglecta Moysis doctrina, indicat non licere dimittenti aliam ducere; nam ubi seorsim discipulos edocuit, legem Evangelicam planiùs exposuit, *Et in domo*, ait S. Marcus (r), *iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum, & ait illis; quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* 3tio. Exponendus est citatus S. Matthæi textus per textus SS. Marci & Lucæ, quos suprà in Conclusione recensuimus, apud quos nulla hujus exceptionis fit mentio; igitur illa

(r) Cap. 10. v. 11.

illa fornicationis exceptio, quam interjicit S. Matthæus, intelligi debet, non de libertate ducendi aliam uxorem, ſed tantùm dimittendi adulteram. Et ita intelligendam eſſe facit & auctoritas S. Pauli, qui nulla pariter adjecta reſtrictione, ſed ſimpliciter & abſolutè pronuntiat ſola morte ſolvi conjugale vinculum, nec debere uxorem à viro recedere, quamdiu ille vivit. 1. Corinth. 7. v. 10. & v. 39. item Rom. 7. v. 3. illius textus ſuprà in Concluſione adduximus. 4to. Quòd ſi verò ſenſus verborum Marci, Lucæ, & Apoſtoli pendere deberet ex textu Matthæi, decepti fuiſſent Romani, Corinthii, & alii, ad quos non pervenerat Matthæi volumen (quod certum eſt ad eos non perveniſſe, quos Paulus & Marcus primi ad fidem adduxerunt) intellexiſſent enim ex Marci Evangelio, & ex Epiſtolis Apoſtoli, non licere ex quacũque cauſa, etiam fornicationis, aliud inire Matrimonium, quod tamen falſum eſſet, ſi, ut contendunt adverſarii, Chriſtus dixiſſet Matth. 5. & 19. id licitum eſſe. 5to. denique, Si lex Exangelica Matth. 5. & 19. promulgata vinculum conjugale ſolveret in cauſa fornicationis, januam aperiret adulteriis, quæ morte non ulciſcitur lex Evangelica, ſicut lex Moſaica; per ea quippe uxor liberaretur à viro moleſto, & hic viciſſim ab uxore odioſa, & toties nova Matrimonia contrahere poſſent, quoties novis amoribus implicarentur; ſicque contractus conjugalis omnium firmiſſimus reſcinderetur pro conjugũ libidine, nullumque eſſet conjugii vinculum, ſed ſolutus concubinatus. His autem corruptelis & ſocietatis humanæ perturbationibus Chriſtum occluſiſſe, nedum aperuiſſe januam quis negaverit?

125 Inſt. 1mo. Si clauſula exceptiva, *niſi ob fornicationem*, in citatis Chriſti verbis referri tantùm debeat ad verbum *dimiſerit*, & non ad *duxerit aliam*, duo ſequentur abſurda. 1mo. Nullâ aliâ de cauſa, præterquam fornicationis, poſſe uxorem à viro dimitti, etiam quoad uſum conjugii & cohabitationem; nullam enim aliam cauſam expreſſit Chriſtus. Atqui tamen nemo negaverit, poſſe ob plures alias graves, quas ſuprà recenſuimus, cauſas virum ab uxore ſeparari. 2do. Abſurdum eſt, quòd ſi de ſola dimiſſione quoad uſum conjugii & cohabitationem Chriſtus locutus dicatur, ejus reſponſio minimè fuit apposita & accommodata Judæorum interrogationi: iſti etenim de dimiſſione quoad vinculum, quam ſolam noverant, & quam licitam ipſis fecerat Moyſes, Chriſtum interrogaverant.

Reſp. Neg. utrumque iſtud abſurdum ſequi ex reſponſione Chriſti. Non 1mum. Namque, qui unam cauſam dimiſſionis commemorat, non alias propterea excludit; ſed unam fornicationem voluit Chriſtus deſignare, tùm quia præcipua eſt & capitalis veluti cauſa ſeparationis ab uſu conjugii; tùm quia ea de cauſa poteſt vir ab uxore perpetuò ſeparari; tùm denique, quia ſic voluit carpere pravam Judæorum conſuetudinem, qui nullis, aut leviſſimis ex cauſis ſuas uxores dimittebant.

Non 2dum. Chriſti enim reſponſio apposita eſt ad interrogata Phariſæorum, atque ſapientia & æquitate plena. Duo quippe continebat illorum interrogatio: 1mum. an liceret quacumque ex cauſa dimittere uxorem; 2dum. an eâ dimiſsâ liceret alteram ducere. Ad 1mum. reſpondet Chriſtus, non licere quacumque ex cauſa dimittere uxorem, ſed ex cauſa graviſſima, qualis eſt inter cæteras fornicatio, quam unam appellat, utpotè præcipuam, cæteris tamen non excluſis, ſi graves fuerint non verò leves. Ad 2dum. reſpondet, etiam dimiſſa propter fornicationem uxore, non licere aliam

ducere: qua ſua reſponſione revocavit Chriſtus licentiam à Moyſe conceſſam. Hunc reſponſionis Chriſti ſenſum eſſe haud dubiè intellexerunt ejus diſcipuli; ſtatim enim, illius difficultate permoti, Chriſto objiciunt v. 10. *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Quibus hoc unum repoſuit Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* Innuens ſcilicet, debere virum, qui adulteram dimiſit, aut cum ea reconciliari, prout poſteà monuit Apoſtolus, qui utique mentem Chriſti Domini optimè novit, & interpretatus eſt, aut ſe continere, quamdiu illa vivit, prout idem Apoſtolus decernit: quod certè non ſapit, vixque intelligit carnalis Judæorum animus, non tamen impoſſibile eſt, quamvis datum ſit paucis. *Sunt enim*, addit ibid. Chriſtus, *Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum.*

126 Inſt. 2do. Lex Chriſti neminem cogit ad perpetuam continentiam, quæ paucis data eſt. Atqui ſi non liceret viro, dimiſſa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam ea vivente continentiam. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Lex Chriſti neminem cogit ad perpetuam continentiam directè & per ſe, conc. indirectè & quaſi per accidens. neg. maj. Sic, v. g. qui perpetuam vovit continentiam, aut eum vitæ ſtatum elegit, in quo illa ſervari debet, profectò indirectè ſaltem & per accidens lex Chriſti hunc ad continentiam obſtringit: hoc modo cœlibem vitam tenentur agere, qui ſacros Ordines ſuſcipiunt, aut Religionem ſolemniter profitentur. Ita pariter, qui uxorem ſuam dimittit propter adulterium, aut tenetur ſe continere, aut ſi non poteſt, redire ad uxorem & cum illa reconciliari. Imò ſi uſu uxoris ex aliqua neceſſitate privatur, v. g. illius perpetua infirmitate, vel abſentiâ diuturnâ, non poteſt accedere ad aliam, ſed aſſiduis orationibus ac piis operibus à Deo poſtulandum eſt ipſi donum continentiæ.

Item negari poteſt minor propoſitio, quæ abſolutè falſa eſt: nam ſi vir ille ſe continere non poteſt, paratum habet remedium, quod ſuppeditat Apoſtolus, nempe, ut *cum uxore reconcilietur*, ac condonet ipſi delictum ſuum, ſicut optamus, ut Deus noſtra nobis condonet.

Inſt. 3tio. Adulterium deſtruit illam 127
carnis unitatem, in qua poſita eſt natura Matrimonii, juxta illud, *Erunt duo in carne una.* Ergo per adulterium diſſolvitur vinculum conjugale.

Reſp. neg. conſ. Nam eſſentia Matrimonii *in facto*, ut dicitur, *eſſe* conſiſtit in illo nexu ſeu vinculo perpetuo, quod reſultat ex conſenſu interno & pactione externa; unitas verò carnis, mutua corporum traditio, & alia hujusmodi ſunt effectus aut proprietates conſequentes, quas lædit quidem adulterium, dum violat jus conjugale, ſed non propterea vinculum ipſum deſtruit. Quamquam etſi concederetur per conjunctionem illam in unitate carnis perfici Matrimonium, non tamen rectè inferretur diſſolvi vinculum conjugii, quando per adulterium caro dividitur, ſed tantùm diſſolvi ſocietatem thori: quemadmodùm etſi conſenſus mutuus efficiat Matrimonium, non tamen, poſtquam perfectum eſt, diſſolvi poteſt ex mutuo conſenſu.

Inſt. 4to. Adulterium contrarium eſt 128
triplici bono conjugii, nempe fidei, quam violat; proli, quam facit incertam; Sacramento, cujus lædit ſignificationem, de qua part. 3tiâ agemus. Ergo vinculum conjugale diſſolvit.

Reſp. Neg. conſ. Vinculum enim conjugale ab hisce tribus diſtinguitur, quibus etiamnum violatis, tamen integrum

grum & firmum perſeverat, ut patet ex priori reſponſione.

129 Inſt. 5to. Fornicatio ſpiritualis, hoc eſt infidelitas, diſſolvit Matrimonium, prout ſuprà Concluſ. 2dâ. obſervavimus. Ergo & fornicatio corporalis idem poterit.

Reſp. Neg. conſ. & parit. Cujus non alia reddi poteſt ratio, quàm divina voluntas, quæ in gratiam fidei permiſit in adducto caſu ſecundas nuptias, quòd priores, utpotè in infidelitate contractæ, ratæ per Baptismum non fuerint, quas omninò prohibet in cauſa adulterii.

130 Ob. 8vo. Contra eand. Concluſ. Lactantius lib. 6. cap. 23. Divinarum Inſtitut. ſcribit, *adulterum non eſſe, qui in cauſa adulterii dimiſſam duxerit in uxorem.*

Reſp. Lactantium attendere ad leges civiles, quæ ſic dimiſſam ab alio duci permittebant, ſed contra legem Chriſti, ut Lactantius ibidem agnoſcit; ſic enim pergit: *Sed divina lex ita duos in Matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit.*

131 Inſt. Idem Lactantius in Epitome c. 6. *Nunquam*, inquit, *conjugalis fœderis vinculum, niſi quod perfidia ruperit, reſolvatur.*

Reſp. Illum hîc loqui de diſſolutione quoad thorum & cohabitationem; nam *divina lex*, inquiebat ſuprà, *ita duos conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit.* Enimverò vinculi nomen in re præſenti latiùs patet, & pro ſeparatione quoad uſum conjugii non raro uſurpatur, ut conſtat ex Can. 10. Concilii Forojulienſis annô 791. ubi ſic decernitur: *Placuit ut reſolutô fornicationis causâ conjugali vinculô, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere ſed nec adulteræ alium virum accipere nec vivente, nec mortuô, quem non erubuit defraudare, maritô.*

Ob. 9no. Contra eand. Concl. S. Ambroſius in cap. 7. 1. Corinth. ſcribit, licere viro in cauſa fornicationis aliam uxorem ducere. 132

Reſp. 1mo. S. Ambroſium non eſſe auctorem hujusce Commentarii, ſed vel Pelagium, vel Hilarium Diaconum Eccleſiæ Romanæ factionisque Luciferianæ aſſeclam, ex S. Hieronymo in ſuo adversùs Luciferianos Dialogo.

Reſp. 2do. Commentatorem illum loqui juxta legem Civilem, non verò juxta Eccleſiaſticam, quæ edicta Imperatorum in præſenti cauſa, velut iniqua & legi Evangelicæ contraria, ſemper improbavit, ut ipſe S. Ambroſius ultrò agnoſcit lib. de Abraham, cap. 4. & 7. & lib. 8. in cap. 16. Luc. num. 5. ubi, *Dimittis ergo*, inquit, *uxorem, quaſi jure, ſine crimine; & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet: ſed divina prohibet.*

Ob. 10mo. S. Leo Epiſt. 87. ad Epiſcopos Africæ cap. 1. Sacerdotem, qui, uxore dimiſſa alteram duxerat, ab Ordine ſuo duntaxat removet, tanquam bigamum, non autem ſignificat irritum fuiſſe Matrimonium, ſed tacendo magis probare videtur. 133

Reſp. 1mo. Loqui S. Leonem de conjugiis factis ante Ordinationem, ne quis hinc ſuſpicetur Sacerdotibus aliquando permiſſum ab Eccleſia fuiſſe Matrimonium.

Reſp. 2do. De validitate aut invaliditate ſecundi hujus Matrimonii nihil pronuntiaſſe S. Pontificem, quia de ipſius dumtaxat Ordinatione interrogatus fuerat, non de ſecundo Matrimonio.

Ob. 11mo.

134 Ob. 11mo. Contra eand. Conclusion. Alcimus Avitus Episcopus Viennensis, qui obiit annô 521. Epist. ad Ansemundum num. 49. ait, *propter solam fornicationem Deum permisisse separari virum à conjuge.* Ad quæ verba observat Sirmondus, tunc temporis in Gallia persuasum fuisse, propter fornicationem separari virum ab uxore, & aliam ducere Christi permissu licuisse, quod confirmat ex Canone Concilii Venetici annô 465. in quo dicitur *eos, qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, exceptâ causâ fornicationis, sine adulterii probatione, alias duxerint à communione arcendos esse.*

Resp. Avitum rectè posse & debere exponi de separatione quoad thorum & cohabitationem, quæ certè licita est ex causa adulterii. Gratìs autem dicit Sirmondus, in Gallia licitum fuisse uxorem adulteram dimittere & ducere aliam: priùs licuit, nusquam posterius. Neque contrarium evincit ex Concilio Venetico, cujus hic unicus videtur esse scopus, reprimere scilicet abusum eorum, qui uxores suas propter adulterium dimittebant, & alias ducebant, antequam juridicè probassent reas adulterii esse uxores suas. Jubet itaque Synodus, ut nullus ea de causa uxorem suam dimittat, nisi priùs coram Judice Ecclesiastico probatum sit crimen, & ab eo separationis sententia pronuntiata. An verò post separationis sententiam licitum sit alteram ducere uxorem, non affirmat Synodus; non quòd ignoraret, quid ferret lex Christi & Ecclesiastica consuetudo, quam haud dubiè noverat confirmatam fuisse in Concilio Arelatensi I. quod Conclusione 4ta laudavimus. Sed quòd necesse haud esset de ea tunc statuere, cùm magis urgeret alter abusus, cui sine mora erat occurrendum.

135 Ob. 12mo. Joannes Papa VIII. qui ab anno Christi 872. usque ad ann. 882. rebus Ecclesiæ præfuit, Ep. 65. sic ait: *Cùm priorem legitimô sibi matrimoniô junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur* (in causa fornicationis) *aliam, vivente priore, conducere.*

Resp. Corruptum esse textum, neque enim cohærent posteriora verba cum prioribus. Sic autem textus refertur Tom. 9. Conciliorum: *Et ideò cùm priorem legitimô sibi Matrimoniô junctam quisquam deserere nequeat, nulla prorsùs ratione illi conceditur aliam, vivente priore, conducere.*

Ob. 13tio. Clemens III. qui ab anno 136
1188. usque ad annum 1191. Ecclesiæ Romanæ clavum tenuit, in Decretali *Laudabilem* permisit solvi Matrimonium, & aliud contrahi propter hæresim alterius conjugis. Ita testatur Innocentius III. lib. 4. Decretal. tit. 9. *De divortiis.* c. 7. ad Ferrariensem Episcopum.

Resp. Re ipsa deceptum fuisse Clementem, si existimavit penes se esse dissolvere propter hæresim Matrimonium. Unde Innocentius III. mox citatus contrarium declaravit; & Synodus Tridentina Sess. 24. Can. 5. anathemate damnat eos, *qui dicunt, dissolvi propter hæresim vinculum Matrimonii.*

Ob. 14to. Pœnitentiale Romanum in 137
causa adulterii permittit parti innocenti ad alia transire vota, quod sonti denegat. Idem legitur in Concilio Vermeriensi Can. 5. & 9. annô 752. & in Concilio Compendiensi Can. 8. annô 757. Similia habentur Cap. *Concubuisti*, quod est Zachariæ Summi Pontificis. Et Cap. *Si quis eum*, ex Concilio Triburiensi, habenturque Causâ 32. quæst. 7. Ergo.

Resp. Quæ hîc objiciuntur, spectant disciplinam, juxta quam qui propter graviora crimina publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, Matrimonium inire nunquam poterant, neque etiam mortuo conjuge innocente, quamvis iste mortua con-

conjuge adultera, non verò priùs, permitteretur ad alia transire vota; quin & ipsi marito, qui defunctâ uxore adultera ad alias nuptias transibat, pœnitentia imponi solebat quamvis innocenti, quia, ut suprà observavimus, secundæ nuptiæ, etsi absolutè non prohiberentur, tamen aliquod incontinentiæ signum præseferebant, propter quam viduis nubentibus imponebatur pœnitentia.

Pœnitentiale Romanum igitur, & citata Concilia & Capitula nihil aliud innuunt, quàm quod ex Concilio Forojuliensi suprà retulimus.

138 Ob. 15to. Contra Conclus. 5tam. Nec Summi Pontifices, nec Concilia definire potuerunt Matrimonium ratum solvi per solemnem Religionis professionem, nisi ex divina revelatione, quæ Ecclesiæ innotescit per sacram Scripturam, vel per Traditionem. Atqui neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligi potest Matrimonium ratum dirimi per solemnem Religionis professionem. Non ex Scriptura, quæ absolutè & sine exceptione pronuntiat, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. 19. Non etiam ex Traditione. Nam Historiæ hac de re in Conclusione allatæ 1mo. innuere tantùm videntur, inter illas personas fuisse obligatam duntaxat fidem pro futuris nuptiis, non verò verum & ratum fuisse Matrimonium per verba de præsenti. 2do. Ut adducta exempla valerent, constare deberet, eas personas solemne votum emisisse in Religione approbata: id autem falsum de S. Thecla; incertum verò de reliquis est. 3tio. Etsi constaret verum & ratum fuisse earumdem Matrimonium, ex istis nihilominùs exemplis inferri non potest, quod volumus, nisi constet, quod tamen non constat, conjugi in Sæculo derelicto liberum fuisse alii nubere. 4to. Adducta in Conclusione exempla ista incertæ videntur esse fidei; proinde firmum pro nostra sententia argumentum non subministrant. 5to. Adducta in Conclusione Decreta sunt recentiorum Summorum Pontificum, qui in gratiam Monachorum Jus illud novum induxerunt, cujus nullum extat vestigium in antiquis prioris antiquitatis monumentis. Ergo &c.

Resp. neg. min. ad ejus prob. neg. ant. Atque dicimus Matrimonium ratum dirimi per solemnem Religionis professionem, haberi & colligi ex Traditione; quam 1mo. exhibent adducta in Conclusione facta & exempla & à viris sanctissimis ac proindè fide dignissimis relata; atque ideò non nisi temerè, nec dicamus, impudenter in dubium revocari possunt: Igitur audiendi non sunt, qui critices intemperantis studiô, exempla illa velut incerta & dubia multùm elevant. *Plerique*, ait, de hujusmodi hominibus, Melchior Canus lib. 11. de Loc. Theol. cap. 4. Conclus. 2. *nostra hac ætate perversè, ne dicam, impudenter, res, quas esse gestas viri gravissimi testantur, in dubium vocant, qui, si idoneas causas probabilesque redderent, audiendi quidem essent, cum verò reddant nullas, contemnendi sunt, ut qui communem hominum sensum exuerint, judiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est testimonia rejecerint, vitæque Magistram, prudentiæ subsidium, lucem veritatis, Historiam neglexerint, &c.* Gratìs etiam fingitur inter illas pias personas sponsalia duntaxat fuisse pro futuro, non verum & ratum Matrimonium de præsenti; nam contrarium omnino indicant istæ loquendi rationes, *pactæ, constitutæ nuptiæ; thalamo oppignorata mulier, &c.* Nec obest, quòd sponsi & sponsæ nomine non rarò appellentur, non autem semper conjuges, ii, de quibus præfata exempla; & quod statim non fuerit consummatum Matrimonium. Namque 1mo. Conjuges ante consummationem, quamquam verô conjuncti Matri-

Matrimonio sponsi & sponsæ nomine appellari solent in Jure Canonico Cap. *Ex publico.* Cap. *Charissimus.* Cap. *Ex parte tua.* Tit. *De convers. conjug.* Ita B. Virgo sponsa dicitur Josephi, etsi verè uxor, sed ab ipso nunquam carnaliter cognita. 2do. Etsi conjuges fœdere conjugali jam colligati, non statim conveniebant, sed rectè observat S. Augustinus lib. 8. confess. cap. 3. *institutum olim fuisse, ut sponsæ jam pactæ citò viris non tradantur, ne,* inquit, *vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam.* At verò sanctas has personas, de quibus adducta exempla, solemni votô se Religioni devovisse, atque Monasticam vitam fuisse amplexas testantur illi SS. Patres, sub quorum fide ea facta adduximus. S. Thecla verò S. Pauli Apostoli disciplinam amplexa est, quod utique omnis regularis disciplinæ & voti solemnis locô esse debet; nec quòd amore cœlestium nuptias suas dissolvisset, seque illi tradidisset, eam rejecit. Et etiam licèt in citatis exemplis non legamus derelictum conjugem ad alias convolasse nuptias, id tamen ipsi licitum fuisse, certò colligimus, tùm quia ruptô semel vinculô, liber est, qui in Sæculo remanet: tùm quia SS. Pontifices in Conclusione citati iis ipsis innixi, quæ adduximus, exemplis, expresè declarant relictum conjugem posse, si voluerit, alteras celebrare nuptias. Falsum denique est, quod quintô locô objicitur: namque 1mo. Gregorius Magnus à nobis in Conclusione appellatus sextô floruit Ecclesiæ Sæculô. 2do. Jus illud non tanquam novum & à se primum excogitatum, sed à prædecessoribus ad se continua Traditione transmissum proponunt ac confirmant. 3tio. Illud colligunt ex antiquis & approbatis, quæ retulimus, Sanctorum exemplis.

2do. Igitur hujus Catholicæ nostræ sententiæ exhibent Rescripta SS. Pontificum, & Conciliorum, præsertim Tridentini Decreta, quibus, ut dictum, rem novam non statuunt, sed quam, per continuam Traditionem à prædecessoribus acceperunt, declarant, & confirmant, ac stabiliunt.

Inst. 1mo. Deus per Matrimonium ratum conjuges inter se conjunxit. Atqui divinum est oraculum, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo nec Summi Pontifices, nec Concilia illos separare possunt. 139

Resp. Dist. maj. Quos Deus conjunxit in carne una, homo non separet, conc. Quos conjunxit in uno spiritu duntaxat, homo non separet, neg. maj. Namque Christus verba sua restrinxit ad eos conjuges, qui sunt unum quid in carne una, *Jam non sunt duo*, inquit, *sed una caro.* Atqui conjuges non sunt una caro, nisi per copulam. *Sanè*, inquit Alexander III. Cap. *Ex publico.* suprà Conclus. 5. laudatô, *quod Dominus in Evangelio dicit non licere viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundùm interpretationem sacri eloquii de his, quorum Matrimonium carnali copulâ est consummatum, sine qua consummari non potest.*

Inst. 2do. Jus naturale solvi non potest. Atqui Matrimonium, etiam solummodò ratum, est Jure naturali firmum & indissolubile. Ergo. 140

Resp. Dist. maj. Jus naturale non potest solvi, manentibus iisdem circumstantiis, in quibus necessariò obligat, conc. mutatis circumstantiis, neg. maj. Nam obligatio voti & cujusvis promissi, assidua commoratio Pastoris in loco Beneficii, &c. sunt Juris naturalis; causæ tamen adeò graves nonnunquam superveniunt, propter quas auctoritate Superioris solvitur obligatio voti, rescinditur promissum, & Pastor ad tempus abesse permittitur, lege naturali non repugnante.

Distin-

Distingui etiam potest min. Matrimonium etiam Jure naturali solummodò ratum, est firmum & indissolubile, si nulla dissolvendi causa accedat, conc. Si accedat, ut solemnis Religionis professio, neg. min. Quia, ex dictis, rationes, propter quas Matrimonium Jure naturali est indissolubile, sunt prolis generatio & congrua educatio, ad quas requiritur individua viri & mulieris societas: quæ rationes in Matrimonio rato non concurrunt, cùm nulla supponatur proles, nec spes prolis suscipiendæ, ac proinde ejus dissolutio voti solemnis causâ Juri naturali non repugnat. Jus itaque naturale aliud est immutabile, ut *falsum testimonium non dices: non facies tibi sculptile, ut adores illud.* Aliud mutabile, ut in exemplis allatis.

141 Inst. 3tio. Ergo Matrimonium nondum consummatum dissolvi potest non solùm propter solemnem Religionis professionem, sed etiam propter quamcumque gravem causam, quemadmodùm multiplex potest esse causa relaxandi obligationem voti, & rescindendi promissi.

Resp. 1mo. Plures Theologi etiamnum celeberrimi, ut suprà Conclus. 6. adnotavimus, arbitrantur, quòd Summus Pontifex propter alias causas, quàm voti solemnis, Matrimonium nondum consummatum dissolvere possit.

2. Neg. ant. Quia ob dignitatem & reverentiam dumtaxat statûs Religiosi, qui cultui divino professores suos specialiter mancipat, Deo dispensante, per professionem Religiosam, quæ est mors spiritualis, solvitur tale Matrimonium; quæ causæ & rationes in aliis etiam gravibus casibus non interveniunt; unde inter has & illas nulla est paritas.

142 Inst. 4to. Matrimonii dissolutio non potest fieri absque injuria alterius conjugis renitentis. Ergo est contra Jus naturale.

Resp. Neg. ant. Tùm quia ex omnium consensione sponsalia dissolvi possunt voti solemnis causâ absque injuria alterius non consentientis. Ergo & Matrimonium ratum, cùm conjux derelicta maneat integra, nihilque decoris aut honoris amittat, quominùs ab alio in conjugem assumi possit: tùm quia in contractu Sponsalium & Matrimonii intelligitur hæc tacita conditio: *Nisi intra duos menses incesserit animus profitendi in Religione approbata*, ante quem terminum nec sponsa tenetur Matrimonium celebrare, nec conjux Matrimonium consummare, fieretque illi injuria, si copula per vim extorqueretur.

Inst. 5to. Matrimonium non consummatum est verum Sacramentum, & signum perpetuæ unionis Christi cum Ecclesia. Atqui per dissolutionem violaretur sacrum illud signum. Ergo. 143

Resp. Dist. maj. Est signum unionis spiritualis Christi cum Ecclesia, quæ unio fit per charitatem, conc. Est signum unionis corporalis Christi cum Ecclesia, quæ unio corporalis fit per Incarnationem, neg. maj. Hujusmodi enim unionem Matrimonium non significat, nisi sit consummatum, quia in eo solo ambo conjuges fiunt una caro. Porro sicut unio spiritualis Christi cum Ecclesia ex parte Christi est firma & indissolubilis; solvitur tamen ex parte fidelium per peccatum mortale: similiter qui sanctioris vitæ studiô à conjuge corporaliter separatur, cum illa arctiori amoris vinculô conjungitur; quia quò puriùs Deus adhæremus per charitatem, eò perfectiùs proximum diligimus; nec repugnat spirituali unioni Christi cum Ecclesia, quòd pars derelicta ad sæcularia vota transeat.

144 ## Caput VI.

De ſolemnitatibus Matrimonii.

Inter ſolemnitates ad Matrimonium requiſitas, aliæ contractum iſtum præcedunt, ut ſunt Sponſalia, Proclamationes ſeu Bannorum publicationes, & conſenſus parentum. Aliæ ipſum comitantur, ut ſunt ipſe conſenſus contrahentium, Parochi & teſtium præſentia, benedictio Eccleſiaſtica. De Sponſalibus & Proclamationibus jam ſuprà parte 1. ſufficienter diſſeruimus: de mutuo contrahentium conſenſu verò ſuprà hac 2da parte etiam egimus. Reſtat igitur ut hîc cæteras ſolemnitates, earumque neceſſitatem exponamus.

§. I.

145 *De conſenſu parentum, an & qua ratione ad contractum Matrimonii ſit neceſſarius.* (s)

Novatores Lutherani & Calviniſtæ non tantùm illicitum, ſed etiam nullum & irritum exiſtimant jure naturali ac divino Matrimonium, quod filii-familias, ſuis parentibus inſciis vel invitis, contrahunt.

Lutherus quidem Serm. de Matrim. cum diſtinctione loquitur, aitque ſi ex conjugio ſic contracto nata ſit proles, illud valere firmumque ſubſiſtere; ſi verò ſecùs, tùm in poteſtate parentum eſſe illud confirmare vel irritare.

Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 19. §. ult. inter Leges, quas Catholici *partim*, ut ipſe ait, *in Deum impias*, *partim in homines iniquiſſimas ſanxerunt*, hanc reponit, *quòd conjugia inter adoleſcentulos, parentum injuſſu contracta, firma, rataque maneant.*

Catholici verò concordi ſententiâ docent, nullo Jure ſive naturali, & divinô poſitivô, ſive humanô Eccleſiaſticô & Civili irritum eſſe Matrimonium à filiis inſciis vel invitis parentibus contractum: tuentur tamen graviter peccare filios, qui ſine legitima cauſa ſic contrahunt. Sit

Conclusio I. 146

Nec Jure naturali, nec Jure divino poſitivo, irritum eſt ac invalidum Matrimonium à filiis contractum inſciis vel invitis parentibus.

Prob. 1ma pars de Jure naturali: tùm quia ſi una hîc audiatur natura, ſolus contrahentium conſenſus ſufficiens videbitur ad ratum & firmum Matrimonium. Nullorum quippe res magis hîc agitur, quàm contrahentium, unde pendet totius vitæ illorum ſtatus, conditio, pax & tranquillitas. Ergo Jus naturale ſolum eorum conſenſum, non parentum dumtaxat, exigit. Et certè aliàs nequidem filii emancipati, nequidem viduæ ipſæ poſſent, ſine conſenſu parentum, validè Matrimonium contrahere, ſi Jure naturali conſenſus ille eſſet neceſſarius. Atqui tamen Jure Canonico & Civili, quod naturæ haud dubiè non adverſatur, filii emancipati validè contrahunt, etſi reluctante patre: de vidua dixit Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Tùm quia in iis diſponendis & conſtituendis, quæ ad ſtatum totius vitæ pertinent, cujusmodi ſunt Matrimonium, & continentia perpetua, & vita Monaſtica, liberum unumquemque eſſe convenit, ac ſoli Deo ſubjectum. Atqui hæc libertas multùm minueretur, ſi ex conſenſu parentum conjugia liberorum penderent. Ergo &c.

Prob. 2da pars de Jure divino poſitivo, ex S. Scriptura. Gen. 26. Eſau duxit uxores

(s) Refer huc ea, quæ ſup. cap. 4. circa finem hanç in rem ſunt prælibata.

uxores duas, *quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ* parentum suorum. Rursùs cap. 8. accepit tertiam contra eorumdem voluntatem. Jacob. Genes. 29. & 30. unam quidem uxorem duxit juxta consilium parentum; sed alias tres, præsertim duas anxillas, iis insciis duxit. Tobias cap. 7. cum uxore contraxit in aliena regione, parentibus insciis nec consultis. Atqui tamen nullibi in sacris litteris legimus hujusmodi connubia nulla & irrita declarari. Ergo &c.

Accedit auctoritas Concilii Tridentini, quod Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1. anathemate ferit eos, *qui falsò affirmant Matrimonia à filiis - familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.*

147 CONCLUSIO II.

Etsi antiquis Ecclesiæ Canonibus nulla & irrita fuisse Matrimonia filiorum defectu consensûs parentum, pluribus Theologis & Canonistis videatur; tamen post Sæculum 12mum apud Latinos valuit, & etiamnum adhuc valet Matrimonium à filio - familias insciis & invitis parentibus contractum.

Prima pars ab illis Theologis probatur congestis multorum SS. Patrum & Pontificum Romanorum sententiis & decretis. S. Basilius Ep. ad Amphilochium Can. 42. sic loquitur: *Quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt Matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii, qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Idem dixerat Can. 40. Hanc fuisse Ecclesiæ Græcæ sententiam declarat Photius Sæculi 9ni. Scriptor Græcus Epist. 5. ubi dissolutô propter defectum consensûs paterni conjugiô ad aliud licentiam dari testatur.

Ex Ecclesia Latina adducuntur: Tertullianus, qui lib. 2. ad uxorem cap. 9. *Nec in terris*, inquit, *filii sine consensu patrum ritè & jure nubunt.* S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. ult. *Consulitur puella*, ait, *non de sponsalibus; illa enim expectat judicium parentum.* Accedunt etiam benè multa hanc in rem Romanorum Pontificum Statuta, ut S. Leonis Epist. 92. ad Rusticum c. 4. & refertur à Gratiano caus. 30. quæst. 5. cap. 4. Cœlestini, aut potius Clementis III. & refertur ab eodem Gratiano caus. 35. quæst. 6. cap. *Videtur.* ubi jubet, ut in causis de confirmando vel infirmando Matrimonio audiatur potissimùm parentum testimonium, *Qui enim*, inquit, *meliùs recipi debent, quàm illi, qui meliùs sciunt, & quorum est interesse? ita ut si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundùm leges nullum sit Matrimonium.*

Nicolaus I. in responsione ad Bulgaros cap. 3. *Conjugia*, inquit, *consensu eorum, qui contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur.* Alexander II. apud Yvonem part. 9. c. 37. arguit Juvenem quemdam, qui se se juramentô obstrinxerat ad nuptias cum sua concubina, aliundè suâ cognatâ, celebrandas; eumque triplicis flagitii reum esse ostendit, adulterii nempe, incestûs & perjurii: *Perjurii quidem*, ait, *quia quod observare legaliter non potuit sine judicio parentum, vel judicum, temerè jurare præsumpsit.*

Idem sancitum à pluribus Conciliis legimus, Aurelianensi IV. annô 541. Can. 22. Parisiensi an. 557. Can. 6. Turonensi II. Can. 20. Compendiensi an. 757. Can. 4. Meldensi an. 845. Can. 64. & 65.

Equidem Theologi illi, iique quamplurimi, qui negant ullis Ecclesiæ legibus sive antiquis sive recentioribus irritari Matrimonia filiorum - familias ex solo defectu consensûs parentum, hæc &

& alia testimonia interpretantur de illicito duntaxat, non autem de invalido Matrimonio. Verùm, ut quod sentimus, candidè fateamur, difficilè admodùm nobis videtur in hunc sensum inflectere verba, quibus illa testimonia exprimuntur: neque enim aliis, nostrô judiciô, uti potuissent, si datâ operâ nullum & irritum designare voluissent hujusmodi Matrimonium, quàm istis: *Nihil firmi habet; Est fornicaria, vel adultera conjunctio; Est præsumptum Matrimonium; irritum, nullum, illegitimum.* Quibus usi sunt laudati Patres & Pontifices, necnon Concilia.

148 Prob. 2da pars 1mo ex variis Decretalibus quæ Matrimoniis hujusmodi favent. Ut Cap. *Sufficiat.* causâ 27. q. 2. ubi Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum circa contractum Matrimonii, *Sufficiat*, inquit, *secundùm leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur.* Cap. *Cùm apud.* Tit. *De Sponsal.* *Cùm sufficiat ad Matrimonium*, ait Innocentius III. *solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur.* Cap. *Tuæ fraternitati.* eod. tit. *Matrimonium*, ait idem S. Pontifex, *in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum.* Cap. *Super eo.* Tit. De conditionibus appositis. permittitur nuptiis cum fœmina pangendis ea apponi conditio, *Si pater ejus suum præstaret assensum;* signum est illam per se ad nuptias contrahendas non esse necessariam. Cap. *Cùm virum.* Tit. *De Regularibus.* ubi *Puella*, inquit Clemens III. *in ætate nubili constituta, ... quia liberum habet arbitrium in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem.* Cap. *Cùm causam.* Tit. *De raptoribus.* *Respondemus*, inquit Lucius III. annô 1180. *quòd cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur: iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit, licèt parentes reclamarent.* Adducit etiam Juenin Comment. De Sacram. Dissert. 10. quæst. 5. cap. 3. art. 1. Cap. *Tua nos.* tanquam Innocentii III. ubi, *Non valet*, inquit Pontifex, *statutum, quod punit contrahentem cum filia sine consensu parentum.* Verùm nos nullum in Jure Canonico Cap invenire potuimus, quod his nominibus *Tua nos* incipiens, adductam Innocentii III. sententiam contineat.

Prob. 2do. Ex eo, quòd in Germania paulò ante Concilium Tridentinum adhuc & etiamnum valuerint ejusmodi Matrimonia sine consensu parentum contracta. Hujus rei fidem facit Concilium Coloniense, annô 1536. dum part. 9. cap. 43. adversùs eadem hisce verbis conqueritur: *Optandum, ut Canon Evaristi Pontificis Conciliô generali renovetur, tollanturque illa ... Matrimonia, quæ invitis parentibus, ac propinquis. veneris potiùs, quàm Dei causâ contrahuntur.* Canon autem, cujus tanquam Evaristi Pontificis Summi, qui Ecclesiæ rebus ab annô Christi 110. usque ad annum 119. præfuisse perhibetur, meminit Concilium, fragmentum est, ut quidem dicitur, Epistolæ ejusdem S. Pontificis ad omnes Africæ Episcopos, & in qua Matrimonia à filiis-familias sine consensu parentum contracta, esse *aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes potiùs quàm legitima conjugia* declarat. Sed hæc Epistola peritorum judiciô supposititia est, & noni Sæculi, quod in fingendis similibus monumentis fœcundum fuit, fœtus. Concilium Moguntinum cap. 36. expressè ait: *Matrimonia etiam sine consensu parentum legitimè inita, non debere rescindi nec à parentibus rescindi posse.* Celebratum fuit hoc Concilium ipsa Concilii Tridentini ætate, an. scilicet 1549. 149

Prob. 3tio. Ex Concilio Tridentino Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1. ubi

eos

eos anathemate damnat, qui falsò affirmant, Matrimonia à filiis-familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.

150 CONCLUSIO III.

Neque etiam Jure Civili irrita esse possunt Matrimonia filiorum-familias insciis aut invitis parentibus contracta.

Prob. 1mo. Ex Decreto Caroli V. Imperatoris, Augustæ in Comitiis Imperii annô 1548. latô, quod refert Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini lib. 22. cap. 4. num. 22. his verbis: *Quoniam potestas paterna cedit de Jure huic conjunctioni Sacramentali inter conjuges, audiendi non sunt ii, qui nunc volunt, ut dissolvantur Matrimonia contracta à filiis-familias, ubi non adsit consensus parentum. Nihil hîc à nobis detrahitur obedientiæ filiorum debitæ patribus; sed nolumus ut patres abutantur potestate sua in præpediendis, præcidendisve Matrimoniis.*

Prob. 2do. Ex eo, quòd, ut Parte sequenti dicemus, solius potestatis Ecclesiasticæ sit constituere impedimenta dirimentia Matrimonium; neutiquam verò Civilis; quale utique esset irritatio Matrimonii à filio-familias insciis & invitis parentibus contracti.

151 CONCLUSIO. IV.

Graviter tamen peccant filii, qui sine causa legitima insciis vel invitis parentibus Matrimonia contrahunt.

Prob. 1mo. Sanctorum exemplis, quæ Sacra refert Scriptura. Sic Genes. 24. Isaac accepit uxorem, quam pater ei dedit, & Rebecca ipsius uxor consilium patris sui ea in re secuta est. Genes. 28. Isaac apertè jubet filio suo Jacob, ne acciperet uxorem de filiabus Palæstinorum, sed aliquam inter filias Laban, quod ille obsequendo fecit. Exodi 34. & Deut. 7. mandatum de filiis Matrimonio jungendis ad parentes potiùs quàm ad filios dirigitur, *Filiam tuam non dabis filio ejus* (Chananæi &c.) *nec filiam illius accipies filio tuo*, ait sacer contextus Deut. 7. Quorsum verò ista, nisi ut intelligamus parentum esse providere suis filiis de uxore ducenda, nec posse filios sine gravi culpa suis parentibus hac in parte non obsequi.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sit S. Ambrosius, qui lib. 1. de Abraham, cap. ult. multa ad hoc propositum adducit, & inter alia laudat versus Euripidis, qui virginem sic loquentem inducit: *Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit: hoc enim non est meum.*

Prob. 3tio. Ex Concilio Tridentino Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1. ubi postquam anathemate damnavit eos, *qui falsò affirmant Matrimonia à filiis-familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse:* hæc subjungit: *Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, ac prohibuit.*

Prob. denique 4to ratione manifesta. Quia obedientia, honor, reverentia, pietas, & animi gratitudo, quam filii parentibus in omnibus exhibere omni Jure tenentur, postulat, ut nihil in iis rebus, quæ sunt gravis & magni momenti, agant iis insciis aut invitis. Atqui Matrimonium haud dubiè est res gravis & magni momenti; utpotè à quo pendeat totum vitæ institutum, familiarum pax, felix conjugiorum exitus, perpetuamque vitæ societatem inducat, atque parentum vel maximè intersit, quem generum, vel quam nurum habituri sint. Ergo contra obedientiam, honorem, reverentiam, pietatem, & animi gratitudinem parentibus debitam agunt filii, qui,

qui, illis inſciis & non conſultis, aut omninò invitis, Matrimonia contrahunt; adeoque graviter peccant.

Diximus in Concluſione *ſine cauſa legitima & juſta.* Quia ſi ex juſta cauſa Matrimonium ineant poſt petitum conſenſum parentum, licet non obtentum, non peccant: v. g. Si parentes diu negligunt ipſis filiis vigeſimum quintum ætatis annum excedentibus providere de convenienti Matrimonio; aut ſi injuſtæ, vel ex ſolo avaritiæ affectu propter ampliorem dotem nolint filios nuptias inire non indignas, quas appetunt, vel contrà velint filios nubere perſonis, quas hi filii odiô proſequuntur, & quarum Matrimonium refugiunt.

152 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra Concluſion. 1mam. Extat lex divina Exod. 22. & Deut. 22. ut ſi quis virginem corruperit, det patri ejus certum ſiclorum numerum, & eam uxorem habeat, ſi pater voluerit; ſecùs, ſi noluerit. Et Num. 30. Si puella voverit aliquid, poteſt pater illud irritare. Ergo multò magis irritare poterit conjugium ſe invitô vel inconſultô contractum. Ergo lege divina poſitiva irrita ſunt Matrimonia contra parentum voluntatem contracta.

Reſp. neg. conſ. In adductis Scripturæ locis Exod. 22. & Deut. 22. non eſt ſermo de conjugio jam contracto, quaſi pater illud, ſi velit reſcindere poſſit; ſed de contrahendo causâ ſtupri præcedentis, ſi modò pater voluerit. Qui enim ſeduxit virginem tenetur in pœnam criminis, eam habere uxorem; ſi tamen & illa & parentes ejus conſenſerint: neque enim ſeducta, aut parentes ejus, compelli poſſunt, ſicut ſeductor.

Quod dicitur Num. 30. debet intelligi de filiabus, quæ nondum pervenerunt ad annos pubertatis, quæ proinde nihil vovere aut promittere poſſunt niſi ſub beneplacito paterno; cui divinæ legi conſonat Canonica, Causâ 20. quæſt. 2. Cap. *Puellæ.* Vel dici poteſt, ibi ſermonem eſſe de votis, quæ pertinent ad victum & cultum domeſticum, velut de jejunando, vel certis cibis utendo, vel à certis abſtinendo, in quibus liberi, dum ſunt in ædibus paternis, ſubſunt regimini parentum; non autem de iis, quæ pertinent ad ſtatum totius vitæ, cujusmodi ſunt conjugium & perpetua continentia, in quibus liberi parentibus non ſunt ſubjecti.

Ob. 2do. Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 9. hæc ait: *Nec in terris filii ſine conſenſu Patrum rectè & jure nubunt.* Et S. Ambroſius, ut cæteros Patres, qui in eandem eunt ſententiam, taceamus, lib. 1. de Abraham cap. ult. *Conſulitur puella, non de ſponſalibus; illa enim expectat judicium parentum.* Ergo &c. 153

Reſp. neg. conſ. Hi Patres, & alii, ſi qui ſint, non volunt quam quòd filii, qui inconſultis aut invitis parentibus ſine juſta & legitima cauſa connubia contrahunt illicitè agant, atque legem Eccleſiaſticam, aut etiam naturalem & divinam poſitivam violent, quæ parentibus obedientiam & pietatem exhibere filios jubet, ſed nusquam ajunt hi Patres naturali aut divino Jure irrita eſſe Matrimonia ſic contracta.

Ob. 3tio. Jure ipſo naturali voluntas filii continetur in voluntate parentum. Ergo Jure naturali nulla ac irrita ſunt conjugia, quæ filii ſine conſenſu parentum contrahunt. 154

Reſp. Diſt. ant. antequam filii perfecti judicii tempus attigerint, conc. Cùm attigerint, ſubdiſt. In iis, quæ ſpectant bonorum paternorum uſum, curam, diſpenſationem, ac diſciplinam domeſticam, conc. In iis, quæ ſpectant proprium ſuum, perſonalem, ac perpetuum vitæ ſtatum, qualis eſt v. g. ſtatus vel Religionis, vel Matrimonii, neg. ant.

Ob. 4to.

155 Ob. 4to. Contra Conclusion. 3tiam. Variæ leges Jure Civili contentæ irrita & nulla declarant Matrimonia filiorum-familias sine parentum consensu contracta, ut Leg. 1. tit. 10. *De nuptiis.* & ff. *De ritu nuptiarum* tit. 2. lib. 23. aliæ, quod ad idem redit, absolutè requirunt ad hujusmodi Matrimonia contrahenda consensum parentum. Ut Cod. Justinian. leg. 5. tit. 4. *De nuptiis.* Eodem tit. Leg. 20. Ibid. Leg. 1. tit. 10. *De nuptiis.* Ergo Jure Civili nulla & irrita sunt hujusmodi filiorum-familias Matrimonia.

Resp. Jure Civili antiquo, trans. Novo, neg. cons. Antiquo Civili Jure Romano irrita fuisse ejusmodi Matrimonia ultrò concedere possumus; ubi scilicet Ecclesia idem circa illa statuerat & observabat, prout velut probabile suprà Concl. 2. part. 1. asseruimus; tùm enim valent in iis rebus, quæ bonum spirituale attingunt, leges Civiles, cum ab Ecclesia firmatæ fuerint. Quòd si verò, ut quidam contendunt, Ecclesia nunquam irrita declaravit hujusmodi filiorum-familias Matrimonia, negamus has leges tenuisse &c. vide dicta cap. 5. §. 2. Resp. ad Object. 1.

156 Inst. Edictis Regum Galliæ Henrici II. annô 1556. septem annis ante decretum Tridentinum quod prodiit annô 1563. Henrici III. in Comitiis Blesensibus annô 1579. annis post decretum Tridentinum sexdecim, art. 40. & 41. Henrici IV. annô 1606. Ludovici XIII. annô 1629. & 1639. & Ludovici XIV. annô 1697. declarantur irrita & invalida omnia Matrimonia filiorum-familias sine consensu parentum contracta. Ergo saltem in Gallia Jure Civili irritantur ejusmodi connubia.

Respondent Gallicani Theologi (nam nos Germanos hæc non spectant, ut qui eadem ratione hujusmodi Regum Galliæ decreta, si definitioni Ecclesiæ illa adversari perspectum haberemus, qua cæteras Civiles leges Juri Ecclesiastico oppositas non admittimus, rejiceremus) Respondent, inquam, Gallicani Theologi hæc Regia edicta spectare dumtaxat civilem contractum ejusque effectus, dotem scilicet uxoris, jus ad hæreditatem, donationem inter conjuges, prolis legitimationem, & alia hujusmodi, quibus privari eos Reges Galliæ volunt, qui sine consensu parentum Matrimonia contraxerint; minimè verò rationem Sacramenti & vinculi Matrimonialis.

§. II.

De necessitate Parochi proprii ad validam Matrimonii inter Christianos celebrationem &c. 157

Matrimonia clandestina, id est ea, quæ clam & occultè, nullis testibus, nec Parochô præsentibus, omissisque aliis observari in Ecclesia solitis solemnitatibus contrahebantur, etsi Ecclesia ex justissimis causis semper detestata sit, atque prohibuerit, tamen rata & vera fuisse Matrimonia declarat Synodus Tridentina Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1. his verbis: *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit nihilominùs sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verùm*, pergit ibidem Concilium, *cùm sancta Synodus gravia peccata perpendat, quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcircò præcipit ut in posterum &c.* Jubet deinde Synodus, ut fiant bannorum pro-

proclamationes : ac denique declarat nullum & irritum Matrimonium, quod aliter contractum fuerit, quàm præſente Parocho, & duobus vel tribus teſtibus : *Qui aliter*, inquit, *quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decretò irritos facit, & annullat.*

Igitur Concilii Tridentini iſthoc decretô Matrimonia clandeſtina, quæ priùs valida erant, irrita ſunt & nulla : meritò quidem ; nam, ut benè obſervant Theologi, clandeſtina conjugia pugnant cum triplici bono Matrimonii, *fide* ſcilicet, *prole*, & *Sacramento*. Cum *fide* quidem, quam facillimè violant, qui ſine arbitris contrahunt : ubi enim nullum exhiberi poteſt contracti Matrimonii inſtrumentum, nulla probatio, facile eſt partibus aut conſenſu mutuo recedere à ſe invicem, aut uni alteram impunè deſerere. Pugnant 2do cum *prole*, cujus ſtatus & conditio ſit incerta & dubia, niſi conſtet certis teſtimoniis eam ex legitimo Matrimonio ſuſceptam fuiſſe. Pugnant 3tio cum *Sacramento*, cujus violatur tùm dignitas, tùm vinculum & nexus : dignitas quidem, cùm, neglectis Eccleſiæ legibus, in ſtatu peccati mortalis percipitur ; vinculum & nexus, cùm ob defectum teſtium facilè uxor clam ducta relinquatur, ut alia palàm & in facie Eccleſiæ ducatur, quam ſolam eſſe legitimam Eccleſia, quæ de occultis non judicat, errore facti ſibi perſuadet ; cum qua nihilominùs non poteſt ille, altera vivente, remanere, niſi cum perpetuo adulterii reatu. En graviſſima mala & incommoda Matrimonii clandeſtini, quibus ſapienter voluit Synodus occurrere : ut nihil interim dicamus de honore, pace, tranquillitate familiarum, quæ tota conturbatur per hujusmodi furtiva & occulta Matrimonia.

Porro Concilium Tridentinum ſeu Eccleſia hac ſua lege nihil immutavit de ſubſtantia ſeu materia contractûs Matrimonialis, quæ ſcilicet in mutuo contrahentium conſenſu conſiſtit, ſed tantùm, pro ſua legitima auctoritate, impedivit, ne ille conſenſus validè poneretur, appoſitis ſcilicet conditionibus, quas ſi non obſervent contrahere volentes, redduntur inhabiles ad conſenſum illum præbendum in finem Matrimonii. Eo ferè modo, quo ſi quis auferret ab aliqua civitate, vel aquam neceſſariam ad Baptiſmum, vel oleum neceſſarium ad ungendos infirmos, non diceretur mutare, ſed auferre & ſubtrahere dumtaxat Sacramenti materiam.

Ex hac Concilii Tridentini definitione 158
infertur 1mo. Nullum ac invalidum fore Matrimonium, quod non contrahitur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus. Proprii autem Parochi nomine intelligitur Parochus domicilii alterutriûs contrahentium : ille enim ipſe eſt, ad quem pertinet Banna publicè denuntiare, ſi fortè aliquod detegatur inter contrahentes impedimentum vel prohibens, vel dirimens. Perinde autem eſt ſive viri, ſive mulieris ſit Parochus : uſus tamen invaluit ut Matrimonium celebretur coram Parocho mulieris, de licentia Parochi viri. Porro ad acquirendum jus domicilii in aliqua Parochia iis, qui in eadem Diœceſi de una Parochia tranſeunt ad aliam ſufficit habitatio ſeu domicilium per ſex menſes ; in iis verò, qui ab una Diœceſi tranſeunt ad aliam requiritur domicilium unius anni.

Infertur 2do. Matrimonium contra- 159
ctum coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de licentia ipſius, in aliena Parochia,

rochia, validum eſt. Hoc enim permittit Concil. Trid. cit. Seſſ. 24. c. 1. Nam celebratio Matrimonii eſt actus jurisdictionis voluntariæ, quæ ubique poteſt validè exerceri, modò adſint omnia eſſentialiter requiſita. Ita communior.

160 Infertur 3tio. Valet Matrimonium celebratum coram proprio Parocho nondum Sacerdote. Ita Cardinales ea de re an. 1593. conſulti; maximè valet intra ſpatium anni, quod Jus Parocho concedit, ut ad Sacerdotium promoveatur. Verùm in praxi conſultum eſt, ut Parochi, qui nondum Sacerdotes ſunt, ab hoc officio abſtineant, illudque vel Vicario deſervienti relinquant, vel cuidam alteri Sacerdoti committant. Et certè probabilis eſt ſententia, Sacerdotem eſſe Miniſtrum Sacramenti Matrimonii, formam verò eſſentialem verba ab ipſo prolata. Ergo Parochus nondum Sacerdos ea temerè proferret.

161 Infertur 4to. Multis valere videtur Matrimonium contractum coram Parocho Excommunicato, Suſpenſo, Irregulari. Ita Cardinales an. 1593. & Ratio eſt 1mo quia Concilium ſimpliciter exigit præſentiam Parochi; 2do. quia nullo Juris decreto irritatur; 3tio. quia eſſe teſtem initi contractûs conjugalis, non eſt actus jurisdictionis. Valet etiam Matrimonium contractum coram Parocho propriè intruſo, dummodò coloratum habeat titulum, ut ajunt, hoc eſt, ſi ex communi ac publico errore reputetur tanquam verus Parochus; quia error communis facit jus, & Eccleſia in his caſibus ſufficientem confert jurisdictionem ejusmodi Sacerdoti titulum coloratum habenti, ut Parochi munia obire validè poſſit.

162 Infertur 5to. Ea debet in contractu Matrimonii eſſe Parochi præſentia, quæ ad moralem & humanum actum ſufficiat: ſi enim aut dormiens, aut neſciens omninò quod fieret, adeſſet, haud dubiè ne teſtis quidem idoneus eſſe poſſet, multò minùs Miniſter Sacramenti, in quo neceſſaria eſt intentio faciendi quod facit Eccleſia. In opinione autem illorum, quibus placet contrahentes Miniſtros eſſe hujus Sacramenti, Parochum verò teſtem duntaxat præcipium, valet Matrimonium, etiam in ratione Sacramenti, etſi Parochus aut invitus adductus eſſet, aut benedictionem ſolemnem denegaverit. Ita reſpondiſſe feruntur Cardinales die 19. Aug. an. 1591. Alii verò, qui contendunt Parochum veri Eccleſiæ Miniſtri hîc partes ſuſtinere, ac benedictionem eſſe formam veluti eſſentialem Sacramenti, reſpondent eo in caſu ſtare quidem Matrimonium quoad contractum & vinculum, at non eſſe verum Sacramentum.

Infertur 6to. Qui coram Parocho & 163
teſtibus Matrimonium contraxit quidem, ſed in ſe nullum, vel propter defectum conſensûs, vel propter impedimentum aliquod dirimens occultum, non tenetur poſteà, obtenta diſpenſatione impedimenti, rursùs contrahere coram Parocho & teſtibus, ſed ſufficit, ſi conſenſum renovet verumque efficiat; ſi nempe, ut ſupponitur, impedimentum ſit occultum, & veriſimiliter non manifeſtandum: nam alioquin novus contractus fieri deberet coram Parocho & teſtibus, ad evitandum ſcandalum vel præſens vel veriſimiliter futurum.

Infertur 7mo. Vagorum, quibus nulla eſt ſedes fixa proprius Parochus eſt 164
Parochus loci, in quo contrahunt. Sed de illis ſic ſtatuit Concilium Tridentinum ſæpè cit. Seſſ. 24. de reform. Matrim. c. 7. *Multi ſunt*, ait, *qui vagantur & incertas habent ſedes; & ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt: cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facilè reci-*

recipiant : Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, ut eos ſeverè coërceant : Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

165 Infertur 8vo. Valet Matrimonium inter abſentes per Procuratorem initum. Enimverò ante legem ſcriptam Iſaac per Eliezer Abrahami famulum validè nupſit cum Rebecca. Jus quoque Canonicum, ut patet ex Cap. *Honoratur.* 32. q. 2. rata habet Matrimonia hujusmodi ; Jus verò novum vetus non correxit circa Matrimonium per Procuratorem contractum : nec enim Decretales Gregorii IX. aut Concilium Tridentinum ſtatuerunt aliquando neceſſe eſſe, ut contrahentes per ſe ipſos coram Parocho & teſtibus mutuum conſenſum exprimant. Ratio etiam ſuffragatur : nam Matrimonium, habita ratione ſolius Juris naturalis, ſolam moralem contrahentium præſentiam requirit, ſicut & alii contractus. Atqui ea præſentia moralis habetur per Procuratorem, quem quis ad id ſpecialiter deſtinavit, & qui ejus nomine contrahat.

In hujusmodi Procuratore autem, ut validè alterius nomine contrahat, iſtæ conditiones exiguntur à Jure Canonico ex Bonifacio VIII. Cap. *Procurator.* in 6to. Prima eſt, ut ſpeciale mandatum habeat. Secunda, ut per ſe ipſum mandantis voluntatem exequatur. Tertia, ut non ſit revocatus quo tempore alterius nomine contrahit, licèt revocationem ignoraverit. Quarta, ut mandatum illud ſit ad contrahendum cum certa perſona ; nec ſufficeret iſta clauſula, *Ad contrahendum cum quacunque.* Quinta, ut Procurator non excedat terminos à mandante præſcriptos. Sexta, ut contrahat ritu ab Eccleſia præſcripto.

Utrum autem Matrimonium ſic per Procuratorem initum ſit Sacramentum novæ Legis, non convenit inter Doctores. Qui docent contrahentes eſſe Miniſtros Sacramenti Matrimonii, paſſim tuentur, Matrimonium hujusmodi eſſe verum ac propriè dictum Sacramentum. E contrà qui cenſent Sacerdotem eſſe Miniſtrum Sacramenti Matrimonii, paſſim etiam aſſerunt, Matrimonium per Procuratorem initum, eſſe ſolummodò contractum naturalem & civilem, ut erat ante promulgationem Evangelii, & nunc etiam apud eos eſt, qui baptismali charactere nunquam fuerunt inſigniti.

Ad majorem igitur Sacramenti dignitatem & ſecuritatem neceſſe eſt, quod etiam uſu & praxi comprobatur, ut conjuges, cùm præſentes adſunt, in facie Eccleſiæ, præſente ac benedicente Parocho, conſenſum per Procuratorem priùs datum renovent atque confirment, ne ulla eſſe poſſit fraudis ac doli ſuſpicio : maximè cùm, ùt dictum, varias in partes hìc abeant Theologi, nec quidquam hac de re fuerit hactenùs ab Eccleſia definitum.

Obſervandum denique, quòd, non 166
obſtantibus hactenus dictis, in nonnullis caſibus tamen Matrimonia ſine præſentia Parochi & teſtium contracta valida eſſe poſſint.

1mo. Quando contrahuntur ab incolis illarum Regionum, ubi Concilium non eſt promulgatum, aut ubi nunquam fuit receptum : tùm quia Synodus non vult ſuum Decretum habere robur, niſi poſt triginta dies à primæ illius promulgationis die. *Decernit inſuper*, inquit Seſſ. 24. de reform. Matrim. cap. 1. *ut hujusmodi decretum ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis :* tùm quia lex nunquam recepta non obligat.

2do. Ubi

2do. Ubi conſtat quidem Decretum Concilii eſſe promulgatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii obſervatum; ſed Parochialis Eccleſia propriô Parochô caret: itidem Cathedralis caret Epiſcopô, aut Capitulô habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi; nullusque alius ibi eſt, qui vices Parochi vel Epiſcopi ſuppleat, Matrimonium valet absque præſentia Parochi, ſervatâ tamen in eo, in quo poteſt, formâ Concilii, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus, ut qui ex illius decreto etiam ita ſunt neceſſarii, ut illis omiſſis, neutiquam valeat Matrimonium.

3tio. Si extent quidem Parochus & Epiſcopus, ſed, nullo conſtituto Vicario, uterque metu Hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubinam ſit: vel ſi eodem metu uterque à Diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus; validum eſt Matrimonium contractum absque forma à Concilio præſcripta, adhibitis tamen, ut priùs dictum eſt, duobus ſaltem teſtibus.

Hos duos poſteriores caſus ita reſolvit ſacra Cardinalium Congregatio 19. Jan. 1603. quæ ab Octavio Epiſcopo Tricarienſi per Germaniam & Belgium Nuntio Apoſtolico fuerat conſulta, pro Matrimoniis quæ in Hollandia, Zelandia, & Friſia contrahebantur.

167 Ex 1mo. caſu infertur 1mo. Incolas locorum ubi viget Decretum Concilii venientes ad locum, ubi non eſt promulgatum, ibique habitantes, validè contrahere non ſervatâ Concilii formâ. 2do. Incolas locorum, ubi Concilium non eſt promulgatum, venientes ad locum, ubi eſt receptum, ibique habitantes, è contrà invalidè contrahere ſine Parocho & teſtibus.

Ratio utriusque eſt, quia Decretum Concilii circa omnes & ſolas eas perſonas, quæ loca illa inhabitant, ubi publicatum fuit, habet robur poſt triginta dies à prima publicatione. Unde non eſt hîc conſiderandum, ex quo loco quis oriundus ſit: ſed ubi habitet eo tempore, quo Matrimonium contrahit.

3tio. Si habitatores alicujus loci, in quo Concilium fuit publicatum, adeant loca, in quibus non eſt promulgatum, animô duntaxat & mente ibi clandeſtinè contrahendi, non verò in illis locis habitandi, ſaltem per tempus lege præſcriptum, non validè contrahunt. Ratio eſt, quia hi, de quibus agitur, ſunt parochiani Eccleſiæ in qua hujusmodi promulgatio facta fuit (neque enim per ſuum illum tranſitum in aliam Diœceſim deſinunt eſſe parochiani Eccleſiæ illius de qua veniunt, cùm ſupponatur, quòd aliò tranſeant, non intentione habitandi, ſed ſolùm animò illic clandeſtinè contrahendi) ergo Decretô Concilii obligantur; & per conſequens inhabiles ſunt ad clandeſtinè contrahendum.

Diximus, *Sine animo in illis locis habitandi ſaltem per tempus lege præſcriptum.* Quia ſi habeant animum ibi tamdiu manendi, eos validè contrahere docent quamplures Theologi. Hi fraudulenter quidem egerunt, inquiunt hi Theologi, mutantes habitationem, ſed nulla eſt fraus in eorum habitatione; verè enim in loco commorati ſunt per totum tempus à lege præſcriptum, ut acquiratur jus parochianum, ratione cujus admiſſi ſunt ad contrahendum.

168 # PARS TERTIA.

De Matrimonio, ut est Sacramentum novæ Legis.

POstquam de Matrimonio, ut est contractus tùm naturalis, tùm Civilis, parte præcedenti sufficienter disseruimus; superest modò ut & de eo, prout est novæ Legis Sacramentum hac tertia & ultima parte tractemus, cujus proinde quinque erunt Capita; in quorum 1mo. expendemus, an Matrimonium sit novæ Legis verum Sacramentum. In 2do. Quænam sint illius materia & forma, & quinam sit illius Minister. In 3tio. Quinam sint illius effectus, & quibuscum cæremoniis administretur. In 4to. Quæ & quot sint illius impedimenta. In 5to. denique de peccatis, quæ in Matrimonio & circa illud committi possunt, & re ipsa sæpiùs committuntur, agemus.

169 ## CAPUT PRIMUM.

An Matrimonium sit verum & proprium novæ Legis Sacramentum, à Christo Domino institutum, & quando.

PRiorum Ecclesiæ Sæculorum Hæretici, ut Simoniani, Nicolaitæ, Tatiani, Saturniani, Marcionitæ, Encratitæ, Manichæi, Adamitæ, Apostolici, Hieracitæ, quos in spiritu prænuntiavit Apostolus 1. Tim. 4. his verbis: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinæ dæmoniorum prohibentium nubere, &c.* & quorum mentionem faciunt SS. Irenæus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus in libris, quos adversùs hæreses scripsêre, nuptias seu Matrimonium tanquam quid malum, illicitum, & à Dæmone inductum damnabant.

Posteriorum verò temporum Novatores Joannes Hufs Sæculô 15. Lutherus & Calvinus Sæculô 16. licitas quidem ac in se honestas esse nuptias confessi sunt, at veram & propriam Sacramenti rationem ipsis eripuerunt. *Matrimonium*, inquit Lutherus, *non est Sacramentum*, sed ab hominibus in *Ecclesia inventum*, lib. de captiv. Babyl. cap. *de Matrimonio.* Et Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. n. 34. *Matrimonium*, ait, *quod ut à Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cui unquam sobrio venisset in mentem.*

Melanchton & Kemnitius admittunt quidem Matrimonium dici posse Sacramentum, sed impropriè & latè, scilicet pro simplici signo rei sacræ, non verò efficaci & practico. Eos sequitur Antonius de Dominis Episcopus Spalatinus Apostata lib. 5. de Republica Ecclesiastica c. 11. n. 28. & seq.

Catholici è contrà contendunt Matrimonium esse verum ac proprium legis Evangelicæ Sacramentum à Christo Domino institutum tanquam efficax & practicum rei sacræ signum & gratiæ operativum.

Non

170. Neque est hoc, quod in contrarium ex- ceribus illis haereticis, qui negarunt [illegible] malis damnabile, aliisque contrariis, in quae S. Pater [illegible] clitus, [illegible] magno S. Scripturae [illegible] 1. Tim. 4. v. 3. [illegible] quos, [illegible] 1. Cor. 7. v. 27. *Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem.* v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit.* Ibi v. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit.* Heb. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus;* Christus ipso Matth. 19. v. 6. *de primaeva Matrimonii origine,* ait: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Denique, usum ipsum Matrimonii non improbat Apostolus, huic illum praecipere videtur 1. Cor. 7. v. 3. *Uxori, vir, debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ad tempus* [illegible].

Igitur falsam [illegible] nostros hic nobis [illegible], qui Matrimonium ex Sacramentis [illegible] expugnant. Contra quos probatur

171. CONCLUSIO.

Matrimonium est verum ac propriè dictum legis Evangelicae Sacramentum, à Christo Domino institutum.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, ex qua habetur 1mo. quod Matrimonium sit signum sensibile rei sacrae. 2do. Vim habeat conferendi gratiam sanctificantem. 3tio. A Christo Domino sit institutum.

Primò. Est signum sensibile [illegible] corporis in humano [illegible] contractu [illegible] ipso Apostolo Ephes. 5. ubi commendat [illegible] inter conjuges dilectionem, [illegible] Christus [illegible] Christus [illegible] in Ecclesia [illegible] Christus [illegible] quae Christus Ecclesiam. [illegible]

PARS TERTIA.

[illegible], ut est Sacramentum novae Legis.

[illegible]

CAPUT PRIMUM.

[illegible] verum & proprium novae Legis Sacramentum, a Christo Domino institutum, & quando.

[illegible]

170 Non est hîc, quòd in refutandis veteribus illis hæreticis, qui nuptias velut malas damnabant, tempus teramus, ut quos SS. Patres, quorum memoriam fecimus, abundè refutârint, manifestissimaque S. Scripturæ testimonia retundant. 1. Tim. 4. v. 3. S. Paulus asserit esse aliquos, quos damnat, *qui probibent nubere.* 1. Cor. 7. v. 27. *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Et v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccavit.* Et v. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit.* Heb. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Christus ipse Matth. 19. v. 6. de prima Matrimonii origine, ait: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Denique usum ipsum Matrimonii non improbat Apostolus, imò illum præcipere videtur 1. Cor. 7. v. 3. *Uxori*, ait, *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi fortè ad tempus, ut vacetis orationi.*

Igitur solùm adversus Novatores nostros hîc nobis pugnandum, qui Matrimonium ex Sacramentorum albo temerè expungunt. Contra quos proindè sit

171 CONCLUSIO.

Matrimonium est verum ac propriè dictum legis Evangelicæ Sacramentum, à Christo Domino institutum.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, ex qua habetur 1mo. quòd Matrimonium sit signum sensibile rei sacræ. 2do. Vim habeat conferendi gratiam sanctificantem. 3tio. A Christo Domino sit institutum.

Primo. Est signum sensibile & exterius in mutuo scilicet nubentium consensu & contractu externo; & rei sacræ, teste ipso Apostolo Ephes. 5. ubi commendans mutuam inter conjuges dilectionem, exemplô Christi, qui Ecclesiam sponsam suam ita dilexit, ut se ipsum pro ea traderet, recurrit ad primævam Matrimonii originem ac institutionem. *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem & matrem suam & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quasi diceret: Tametsi conjunctio maritalis, si in se spectetur, res non magna videatur, in genere tamen signorum magna est res, quia magnum aliquid significat, Christum videlicet & Ecclesiam, eorumque inter se conjunctionem: per hoc enim, quòd homo relictis parentibus adhæret uxori suæ, & cum ea una caro efficitur, mysticè significatur FiliumDei è sinuPatris, ac quasi relicto Patre in terras descendisse, ut Ecclesiæ conjungeretur, unumque cum ea corpus per incarnationem efficeretur. Matrimonium igitur est Sacramentum, hoc est Symbolum, seu signum unionis Christi cum Ecclesia, adeoque rei sacræ.

Secundo. Matrimonium vim habere conferendi gratiam sanctificantem non obscurè innuit idem Apostolus ibidem, *Viri diligite uxores vestras*, inquit, *sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores suas ut sua corpora... sicut & Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus* (scilicet Christi) *de carne ejus, & de ossibus ejus.... Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* Ex quibus Apostoli verbis haud difficile est colligere Matrimonium Christianorum non esse signum vacuum & inefficax, sed practicum & efficax gratiæ, quæ conciliet animos conjugum, eosque ita vinciat, ut ea charitate se mutuò diligant ac foveant, qua Christus Ecclesiam. Ita textum hunc inter-

interpretantur Patres Tridentini Seſſ. 24. cap. unicô de Matrim. ubi, *Gratiam verò*, inquiunt, *quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugesque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit; quod Paulus Apoſtolus innuit dicens: Viri diligite uxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro ea: mox ſubjungens, Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Quibus verbis docet Concilium ex Apoſtoli textu meritum paſſionis Chriſti in Matrimonium novæ Legis derivari, ut non ſolùm ſignificet charitatem, qua Deus dilexit Eccleſiam, ſed etiam gratiam conferat conjugibus, qua ſimiliter mutuò ſe diligant.

Tertiò. Matrimonium à Chriſto fuiſſe inſtitutum 1mo. habetur etiam ex mox allato textu Apoſtoli, ex quo colligitur, quòd, licèt Matrimonium fuerit ab initio inſtitutum in ſignum rei ſacræ, nimirùm unionis Verbi cum natura humana, Chriſtus tamen, utpotè auctor omnium Sacramentorum novæ Legis, contulerit Matrimonio Chriſtianorum, ut eſſet novô ac nobiliori modô ſignum ejusdem rei ſacræ. Veterum quippe Matrimonia præfigurabant futuram unionem Chriſti cum Eccleſia: Matrimonium verò Chriſtianorum jam factam ſignificat. Atqui Chriſtus poſt adventum ſuum ſuſtulit Sacramenta ipſum promittentia, & alia auguſtiora inſtituit, quæ exhiberent, quod vetera promittebant. Ergo ſicut loco Circumciſionis v. g. Agni Paſchalis, Baptismum & Euchariſtiam nobis dedit; ita à Matrimonio ſignum futuram ejus unionem promittens amovit, & novum longè præſtantius in eo repoſuit, quod Apoſtolus adducto textu commendat, quem hisce verbis concludit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia. In Eccleſia*, inquit, non in Synagoga, utpotè quæ eſſet ancilla, in ſervitutem generans, Galat. 4. ac proinde eam non decebant eximia illa dona, quibus Chriſtus Eccleſiam ſuam ſibi exhibuit glorioſam ſponſam: cujus ineffabilis myſterii Symbolum voluit eſſe Matrimonium Chriſtianorum.

2do. Colligitur ex Joan. 2. ubi Chriſtus in Cana Galilææ nuptias ſuâ præſentiâ cohoneſtavit, eisque benedixit; atque tunc ibi Sacramentum Matrimonii inſtituit prout communis eſt SS. Patrum ſententia. Patres Epheſini Concilii annô 431. ajunt, *Chriſtum diſpenſatoriè ipſis tunc benedixiſſe nuptiis, cùm in Cana Galilææ cum ſanctis Apoſtolis vocatus adeſſe dignatus eſt.*

S. Cyrillus Ep. ad Neſtorium eadem verba repetit, & lib. 2. in Joan. exponens miraculum converſionis aquæ in vinum in memoratis nuptiis, *docet Chriſtum ſanctificaſſe conjugium, & gratiam nuptiis præparaſſe, ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur.*

S. Epiphanius hæreſi 67. ait: *Venerabiles eſſe nuptias, ac Dei aſpirante gratia cœleſte regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoſcat, quòd ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret?*

S. Auguſtinus Tract. 9. in Joan. Evangelicam de nuptiis exponens hiſtoriam, docet ideò Chriſtum nuptiis intereſſe voluiſſe, *ut caſtitatem conjugalem firmaret.*

S. Maximus Hom. 1. de Epiphania Domini ſic loquitur: *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum poteſtate conſtituit* ſupple, in ratione humani contractûs) *nunc præſentiæ ſuæ benedictione ſanctificet*, quatenùs ſcilicet humano contractui adjunxit dignitatem & efficaciam Sacramenti.

Prob. Concluſio 2do. conſtanti ac perpetua SS. Patrum & Eccleſiæ totius Græcæ æquè ac Latinæ traditione, ex qua demonſtramus Matrimonium Chriſtiano-

ſtianorum, à primis Eccleſiæ Sæculis ad noſtra usque tempora, ſemper habitum fuiſſe ut rem ſacram & ſanctificantem, nomenque veri ac proprii Sacramenti obtinuiſſe.

S. Ignatius vir Apoſtolicorum temporum Epiſt. ad Polycarpum, *Decet*, inquit, *ut ſponſi & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant; quo nuptiæ ſint ſecundùm Dominum, & non ſecundùm cupiditatem.* Si autem Matrimonium apud Chriſtianos res merè profana aut humana fuiſſet, ad quid ſententia Epiſcopi fuiſſet neceſſaria? Fuit autem juxta S. Ignatium, ut nuptiæ forent ſecundùm Dominum, hoc eſt, eam conſequerentur benedictionem ſeu gratiam, quæ à Chriſto annexa eſt Chriſtianorum conjugio.

S. Juſtinus Dialog. cum Triphone, *Nuptiæ*, inquit, *Patriarcharum magnorum Sacramentorum œconomiæ & diſpenſationes.* Floruit Sæculô 2.

S. Clemens Alexandrinus, lib. 3. Strom. *Matrimonium*, inquit, *aliquid ſacrum & divinum.* Floruit Sæculô 2.

Tertullianus Sæculi 2. & 3. Scriptor, lib. 2. ad uxorem cap. ult. *Undè ſufficiam*, inquit, *ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet.* Ergo ætate Tertulliani Matrimonium, ſicut nunc, celebrabatur coram Sacerdote, inter Miſſarum ſolemnia, & benedictione Sacerdotali obſignabatur. Undè lib. de pudicitia cap. 4. de clandeſtinis Matrimoniis hæc ait: *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non priùs apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.*

S. Ambroſius Sæculô IV. lib. 1. de Abraham c. 7. *Qui ſic egerit*, inquit de eo, qui alteri nuptam ducit, *peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam ſolvit: & ideò quia in Deum peccat, Sacramenti cœleſtis amittit conſortium.* Audis Matrimonium eſſe Sacramentum & gratiam conferre.

Siricius Papa Ambroſii æqualis Ep. ad Hymerium c. 4. *Illa benedictio*, inquit, *quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam Sacrilegii inſtar eſt, ſi ulla transgreſſione violetur.* Ergo juxta Siricium Matrimonium Fidelium eſt res ſacra propter benedictionē Sacerdotalem; cùm violari nequeat absque Sacrilegio.

S. Chryſoſtomus Hom. 56. in Geneſ. *Sacramentum*, inquit, *ſunt nuptiæ, & imago dilectionis Chriſti, quam erga Eccleſiam declaravit.* Idque S. Paulum dicere ait: *Audi Paulum dicentem Sacramentum ſunt nuptiæ &c.*

Concilium Carthaginenſe IV. cui interfuit S. Auguſtinus an. 398. cap. 13. de ſponſo & ſponſa benedicendis ſic ſtatuit: *Sponſus & ſponſa cùm benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, vel paranymphis offeruntur: qui cùm benedictionem acceperint, pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant*, ſcilicet prima nocte.

Innocentius Papa I. initiô Sæculi 5ti. Ep. 9. ad Probum, *Statuimus, fide Catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitùs erat divinâ gratiâ fundatum.* Hìc declaratur Matrimonium legitimum divinâ gratiâ fundari.

S. Auguſtinus eodem Sæculo Matrimonium Chriſtianorum paſſim vocat Sacramentum, ut Lib. de bono conjugali c. 18. & 24. Lib. 1. de nupt. & concup. c. 10. Lib. de fide & operibus, c. 7. Tract. 9. in Joan. ſupr. cit. Lib. 9. de Geneſi ad litt. c. 7. Quòd autem hic S. Doctor nomen Sacramenti in propria ſignificatione uſurpet, inde patet, quod Matrimonium Chriſtianorum opponat Matrimoniis non ſolùm Gentilium, ſed etiam veterum Patriarcharum (quæ in latiore ſignificatione & minùs propria, quatenùs ſcilicet rem ſacram, unionem nimirùm Chriſti

Christi cùm Ecclesiâ per Incarnationem & charitatem præfigurabant, Sacramenta dicuntur à Veteribus, ut à Tertulliano lib. de anima c. 11. (*t*) à S. Hieronymo in c. 5. ad Ephes. (*u*) à S. Augustino lib. 9. de Gen. ad litt. c. 19. (*x*) & aliis, quos sequuntur omnes Theologi) sic enim lib. de bono conjugali c. 24. loquitur: *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Et cit. c. 7. lib. de fide & oper. *In civitate Domini*, inquit, *in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.*

Nec prætereundus est S. Athanasius, qui Sæculô 4tô. Ecclesiam illustravit, quique Ep. ad Amunen, comparans virginitatem cum Matrimonio, majorem quidem illi, quàm isti, gratiam tribuit, sed tamen gratiam aliquam Matrimonio annexam esse clarè significat. *Si quis*, inquit, *nuptias elegerit, culpâ quidem vacat, sed tot tantaque non consequetur dona: consequetur tamen aliqua, siquidem & ipse fert fructum tricesimum.*

Addi hîc etiam possunt illa Veterum Patrum testimonia, quæ suprà adduximus ad probandam Matrimonii divinam institutionem à Christo factam. Ex quibus omnibus patet, quàm impudenter Calvinus asseruerit, neminem ante S. Gregorium, qui sub finem Sæculi 6ti. floruit (*y*), Sacramenti nomen Matrimonio tribuisse. Hanc verò Traditionem Ecclesiæ universalis deinceps semper in utraque Ecclesia Latina scilicet & Græca ad nostram usque ætatem innumera penè evincunt tùm Patrum, tùm Conciliorum, tùm aliorum Doctorum testimonia & sententiæ; ex quibus quædam hîc attexuntur duntaxat.

Lucius III. qui floruit Sæculô 12mô. Cap. *Ad abolendam.* Tit. *De hæreticis.* Matrimonium inter Ecclesiæ Sacramenta recenset, & anathema pronuntiat in eos, qui aliter docent aut sentiunt. *Universos*, inquit, *qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri JEsu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum remissione, Matrimoniô vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sancta Romana Ecclesia sentit & observat vinculo perpetui anathematis innodamus.* Hanc sententiam in Concilio Veronensi pronuntiavit Lucius III. qui Ecclesiam administravit ab an. 1181. usque ad an. 1185.

Concilium Lateranense III. sub Alexando III. an. 1179. celebratum Can. 7. qui refertur Cap. *Cum in Ecclesiæ corpore.* Tit. *De Simonia.* Nubentium benedictionem inter Sacramenta recenset: sic enim ait: *Horribile est quòd pro benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Ne igitur hæc de cætero fiant vel pro benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, collatis, aliquid exigatur, strictiùs prohibemus.*

In Concilio Constantiensi Sess. 15. septem esse Sacramenta adversùs Joannem Huss tanquam certum à Patribus supponitur, dum hunc istius Hæresiarchæ articulum octavum proscribunt, qui sic sonat: *Sacerdotes quomodolibet criminosè viven-*

(*t*) Sic loquitur Tertullianus cit. loc. *Adam statim prophetavit magnum illud Sacramentum in Christum & Ecclesiam dicens: Hoc nunc os ex ossibus meis.*

(*u*) S. Hieronymus cit. loc. sic scribit: *Primus homo & primus vates Adam hîc de Christo & de Ecclesia prophetavit.*

(*x*) S. Augustinus verò sic loc. cit. loquitur: *Evigilans Adamus ex extasi, tanquam prophetiæ plenus, cùm ad se adductam costam mulierem suam videret, eructavit continuò quod magnum Sacramentum commendat Apostolus, Hoc nunc os ex ossibus meis.*

(*y*) Præfuit S. Gregorius Ecclesiæ ab an. 590. usque ad an. 604.

viventes, Sacerdotii pollutum potestatem, & sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ. Unde Martinus V. in eodem Concilio jubet, ut qui suspecti sunt de hæresi interrogentur, *An credant, quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter.*

Eugenius IV. in Concilio Florentino, seu in Decreto pro instructione Armenorum, Matrimonium recenset inter septem novæ Legis Sacramenta, de quibus singulis ibidem definitur, quòd gratiam contineant, eamque, quo par est, modo dispositis conferant.

Denique Concilium Tridentinum Seff. 24. Can. 1. sic definit: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè ac propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Priùs idem Concilium, scilicet eâdem Seff. de Matrim. cap. unico, quod præmittitur Canonibus de eodem Sacramento, gratiam huic Sacramento annexam esse agnoscit verbis anteà in 2da. prob. Conclusionis circa finem relatis. Proprius verò & singularis hujus Sacramentalis gratiæ effectus est 1mo. Ut conjuges se ipsos diligant amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam. 2do. Ut non amore libidinis, sed prolis suscipiendæ conveniant. 3tio. Ut prolem sanctè educent in fide Christiana, Dei timore, ac bonis moribus. 4to. Ut sibi invicem solatio sint, ferant opem, onera & labores conjugii pariter tolerent. 5to. Ut castè utantur jure Matrimonii, &c.

173 Eandem semper fuisse circa Matrimonium Græcorum ac Latinorum traditionem, patet ex eo, quòd Sæculô 9nô, quo Græci simultates cum Ecclesia Romana exercere cœperunt agente Photio in Sedem Constantinopolitanam intruso, neque ipse Photius, neque quisquam alius ex ipsius adhærentibus Latinis, probraverit, quòd Matrimonium in Sacramentorum numero ponerent; neque etiam id fecerit Sæculô undecimô Michael Cerularius itidem Patriarcha Constantinopolitanus, apertus Schismatis auctor seu potiùs continuator; neque Marcus Ephesius, aliique plures Græci Schismatici Sæculô 15tô qui, solutô Florentinô Conciliô, ubi in patriam redierunt, multa quidem adversùs Synodum istam scripserunt. Cùm tamen hi omnes ad excusandum suum schisma, leviora quæque, ut cœlibatum Clericorum, jejunium Sabbati, consecrationem in Azymis, in quibus Ecclesia Romana ab ipsis discrepat, eidem in crimen verterint. Similiter nec Latini Græcis objecerint, quoties pax inter eos redintegrata est, ùt in Concilio Lugdunensi II. an. 1274. & Florentinô annô 1438. quòd malè de Sacramentis sentirent. Denique annô 1642. ejusdem Græcæ Ecclesiæ sensûs circa Matrimonium insigne testimonium reddidit Synodus Constantinopolitana sub Parthenio Patriarcha Constantinopolitano adversùs Cyrillum ejus prædecessorem, qui pecuniâ corruptus, sicut alter Judas, veritatem prodere, & Calvinianam hæresim in suam Ecclesiam introducere tentaverat: in ea quippe Synodo Articulus 15tus sic habet: *Negat*, inquit Synodus de Cyrillo illo, *Ecclesiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram Unctionem, sacrum Oleum, Confessionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias, quæ omnia ut Sacramenta, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.* Ante hanc Synodum idem testimonium reddiderat Hieremias II. ad Sedem Constantinopolitanam annô 1572. evectus, in Censura, quam tulit adversùs Augustanam Lutheranorum fidei confessionem, ei à Lutheranis oblatam, quò eum in suas partes traherent: in quo

Opere, quod Stanislaus Socolvius sub nomine *Censuræ Orientalis Ecclesiæ* à Græco in Latinum transtulit, ipsorum errores refutat, atque conceptis verbis ait Matrimonium unum esse è Sacramentis novæ Legis, quæ gratiam continent & conferunt; cujus quidem gratiæ producendæ vis Matrimonio collata sit per benedictionem, quam Christus in Cana Galilææ nuptiis impertitus est: *Propterea*, inquit cap. 7. *& ipse Christus benedixit nuptiis, ut non sine cœlesti benedictione ortûs nostri principia jaciantur.*

Hæc omnia evidenter demonstrant, miram esse utriusque Ecclesiæ, saltem ab octingentis aut nongentis annis, circa hunc fidei articulum consensionem. Tempus jam figant Novatores, quo Latini & Græci, relicta veterum Patrum traditione, ad cudendum, ut ajunt, novum istud dogma conspiraverint. Quin potiùs hìc cum Tertulliano lib. de præscript. cap. 28. concludimus: *Ecquid verisimile est, ut tot, ac tantæ* (Ecclesiæ) *in unam fidem erraverint? Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt.*

174 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Nulla est annexa gratiæ promissio Matrimonio. Ergo non est verum Sacramentum.

Resp. Neg. ant. quod falsitatis revincunt probationes in Conclusione à nobis adductæ.

175 Ob. 2do. Non ideò Matrimonio asserenda est conditio ac natura Sacramenti, quòd sit signum rei sacræ; enimverò multa sunt ejusmodi signa, quæ tamen vera non sunt Sacramenta. Ergo.

Resp. Dist. ant. Non ideo &c. præcisè, conc. Sed & etiam quia est signum practicum seu efficax, cui ex institutione Christi annexa est gratiæ promissio, neg. ant. Ex dictis compertum ac certum est, Nos non eâ tantùm de causa Matrimonio rationem veri Sacramenti vindicare, quòd sit signum rei sacræ, sed quòd sit signum practicum seu efficax gratiæ &c.

Inst. 1mo. Non omne signum rei sa- 176
cræ habens etiam annexam gratiam est consequenter verum & propriè dictum Sacramentum: Sic v. g. Martyrium, de quo dicitur, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo.* Et, *Qui perdiderit animam suam in hoc mundo, servabit eam, &c.* Pariter castitatis professio, quæ Apostolo teste, melior est Matrimoniô, non habet rationem veri Sacramenti. Ergo nec Matrimonium.

Resp. Dist. ant. Non omne &c. si prætereà Christi institutionem non connotet, conc. Si eam connotet, neg. ant. & cons. Non enim sola rei dignitas aut gratia ipsi annexa sufficit, ut ea Sacramentis Evangelicis accenseatur, sed præsertim necessaria est Christi institutio; in his namque rebus tota ratio facti est voluntas facientis. Licèt igitur Martyrium sit nobilius Pœnitentiâ, & Extrema Unctione, non est tamen verum Sacramentum; quia non fuit à Christo Domino institutum tanquam instrumentum ordinarium ac perpetuum communicandæ gratiæ sanctificantis. Eadem de causa continentia seu professio castitatis, quamquam nobilior & perfectior Matrimoniô, non habet tamen dignitatem & efficaciam veri Sacramenti, neque hìc alia discriminis hujus ratio quærenda est, quàm quæ ex voluntate Christi repetitur.

Inst. 2do. Sacramentum est signum 177
efficiens id, quod significat. Atqui Matrimonium non efficit id, quod significat, siquidem significat unionem Christi cum Ecclesia, quam non efficit.

Resp. Dist. maj. Sacramentum &c. quod significat practicè, conc. Quod signi-

significat speculativè, neg. maj. Nam Baptismus non operatur sepulturam Christi, & ejus resurrectionem; quia ista speculativè tantùm repræsentat; sed operatur in initiato mysticam sepulturam, & spiritualem resurrectionem, quatenùs in sacro fonte immersus, & quodammodò sepultus, moritur peccato, & resurgit in vitæ novitate. Porro Sacramentum Matrimonii ita repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, ut simul producat gratiam, qua conjuges sint vera hujusce ineffabilis unionis imago, sicut suprà dicebat S. Chrysostomus, ac mutuò se diligant, quemadmodùm Christus & Ecclesia.

178 Inst. 3tio. Nullum verum Sacramentum potest suscipi ante Baptismum. Atqui juxta Innocentium III. etiam ab Infidelibus suscipitur Matrimonium tanquam Sacramentum. Ergo.

Resp. dist. min. Tanquam Sacramentum impropriè & latè sumptum, conc. Propriè & strictè, neg. min. Solutio patet ex dictis anteà.

179 Ob. 3tio. Omne Sacramentum debet esse ceremonia exterior Religionis. Atqui nihil tale occurrit in nostro Matrimonio. Ergo.

Resp. Neg. min. Ipsa enim externa & visibilis conjunctio viri & mulieris, quæ per solemnia verba coram Ecclesiæ Ministro fieri solet, est utique exterior Religionis ceremonia.

180 Inst. 1mo. Quod in Sacramentis habet rationem signi, debet esse à Christo primùm institutum. Atqui mutuus contrahentium consensus verbis aut signis exteriùs manifestatus, non est signum à Christo primùm institutum; erat enim ante Christum talis contractus conjugalis. Ergo.

Resp. Dist. maj. Debet esse à Christo primùm institutum in ratione signi efficacis & practici, seu in ratione veri Sacramenti, conc. In ratione signi simpliciter, neg. maj. Quod enim jam erat signum, potuit à Christo assumi, ut esset Sacramentum; sicut quod anteà signum non erat, assumi potuit, ut signum esset. Sic Deus iridem, quæ ante diluvium erat, sed signum non erat, in signum erexit ac instituit post diluvium, Gen. 9. Pariter mutuus contractus conjugalis seu Matrimonium, quod ante Christum erat nudum ac simplex signum rei sacræ, nempe unionis Christi cum Ecclesia futuræ, à Christo evectum est ad dignitatem veri Sacramenti, & ad significandam peractam unionem ejus cum Ecclesia, quæ est corpus ejus, efficiendumque, ut gratia, quæ ex ineffabili hujusmodi unione effluit, derivetur in conjuges ejusdem corporis membra, quod sanè magnum est Sacramentum. Igitur, ut adhuc agamus similitudinibus, quemadmodùm Christus virtutem pœnitentiæ, quæ in omni statu lapsis fuit necessaria, evexit ad Sacramenti dignitatem; ita Matrimonium, quod ab Adamo ad ejus usque adventum fuerat signum rei sacræ, novô ac augustiori modô instituit signum suæ conjunctionis cum Ecclesia peractæ.

Inst. 2do. In omni Sacramento tria 181
vulgò distinguunt nostri Scholastici, nempe Sacramentum tantùm, rem Sacramenti, & rem ac Sacramentum simul. Atqui in Matrimonio tria hæc distingui non possunt. Ergo.

Resp. neg. min. Namque actus contrahentium sunt Sacramentum tantùm, gratia verò est effectus seu res Sacramenti, vinculum autem, quod resultat ex mutua contrahentium pactione atque perpetuum est, simul & Sacramentum & res est Sacramenti.

Ob. 4to. Usus conjugii est pars Sacra- 182
menti, ergo gratiam confert. Atqui hoc planè absurdum videtur.

Resp. neg. maj. Usus enim ille est quidem officium, sed non est pars aut essentialis, aut etiam integralis Sacramenti. Gratia quidem conceditur ad

illum usum intra terminos Christianæ modestiæ & castitatis retinendum; at usus ipse gratiam non confert tanquam pars Sacramenti.

183 Ob. 5to. Unum Sacramentum non pugnat cum alio Sacramento, cùm sint ab eodem auctore Christo. Atqui Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis, non potest enim in uno eodemque homine simul esse utrumque istud Sacramentum. Ergo &c.

Resp. neg. min. Nam 1mo. Conjugatus cum consensu uxoris ordinari potest, manente vinculo conjugali. 2do. Non pugnat Sacramentum cum Sacramento, sed status cum statu, sicut res minùs perfecta cùm perfectiore, id est, ea est conditio eorum, qui sacris Ordinibus sunt initiati, ut, cùm voto se obstrinxerint ad servandam continentiam, sint omninò inhabiles facti, jure scilicet Ecclesiastico, ad contrahendum Matrimonium. 3tio. Consentaneum fuit, ut Christus Sacramenta institueret, alia pro infirmis, alia pro validioribus, ad quæ tamen illi pervenire possent, cùm ex sua infirmitate convaluerint; conjugatum quippe, si virtutibus polleat, sacris Ordinibus initiare licet, uxore vel consentiente, vel defuncta.

184 Ob. 6to. In omni Sacramento novæ Legis distingui potest materia, forma, & minister. Atqui nihil tale potest assignari in Matrimonio. Ergo &c.

Resp. neg. min. Quamquam enim discordes sint inter se nostri Theologi in iis assignandis, assignant tamen aliquid quod in hoc Sacramento rationem habeat materiæ & formæ; assignant pariter Ministrum, sive sit ipse Sacerdos, sive sint ipsi contrahentes; de qua quæstione & controversia capite sequenti plura.

185 Ob. 7mo. Non potest colligi ex Scripturis, quando Matrimonium fuerit institutum. Ergo &c.

Resp. 1mo. Transf. ant. Neg. conf. Nec enim Novatores colligere possunt ex Scripturis, quandonam Baptismus fuerit institutus, an ante an post Resurrectionem; quis proindè inferet illum nullatenus à Christo fuisse institutum; sic ergo etiam, quamvis apertè ex Scripturis colligi non posset, quandonam Matrimonium in vim Sacramenti à Christo fuerit evectum & institutum, inde tamen minimè inferri posset, illud ab ipso institutum non fuisse. Hìc ergo, sicut & in plerisque aliis fidei nostræ monumentis, sufficere debet perpetua & constans SS. Patrum, & Conciliorum, totiusque Ecclesiæ traditio.

Resp. 2do. Neg. ant. Nam, ut suprà ex SS. Patribus ostendimus; tunc Christus Sacramentum hoc instituit, quando in Cana Galilææ nuptiis interfuit.

Ob. 8vo. Nonnulli ex nostris Theologis negant Matrimonio annexam esse gratiam sanctificantem, ut Magister sententiarum lib. 4. Dist. 2. quam sententiam amplexi sunt Cardinalis Jacobus de Vitriaco lib. Occidentalis Ecclesiæ c. 16. Durandus in eandem Dist. 2. & nonnulli Canonistæ in Glossa ad Cap. *Honorantur*, causâ 32. q. 2. & ad Cap. *Quidquid.* causâ 1. q. 1. docentque conjuges absque periculo Simoniæ de dote pacisci, quia Matrimonium non est Sacramentum propriè dictum. Undè S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus & alii in eandem Dist. eam, quam tenemus, sententiam stabilierunt quidem, sed non ut certam, verùm ut probabiliorem tantùm & magis communem. Ergo &c. 186

Resp. 1mo. neg. conf. Veritas enim Catholici dogmatis non debet æstimari ex quorumdam privatorum judicio, sed ex communi Conciliorum atque SS. Patrum Traditione, ut patet vel ex sola controversia circa Baptismum ab Hæreticis collatum, quem Ecclesia ex Traditione definiit esse validum; licèt S. Cyprianus,

prianus, Firmilianus, & nonnulli alii Episcopi contrà sentirent. Undè deseri hîc debent Magister, Durandus, & alii, qui contrariam opinionem tenuisse videntur. Nec mirum, quòd S. Thomas & alii nostram sententiam docuerint ut probabiliorem tantùm; cùm eorum ætate nondum accessisset universalis Ecclesiæ definitio.

Resp. 2do. Omnes Theologi in Objectione adducti uno ore asseruerunt Matrimonium unum esse ex septem Ecclesiæ Sacramentis, quia id erat in confesso apud omnes, quamvis in explicandis ejus effectibus errare potuerint. Magistrum sententiarum benignè interpretatur S. Thomas, & quidem cum fundamento: cùm enim Magister iste agnoscat Matrimonium esse Sacramentum novæ Legis, doceatque nostra Sacramenta in eo differre à veteribus, quòd ista gratiam solummodò significarent, nostra verò illam producant; ne sibi contrarius videatur, dum dicit alia Sacramenta esse in sanctificationem, conjugium verò duntaxat in remedium, necesse est, ut interpretemur Magistrum id unum velle, nempe Matrimonium primariò fuisse institutum ad frænandam concupiscentiam, non verò ad confirmandum in gratia & virtute, quemadmodùm Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, & Ordinis: at remedium illud sine gratia interiùs roborante efficax esse non potest; ac proinde Magister gratiam ab illo non excludit.

Ad Durandum respondet Bellarminus lib. 1. de Matrim. c. 5. Durandum, cùm videret se malè audire apud Catholicos, quòd scripsisset Matrimonium esse Sacramentum æquivocè, voluisse postmodum tegere suum errorem, admittendo: Matrimonium esse verè ac propriè novæ Legis Sacramentum: an verò univocè, an æquivocè cum aliis Sacramentis conveniret, quæstionem esse Logicam, quæ ad Religionem non pertinet. Et verò Durandus, ut erroneam opinionem suam tueatur, adeò imbellia profert argumenta, ut ea referre refellere sit. Tale est v. g. illud, quo ait Matrimonium non conferre primam gratiam, cùm non sit Sacramentum mortuorum; neque secundam, sive gratiæ augmentum; alioquin excellentius esset continentiâ, cùm ista nullam omninò gratiam conferat. Nam Resp. Matrimonium, non secùs ac cætera Sacramenta vivorum, per se secundam gratiam producere, per accidens verò primam. Nec obstat, quod de continentia infert Durandus; nam, ut suprà jam animadvertimus, aliud est comparare statum cum statu; aliud statum cum Sacramento. Continentiæ status perfectior est statu Matrimonii, majoris nimirum est gratiæ & meriti: *Qui nubit, benè facit. Qui non nubit, meliùs facit*, inquit Apostolus 1. Cor. 7. Quamvis ergo Sacramentum Matrimonii gratiam augeat, qui tamen propter Deum temperat à nuptiis, à Deo uberiorem recipit gratiam, quàm sit ea, quæ Matrimoniô producitur.

Ad Canonistas & Glossas in Objectione citatas Resp. Canonistas in quæstionibus, quæ propriè ad Theologos spectant, facilè labi potuisse, ac proindè nullius auctoritatis esse citatas Glossas, maximè cùm pugnent adversùs communem ipsorum Canonistarum sententiam, ut observat Navarrus Enchirid. cap. 22. num. 22.

CAPUT

187 ## CAPUT II.

De materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii.

SUperiori parte hujus Tractatus diximus (z), probabilius nobis videri, materiam proximam Matrimonii, seu ex qua ipsum constat, quatenùs est contractus, consistere in actibus contrahentium; formam verò esse hæc verba, aut signa (in mutis nempe) illis æquivalentia, *Accipio te in meam*, *accipio te in meum.* Nihil tamen obest, quin alia ratio Matrimonii hîc, ubi quatenus est Sacramentum illud consideramus, præsertim quantùm ad formam illius, ineatur. Aliam enim Matrimonium induit conditionem, ut Sacramentum est, quàm ut præcisè contractus sive civilis sive naturalis est.

188 Porro quemadmodùm in assignanda tum materia tùm forma Matrimonii, quatenus est contractus, non conveniunt Theologi, prout cit. c. 3. partis 2dæ hujus Tractatus adnotavimus, sic & diversæ sunt illorum opiniones & sententiæ in iisdem assignandis, prout est Sacramentum, quarum octo recenset & refutat Turnelius hîc q. 3. a. 1. iisque nonam addit, quam quoque suam facit, utpotè sibi probabiliorem visam: scilicet materiam Matrimonii, ut Sacramentum est, non secùs ac, prout est contractus civilis seu naturalis, nos suprà part. 2. cap. 3. censuimus, reponi debere in actibus contrahentium, formam verò in verbis, quibus Sacerdos in Matrimonium conjungit nubentes.

Rationem affert pro primo: Quia ratio materiæ his actibus rectè adscribitur, qui cum ex se indifferentes sint & indeterminati ut sint Sacramentum, determinantur per verba Sacerdotis, tanquam per formam, ad rationem & effectum Sacramenti. Item: sicut in Sacramento Pœnitentiæ materia vel quasi materia sunt actus pœnitentis, qui velut informantur per absolutionem Sacerdotis; ita rectè dicitur actus contrahentium, quibus sibi mutuò, sive per verba, sive per alia signa dant fidem Matrimonialem, esse hujus Sacramenti materiam, vel quasi materiam, quæ deindè informatur ad gratiæ consecutionem per ea verba Sacerdotis, in quibus consistit forma Sacramenti. Sicut enim Deus actus pœnitentis evexit in Sacramentum novæ Legis, addita absolutione Sacerdotis ut formâ; ita valde convenienter dicitur, quòd actus contrahentium evexerit in Sacramentum novæ Legis, addita benedictione Sacerdotis ut formâ.

Hæc etiam videtur esse sententia S. Thomæ in 4. Dist. 26. a. 1. ad 2. ubi, *Sacramentum Matrimonii*, inquit, *perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur, sicut Pœnitentia. Et ideò sicut Pœnitentia non habet aliam materiam, nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt locô materialis elementi, ita est de Matrimonio.* Rationem hujus doctrinæ, ac veluti principium adducit idem Angelicus Doctor 3. p. q. 84. a. 1. ad 1. his verbis: *In illis Sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt locô materiæ, ut accidit in Pœnitentia & Matrimonio.*

Ratio 2di scilicet formam hujus Sacramenti reponendam esse in verbis, quibus Sacerdos in Matrimonium conjungit, sequitur ex mox dictis: Quia in illis verbis reponenda videtur forma hujus Sacramenti, quæ determinant actus contrahentium ad esse Sacramentale, & primarium ipsius effectum exprimunt. Atqui talia sunt verba, quibus Sacerdos conjun- 189

(z) Cap. 3.

conjungit contrahentes in Matrimonium, eisque benedicit his vel similibus verbis: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, atque cœlestem benedictionem & gratiam invocat, & confert tanquam Sacramenti Minister. Et certè hæc sententia longè magis videtur accedere ad mentem Veterum, qui Matrimonium benedictione Sacerdotis confirmari & obsignari testantur.

Nec huic sententiæ obesse potest, quòd superiore parte c. 3. pro forma Matrimonii assignaverimus hæc contrahentium verba: *Accipio te in meam, accipio te in meum.* Ibidem enim Matrimonium expendebamus, quatenus est contractus duntaxat, & proindè, nî fallimur, aptè inferebamus illius formam esse adducta contrahentium verba, ut quibus cæteri contrahentium actus, quæ velut materia proxima seu *ex qua* ejusdem contractus esse videntur, determinentur ad esse contractûs Matrimonialis. At hîc Matrimonium in ratione Sacramenti consideramus, cujus, ut jam initiô observavimus, longè alia est ineunda ratio, quàm prout est contractus civilis sive naturalis; tùm enim memorata verba materiæ conditionem inducere videntur, non secus ac cæteri contrahentium actus.

190 Quod Ministrum hujus Sacramenti spectat, sicut in assignandis illius materiâ & formâ dissentiunt Theologi, ita & hîc non conveniunt. Duæ igitur circa hanc quæstionem Scholam dividunt sententiæ. Prima, valdè communis apud Canonistas & Theologos tùm veteres, tùm recentiores, affirmat ipsosmet contrahentes esse Ministros hujus Sacramenti, ita ut vir mulieri, & mulier viro illud administret.

Secunda verò sententia assignat Sacerdotem pro Ministro Sacramenti Matrimonii. Eam tuentur Melchior Canus lib. 8. de Loc. Theol. c. 5. & multi alii, quorum hîc catalogum texere non vacat. Et sanè si forma hujus Sacramenti consistit in verbis, quibus Sacerdos Matrimonio conjungit contrahentes, manifestè sequi videtur, & illum esse illius Ministrum. En præcipua utriusque sententiæ momenta.

Momenta primæ sententiæ. 191

Primum ducitur ab auctoritate Scholasticorum tùm veterum, ut Magistri Sententiarum; S. Thomæ in 4. Sent. Scoti, Durandi: tùm Recentiorum, qui communiter docent contrahentes esse Ministros Sacramenti Matrimonii. In hoc argumento magnam vim collocant; quia cùm Prælati plebem suam docere soleant juxta communem Theologorum sententiam, sequitur hanc sententiam evasisse doctrinam Ecclesiæ.

Secundum petitur ex natura ipsa Matrimonii, quod essentialiter est contractus à Christo elevatus ad Sacramenti dignitatem. Atqui soli contrahentes mutuo consensu efficiunt contractum. Unde Eugenius IV. in Decreto pro Armenis sic habet: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus.*

Tertium nititur Traditione Ecclesiæ, quæ usque ad Concilium Tridentinum rata ac valida habuit Matrimonia clandestina; permisit prioribus Sæculis, ut fideles cum infidelibus contraherent, ac etiamnum communiter contrahunt Catholici cum Hæreticis in Germania, & in aliis regionibus, in quibus dominantur Lutherani & Calvinistæ. Atqui Matrimonia illa perficiebantur, atque etiamnum perficiuntur contrahentium consensu legitimo absque benedictione Sacerdotali.

Nec valet, si dicatur, Matrimonia 192
illa, licèt vera in ratione contractûs civilis, non fuisse Sacramenta: tùm quia credibile non est Ecclesiam permisisse, ut Fideles nuptias communiter celebrarent contra Christi institutionem: tùm quia Eccle-

Ecclesia non curat, ut conjugati redeuntes ex hæresi nuptialem benedictionem à Sacerdote accipiant, cùm tamen sollicita sit, ut Sacramentô Confirmationis perficiantur: quod validum est argumentum, ipsam hæreticorum Matrimonia habere ut Sacramenta.

Quartum ducitur ex Concilio Tridentino, quod in Decreto unico de Matrimonio non aliter requirit præsentiam Parochi, quàm duorum testium, ut ratum sit Matrimonium: *Qui aliter*, inquit, *quàm præsente Parocho, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & ejusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.* Atqui testes præsentiam suam duntaxat exhibent, nec ullum exercent ministerium. Ergo similiter Parochus facit.

Habetur quidem in eodem Decreto ante laudata verba, quòd Parochus audito mutuo contrahentium consensu, dicere debeat: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris &c. &c.* Sed nihil addit irritans Matrimonium sine hujusmodi, aut aliorum similium verborum forma celebratum, quemadmodùm expresè irritum declarat Matrimonium, si defuerit præsentia Parochi & duorum testium; quod evidens signum est, benedictionem Sacerdotalem non pertinere ad substantiam Matrimonii, & ita sæpiùs declarârunt Cardinales, qui in explicandis Concilii Tridentini Decretis præpositi sunt: *Modò*, inquiunt, *Parochus adsit cum duobus testibus, licèt non benedicat, imò renitatur contractui, nihilominùs validum est Matrimonium.*

Enimverò Concilium in laudato Decreto permittit, quando suspicio est Matrimonium malitiosè impeditum iri, ut Parochô & duobus aut tribus testibus præsentibus celebretur; hortatur tamen, *ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.* Hîc conjuges vocantur ex mutuo consensu, qui benedictionem præcessit, jusque habent utendi Matrimoniô, quamvis ex consilio abstinere debeant, donec benedictio ipsis sit impertita; quæ manifestè demonstrant benedictionem Sacerdotalem non pertinere ad substantiam Matrimonii.

Hæc sunt præcipua Momenta primæ sententiæ, ex quibus manifestè sequitur formam Matrimonii, etiam ut Sacramentū est, non esse verba Sacerdotis benedicentis, sed contrahentium, nempe *Accipio te in meam, accipio te in meum.* Quæ suprà part. 2. cap. 3. illius, ut contractus est, formam esse diximus. Sed modò etiam texenda sunt momenta secundæ sententiæ.

Momenta secundæ sententiæ. 193

Primum. Non alio modo intelligitur Matrimonium Christianorum evadere Sacramentum, quàm evadat Pœnitentia. Atqui Pœnitentia non evadit Sacramentum, nisi per ministerium Sacerdotum. Ergo neque Matrimonium.

Nec dicatur, disparitatem esse Matrimonium inter & Pœnitentiam, quòd Matrimonium sit in genere contractûs, qui ab alio perfici non potest, quàm ab ipsismet contrahentibus; namque Pœnitentia similiter, cùm sit mutatio consilii, & dolor de proprio peccato, ab alio, quàm ab ipso peccatore elici nequit. Sed sicut accedat necesse est verbum Sacerdotis ad actus pœnitentis tanquam forma ad materiam, ut conficiatur Sacramentum Pœnitentiæ; ita ad mutuum contrahentium consensum accedere debet benedictio Sacerdotalis, ut Matrimonium evadat novæ Legis Sacramentum.

Confirmatur. Sacerdotes habent per Sacramentum Ordinis, ut sint legitimi *Christi & Ecclesiæ Ministri, ac dispensatores Mysteriorum Dei* 1. Cor. 4. Ergo eis

eis non deneganda est potestas conferendi Sacramentum Matrimonii, quod dicitur ab Apostolo magnum Sacramentum, seu mysterium, ut ea tribuatur mulieri, cui nequidem permittitur in Ecclesia loqui, 1. Cor. 4.

Frustra opponitur, inquiunt, mulierem licitè baptizare in casu necessitatis; quia non agit tunc ut Minister à Christo consecratus, & ab Ecclesia deputatus. At opposita sententia mulierem statuit tanquam ordinarium ac deputatum Sacramenti Matrimonii Ministrum, idque sine ullo fundamento prout patere videtur ex sequenti momento.

194 Secundum igitur momentum deducunt ex perpetua Ecclesiæ Traditione. S. Ignatius, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Syricius, Concilium Carthaginense IV. docent illud apud nos esse verum Matrimonium, quod coram Sacerdote celebratur, & ejus benedictione sanctificatur. Eorum & aliorum testimonia cap. præcedenti retulimus.

Nec valet, si dicatur, benedictionem, cujus meminêre laudati Patres, esse Sacramento accidentalem, & cæremoniam ab Ecclesia institutam. Nam 1mo. ejusmodi responsio favet Novatoribus, & infirmare videtur fidem Catholici dogmatis; nam undè constabit Ecclesiam semper habuisse Matrimonium pro vero Sacramento, si id colligi non possit ex laudatis testimoniis. 2do. Concilium Carthaginense IV. monet conjuges, ut prima nocte in virginitate permaneant pro reverentia ipsius benedictionis. Quis autem affirmare audeat Concilium plus reverentiæ tribuere benedictioni ab Ecclesia institutæ, quàm ipsimet Sacramento, adeò ut nisi accessisset benedictio ad Sacramentum, non esset, cur conjuges se continerent, quod dici non potest sine offensione piarum aurium? Concilium igitur sanctitatem Matrimonii repetit ab ipsa benedictione, per quam perfici Sacramentum existimavit.

Eandem fuisse posteriorum Sæculorum sententiam, colligitur ex omnibus ferè Ritualibus tùm antiquissimis, tùm recentioribus, in quibus habetur sponsum & sponsam fieri conjuges dicente Sacerdote, *Ego conjungo vos*. Ita Manuale Atrebatense annô 1600. Manuale Yprense annô 1576. jubet, ut dicat Sacerdos, *Et ego tanquam Ecclesiæ Minister vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* Mechliniense annô 1589. similiter præscribit, *Data sit utrimque fides; dicat Sacerdos: Et ego tanquam Dei Minister vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* Quem ritum Synodus Tridentina laudatô sæpiùs Decretô præcipit observari. Porro qui conjungit in Matrimonium tanquam Dei & Ecclesiæ Minister, haud dubiè habetur pro Ministro hujus Sacramenti.

Nec obstare videtur, quòd nonnulli duntaxat veteres Scholastici contratrium docuerint; nam Apostolica Traditio non eruitur ex communi veterum Scholasticorum doctrina, nisi eam tradant ut dogma fidei à majoribus acceptum; testis enim in foro externo fidem non facit, quando certum ac firmum non dicit testimonium, sed solummodò verisimile seu probabile. Atqui veteres Scholastici doctrinam suam de Ministro Sacramenti Matrimonii tradunt ut opinionem probabilem. Ergo fidem non faciunt, ut qui in sua sententia firmi nôn sint. Et verò quomodò in ea firmi essent, cùm, ex dictis, ipse S. Thomas scripserit, Matrimonium gratiam conferre secundùm probabiliorem opinionem? Si istud posteriùs, quod est magis indubitatum, ac tandem à Concilio Tridentino definitum, non tradiderunt veteres Scholastici ut fidei dogma, à fortiori nec priùs tradiderunt ut fidei dogma.

Et profectò veteres Scholastici non ita constantes fuêre in hac sua opinione: Scotus enim in 4. dist. 26. admittit parentes posse esse Ministros Matrimonii filiorum. Quin Discipuli S. Thomæ, ut Petrus Ledesma, Dominicus Bannes, non arbitrantur se recedere à Magistri sui sententia, si Sacerdotem assignent pro Ministro hujus Sacramenti; quia S. Doctor, inquiunt, jam ætate provectior scripsit, quæ non satis cohærere videntur cum iis, quæ junior scripserat in 4. Sent. Nam lib. 4. contra Gent. c. 73. ait ea, in quibus gratia illuminans confertur, exhiberi solùm posse à Sacerdotibus. Et cap. 77. *Matrimonium*, inquit, *in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico: ea autem, quæ populo per Ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur.* In Supplem. q. 22. a. 2. sic loquitur: *Sacramenta, in quibus gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet.* Et q. 31. a. 1. *Nullius Sacramenti dispensatio Laicis ex officio competit.* In casu quidem necessitatis Laici baptizant, sed non ex officio: si autem contrahentes essent Ministri Sacramenti Matrimonii, illud ministrarent ex officio.

Neque etiam verum est, omnes veteres Scholasticos asserere contrahentes esse Ministros Sacramenti Matrimonii. Nam Guillelmus Parisiensis, qui floruit circa medium 13tii Sæculi Tract. de Matrim. sic loquitur: *Sine Sacerdotali benedictione nunquam celebrandum est Matrimonium. Matrimonium est sacrum apud fideles virtute benedictionis:* ergo benedictio non est cæremonia ab Ecclesia instituta, cùm ex ea Sacramentum Matrimonii habeat efficaciam.

Eodem modo loquitur Concilium Coloniense annô 1536. part. 7. c. 4. *Quod Sacramentum* (Matrimonii) *si quis*, inquit, *sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritûs, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Ergo juxta Concilium istud, Matrimonium confert donum Spiritûs per benedictionem Sacerdotalem. Et in Enchiridio, quod mandatô ejusdem Concilii editum est, cap. penult. de Matrim. hæc leguntur: *Quantò magis putandum est Sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus Sacramenti esse Ministros.*

Argumentum seu momentum tertium eruunt ex Concilio Tridentino, quod Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1. sic loquitur: 195
Ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii & Spiritûs sancti; vel aliis utatur verbis juxta præceptum uniuscujusque provinciæ. Certè, inquiunt, si Concilium datâ operâ voluisset innuere, Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Matrimonii, & verba, quibus contrahentes conjungit esse formam aut quasi formam, non potuisset uti verbis significantioribus.

En utriusque sententiæ momenta; 196
nec quærat quis in quamnam partem propendeamus; non enim tantæ auctoritatis sumus, ut nostrô suffragiô, aliquod pondus alterutri sententiæ tribuamus. Quanquam hæc quæstio magis ad theoriam pertinet, quàm ad praxim, satisque est Parochis, ut noverint ritum Ecclesiæ, in qua ministrant, illumque in celebratione Matrimonii accuratè observent. In nostro Argentinensi Rituali tit. de Matrim. pag. 265. hic ritus benedicendi Matrimonii præscribitur: *Matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico, & benedico, in nomine Patris, &c.* Qui ritus primæ, quam hoc capite proposuimus, sententiæ favere videtur. Verùm unicuique liberum pro nos sit, eam ex his duabus sententiis eligere & amplecti, quam maluerit.

Unicum

197 Unicum hîc adhuc examinandum suscipimus, occasione tertii momenti primæ sententiæ suprà à nobis relati, in quo, inter alia à nobis alibi jam expensa, dicitur, quòd in Germania & aliis regionibus, in quibus dominantur Lutherani & Calvinistæ, Catholici cum Hæreticis communiter Matrimonium contrahant. Quæritur ergo an hujusmodi Matrimonia non solùm valida sed & licita sint necne.

Quantùm ad primum apud omnes certum esse debet hujusmodi Matrimonia ex sese rata & valida esse; quia nullo jure, sive naturali, sive divino, sive Ecclesiastico declarantur nulla & irrita. Non naturali: quia disparitas cultûs seu Religionis, omnibus fatentibus, non est impedimentum jure naturali dirimens Matrimonium, quatenùs est contractus naturalis aut civilis. Non divinô: quia verba ista S. Pauli, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, Theologorum ferè omnium consensu, prohibita solùm & illicita, non autem invalida declarant Matrimonia Catholicorum cum hæreticis. Non denique jure Ecclesiastico, quia nullo Ecclesiæ Canone vel Statuto invalida & nulla redduntur, dummodò servatis Ecclesiæ legibus, quibus Hæretici per Baptismum subditi sunt, contracta fuerint: si enim cum aliquo impedimento dirimente contracta fuissent, nulla procul dubio forent ac iteranda. Et certè Ecclesia non reiterare facit hujusmodi Matrimonia etsi sponsus v. g. hæreticus ad Ecclesiæ gremium, abjurata hæresi, se recipiat. Ergo illa rata & valida esse judicat.

198 At verò illicita esse demonstrant eædem planè causæ & rationes, quibus suprà part. 2. vidimus non licere Christianis jungi fœdere conjugali cum infidelibus, ob præsentia nimirum pericula seductionis, perversæ prolis educationis, rixarum & contentionum, & aliorum hujusmodi. Cùm enim hæresis sit pessimum infidelitatis genus, eò minùs conjugia cum Hæreticis permitti debent, quò & periculosior est cum illis conversatio, & difficilior eorum conversio. Adde pluribus Ecclesiæ Canonibus prohibita passim esse ejusmodi Matrimonia in Conciliis Laodiceno, Chalcedonensi, Eliberitano, Carthaginensi III. Agathensi, &c.

Verumtamen nihil obest, quin ex di- 199
spensatione Ecclesiæ hujusmodi Matrimonia licita fiant & sint, ob bonum publicum Ecclesiæ, Regnorum & Provinciarum, pacem & familiarum concordiam; in iis maximè locis, in quibus Hæretici Catholicis permixti vivunt. Id confirmatur multis exemplis dispensationum, quas Summi Pontifices concessêre post Gregorium XIII. Clemens VIII. dispensavit cum Duce Barrensi, ut Catharinam Henrici IV. Francorum Regis Sororem sed hæreticam, duceret. Urbanus VIII. an. 1625. dispensationem concessit, ut Henricia Ludovici XIII. Regis Christianissimi soror Carolo Anglorum Regi hæretico nuberet.

Et certè in nostra Germania, ubi Hæreticis seu, ut vocant, Acatholicis permixti vivimus, frequentia satis sunt hujusmodi connubia, at quæ neutiquam Ecclesia reclamat, sed ultrò dispensat. Nec in iis aliquod videtur esse perversionis periculum; quòd si quod esset, æquaretur utique à spe conversionis alterutrius conjugis; imò ab experientia habemus, conjugem Hæreticum faciliùs ad Catholicam fidem converti, quàm Catholicum perverti & vicissim; cujus rei recens exemplum habemus in Principe Bipontino qui, post unius anni cum Principe Palatina connubium, ejurata Lutherana hæresi, fidem Catholicam amplexus est. (*a*)

(*a*) Vid. Epistolas R. P. Francisci Seedorf Soc. JEsu, & Seren. Ducis Palatin. & Electoris Confessarii, edit. Leodiensis annô 1747.

In hujusmodi autem nuptiis benedictionem Sacerdotalem dari vetuit Clemens VIII. qui rebus Ecclesiæ præfuit ab an. 1592. usque ad an. 1605. At an hæc prohibitio teneat in Germania nostra valdè dubitamus; quin potiùs credimus in illis easdem, ac in Catholicorum nuptiis, observari cæremonias; qua de re, si quis dubitet, rei veritatem habere poterit ab iis, qui hujusmodi nuptias celebrârunt.

200 ## CAPUT III.

De effectibus & cæremoniis Sacramenti Matrimonii.

CUm ex dictis certum sit apud omnes Catholicos, Matrimonium in Lege Christi verum esse ac propriè dictum Sacramentum, certum pariter esse debet, per illud gratiam sanctificantem produci in iis, qui, ut par est, dispositi ad illud accedunt. Ita declarat Concilium Tridentinum Sess. 24. de Matrim. cap. unicô, quod Canonibus de eodem Sacramento præmittitur.

201 Gratia igitur illa sanctificans, quæ Matrimoniô producitur, medetur omnibus malis illis, quæ per peccatum primorum parentum in nuptias irrepserunt. 1mo. enim per Adami & Evæ peccatum factum est, ut ex nuptiis non minùs, quàm ex fornicatione, proles nascatur obnoxia peccato, juxta illud Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Atqui gratia, quæ per Matrimonii Sacramentum fidelibus datur, medetur ejusmodi malo; efficit nempe ut conjuges prolem per lavacrum regenerationis mundatam, & verbô, & exemplô doceant Dei legem. Ita S. Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. & S. Fulgentius Epist. 1. quæ est de conjugali debito, cap. 3.

2do. Per Adami & Evæ peccatum in nuptias irrepsit libido, per quam conjugati ad varia flagitia impelluntur. Sed per Matrimonii gratiam illis flagitiis occurritur: quippe quæ efficiat, ne conjugati libidini serviant, nec actu conjugali intemperanter utantur, ne mutuam fidem adulteriô violent.

3tio. Per primorum parentum inobedientiam discordia nuptias fidelium infecit; factum est scilicet, ut vir abutatur potestate, quam in uxorem accepit, & uxor marito subjici recuset. Verùm per sanctum Matrimonium efficitur, ut, Apostolo teste Ephes. 5. viri uxores diligant, sicut Christus Ecclesiam; & vicissim mulieres subditæ sint viris, sicut Ecclesia Christo; ut vir non excedat debitos acceptæ potestatis limites, & ut mulier debitam viro obedientiam non detrectet.

4to. Graves sunt in Matrimonio ærumnæ & miseriæ, putà onus uteri, partûs, educationis liberorum, sollicitudo alendæ & instruendæ familiæ, casus adversi, molestiæ, timores, &c. quæ Apostolus 1. Corinth. 7. vocat *tribulationem carnis*, utpotè quæ circa carnem versentur, eamque affligant. Efficit autem Matrimonii gratia, ut illæ ærumnæ & miseriæ patienter tolerentur, & commune jugum leviùs feratur.

Verbô, cùm tria sint Matrimonii bona, fides nimirùm, proles, & Sacramentum, necessaria omninò est gratia Sacramenti Matrimonii ad ea tria bona feliciter assequenda. Bonum scilicet fidei tria postulat, ut conjux conjugi debitum reddat; ut soli reddat conjugi; servet necessariam cum illo pacem. In bono prolis etiam tria sunt attendenda, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, ac religiosè educetur; quæ quidem propria sunt parentum in liberos officia. Cùm denique in omni conjugio suô modô adumbretur intima Christi conjunctio

cum

cùm Ecclesia, per gratiam Sacramenti Matrimonii fit, ut conjunctio hæc nusquam solvi debeat, sed duo semper sint in carne una.

202 Quantùm verò ad hujus Sacramenti ritus seu cæremonias attinet, non est hìc animus ea repetere, quæ de variis illius solemnitatibus tùm 1ma. tùm 2da. hujus Tractatus parte differuimus. Breviter dumtaxat ritus seu cæremonias quæ, cùm solemniter confertur, adhiberi solent, referemus, easque nequaquam damnari posse ostendemus.

Igitur in solemnitate Sacramenti Matrimonii plures ritus servari solent, quamvis non ubique iidem omnes omninò sint. 1mo. Sacerdos sponsis solemnem benedictionem impertitur. 2do. Pro iis offertur Missæ Sacrificium. 3tio. Velamine obnubuntur. 4to. Vittâ, quæ partim candida, & partim purpurea sit, junguntur. 5to. Sponsus sponsam donat annulô, quem Sacerdos priùs benedixerit. 6to. Variis precibus conjugium recèns contractum Domino commendatur. 7mo. Sponsus & sponsa à Sacerdote monentur, ut honestè ac Christianè se gerant in usu, reliquisque Matrimonii officiis. Eos aut saltem similes ritus legere est tùm in antiquis tùm in hodiernis Ritualibus.

Undè habetur, eos nequaquam damnari posse aut debere. Horum etiam meminit Nicolaus I. qui Sæculô nonô floruit, respondens ad consulta Bulgarorum c. 3. ubi de recèns nubentibus hæc inter alia ait: *Postquam arrbis sponsam sibi sponsus per digitum fidei à se annulô insignitum desponderit ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primùm quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum, statuuntur, sicque demùm benedictionem, & velamen cœleste suscipiunt. . . . Verumtamen velamen illud non suscipit, qui ad secundas nuptias migrat. Post hæc autem de Ecclesia egressi, coronas in capitibus gestant, quæ semper in Ecclesia ipsa sunt solitæ reservari. Et ita festis nuptialibus celebratis ad ducendam individuam vitam Domino disponente de cætero diriguntur.*

Ante Nicolaum I. Veteres horum rituum meminêre, ut Siricius Ep. 1. c. 4. Innocentius I. Ep. 2. c. 6. Et etiam ante hos S. Ambrosius lib. 1. de Abraham Patriarcha Ep. 70. ad Vigilium. De oblatione expressè loquitur Tertullianus lib. 2. ad uxorem. *Undè sufficiam*, inquit, *ad felicitatem ejus Matrimonii enarrandam, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, pater ratum habet?*

Undè meritò Concilium Tridentinum Sess. 24. Can. 11. contra Novatores sic definit: *Si quis benedictiones & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis* (nuptiis) *utitur, damnaverit, anathema sit.*

Caput IV.

De impedimentis Matrimonii. 203

Impedimenti nomen ita per se clarum est, ut ulteriori explicatione haud indigeat. Impedimentum igitur Matrimonii est id, quod obest, quominùs Matrimonium licitè celebrari, aut celebratum valere possit, seu est id, quo Matrimonium jure redditur aut illicitum, aut irritum.

Duo proindè sunt impedimentorum Matrimonii genera. Alia enim sunt simplicia, seu simpliciter impedientia vel prohibentia: alia verò dirimentia. Priora dicuntur ea, quæ illicitum faciunt conjugium, impediuntque, ne contrahatur duntaxat, non verò irritant. Dirimentia verò Matrimonium dissolvunt seu dirimunt. In hoc igitur inter se differunt ista duo impedimentorum genera, quòd propter impedimentum simplex Matri-

Matrimonium ſit ſolummodò illicitum; propter dirimens verò Matrimonium ſit ſimul illicitum, & prorsùs nullum.

De impedimentis Matrimonii præſenti Capite tractaturi, illud, ut ordine omnia procedant, tribus Sectionibus diſtinguemus: in quarum prima de impedimentis in genere diſſeremus; in ſecunda impedimenta ſimplicia; & denique in tertia impedimenta dirimentia Matrimonii expendemus. Sit

204 SECTIO I.

De Impedimentis Matrimonii in genere.

Duo hîc præcipuè nobis veniunt expendenda. 1mum. An Eccleſia poteſtatem habeat ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia. 2dum. An eadem Eccleſia auctoritatem habeat diſpenſandi ab impedimentis Matrimonii. Quæ duobus ſequentibus paragraphis reſolvimus.

§. I.

205 *An Eccleſia poteſtatem habeat ſtatuendi Impedimenta Matrimonium dirimentia.*

De poteſtate Eccleſiæ circa Impedimenta dumtaxat dirimentia Matrimonium hîc loquimur, utpotè quibus Matrimoniū non modò illicitum ſit ſed & prorsùs irritum & nullum. Hac ergo Eccleſiæ auctoritate ſemel ſtabilita, pronum eſt intelligere, illam quoque eidem circa impedimenta ſimplicia, quæ illicitum ſolummodò reddunt Matrimonium, competere: nam qui poteſt majus, poteſt & quoque minus; & qui poteſtatem habet ad utrumque ſimul, eandem etiam habet ad utrumque ſeparatim.

Lutherus, qui vult omnes cauſas Matrimoniales ad ſolos ſpectare Principes, negat Eccleſiam habere poteſtatem ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia. Ipſum ſequitur Calvinus & cæteri Novatores omnes. Fluit error iſte ex alio eorumdem Novatorum, qui in Matrimonio nihil niſi purè humanum, politicum, ac civile agnoſcunt: quique ſi agnoſcerent Matrimonium eſſe Sacramentum, illud ab auctoritate & jurisdictione Eccleſiaſtica eximere non poſſent. Quam conſecutionem rectam eſſe ſubodoratus eſt Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 19. §. 37. *Ubi enim ſemel*, ait ibidem, *obtinuêre* (Catholici ſcilicet) *Matrimonium eſſe Sacramentum, conjugalium cauſarum cognitionem ad ſe contraxerunt: quippe res ſpiritualis erat profanis Judicibus non attrectanda.* Sit

CONCLUSIO. 206

Eccleſia jus & auctoritatem habet ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

Prob. 1mo. Exemplô Chriſti & Apoſtoli, qui eorum impedimentorum ſtatuendorum formam & exemplum dederunt. Chriſtus Marci 10. & Lucæ 13. impedimentum, quod vocant *Ligamen*, quo fit, ut qui uxori eſt alligatus, non poſſit ab ea, quamdiu vivit, ſolvi, & cum altera conjungi, appoſuit. *Omnis*, inquit, *qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Et Apoſtolus, 1. Corinth. 7. v. 39. *Mulier*, inquit, *alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.* verſ. 10. jam dixerat: *Iis, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.*

Ibidem v. 15. idem Apoſtolus impedimentum, quod dicitur *Cultûs Diſparitas*, inducit: permittit enim uxori fideli diſcedere ab infideli marito, propter diſparem cultum & Religionem; cùm nempe infidelis vir ille non vult pacificè

pacificè & ſine injuria Creatoris, habitare cum fideli uxore ſua. *Si infidelis*, inquit, *diſcedit*, *diſcedat : non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujusmodi.* Hanc porro auctoritatem non exercuiſſet, nec ſibi arrogaſſet Apoſtolus, niſi intellexiſſet eam à Chriſto Eccleſiæ datam fuiſſe in perſona S. Petri, cùm dixit, *Paſce oves meas.* Eam enim omnem his verbis conceſſit legum condendarum auctoritatem, quæ neceſſariæ ſunt ad optimum Reipublicæ Chriſtianæ regimen, ad ſanctam & ſpiritualem efformandam ſocietatem, ad mores piè componendos; uno verbo, ad ſalutem æternam aſſequendam. Atqui nemo negaverit, inter leges hujusmodi, eas non infimum habere locum, quæ ſpectant publicam Sacramentorum adminiſtrationem, nuptiarum ſolemnitatem, & conditiones, quibus poſſint Fideles eas licitè & validè celebrare: pendet enim, ut plurimùm, tota vitæ ratio ac æterna ſalus ex Matrimonio debitè vel indebitè contracto; atque ad Eccleſiam præcipuè pertinet providere de illa optima contrahendi Matrimonii ratione, ex quo Fideles cœlo acquiruntur.

207 Prob. 2do. Ex conſtanti Eccleſiæ uſu & praxi, quæ à temporibus Apoſtolorum ad noſtram usque ætatem impedimenta Matrimonii conſtituit.

Tribus prioribus Eccleſiæ Sæculis Eccleſiam quædam ſtatuiſſe Matrimonii impedimenta probant hæc verba Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem reſcribentis de nonnullis Monachis, qui nuptias ambiebant: *Quod & publicæ leges & Eccleſiaſtica jura condemnant.* Probant & hæc alia S. Baſilii verba in Epiſt. ad Diodorum de viduo, qui ſororem mortuæ ſuæ conjugis duxerat: *Principio igitur, quod in ejusmodi rebus maximi momenti eſt, morem, qui apud nos eſt, objicere poſſunt, quòd is vim legis habeat, propterea quòd ſanctiones iſtæ à ſanctis viris nobis ſunt traditæ.* Nec Siricius nec Baſilius, qui quartò Sæculò floruerunt, jura illa aut conſuetudinem tanquam res novas proferunt, ſed tanquam à Sanctis Majoribus ſuis acceptas. Ergo obtinebant ante quartum Sæculum, quo tùm à Siricio tùm à Baſilio laudata ſunt.

Jure hoc quartò Sæculò potitam fuiſſe Eccleſiam demonſtrant latæ tunc temporis Conſtitutiones Synodicæ, ut Concilii Eliberitani ſeu Illiberitani Can. 15. 17. 61. & 66. quod Concilium ad Sæculum Eccleſiæ tertium nonnulli probabiliter etiamnum rejiciunt, ſeu collocant. Canon 2. Concilii Neocæſarienſis, quod annô 314. habitum eſt de Affinitatis impedimento ſic habet: *Mulier, ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur usque ad mortem, verumtamen in exitu, ſi promiſerit, quòd ubi convaluerit, ſolvet Matrimonium, propter humanitatem pœnitentiam habebit.* De eodem impedimento hæc habet Baſilius in Ep. ad Amphilochium: *Si quis affectu immundo correptus, ad illicitam duarum ſororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium eſſe cenſendum, neque talem ad Eccleſiaſticum cœtum admittendum, priusquam à ſe invicem dirimantur.* Siricius Papa Epiſt. ad Himerium refert impedimentum publicæ honeſtatis tanquam à Primatibus Eccleſiaſticis ſtatutum: *Hoc ne fiat*, inquit cap. 4. loquens de muliere alicui jam deſponſata, *omnimodo inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam Sacrilegii inſtar eſt, ſi ulla transgreſſione violetur.* Cùm autem id inhibeat, Eccleſiæ jus ſupponit.

Quintò & ſextò Sæculo penes Eccleſiam Jus iſtud fuiſſe habetur 1mo. ex Synodo, quæ habita eſt in Hybernia annô 450. ſub S. Patritio, in qua Can. 17. irritum fit Matrimonium initum cum virgi-

virgine Deo consecrata. 2do. Ex Concilio Aurelianensi I. annô 511. Can. 13. ubi sic legitur: *Si cuiquam mulier Presbyteri, vel Diaconi relicta* (tanquam vidua) *duplici se conjugio conjunxerit, aut castigati separentur, aut certè si in criminis intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.* 3tio. Ex Concilio Aurelianensi II. annô 533. ubi Can. 17. *Fœminæ*, inquit, *quæ benedictionem Diaconatûs hactenùs contra interdicta Canonum acceperunt, si ad conjugium probentur iterùm devolutæ, à communione pellantur: quòd si hujusmodi contubernium admonitæ ab Episcopo, cognito errore, dissolverint, in communionis gratiam, actâ pœnitentiâ, revertantur.*

Septimô, octavô, & nonô Sæculô Ecclesiam præscripsisse leges, quibus nuptiæ quædam nullæ fierent & irritæ, ostenditur 1mo. Ex Gregorio Magno, qui ineunte Sæculo 7mo Anglorum Genti prohibuit sub pœna nullitatis, ne intra primum & secundum consanguinitatis gradum nuberet, in respons. ad 6tam quæstionem ab Augustino Archiepiscopo Cantuariensi sibi propositam, ubi sic loquitur: *Undè necesse est ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium decenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus, à se debet omninò abstinere.* 2do. Ex Zacharia Papa, quo præside an. 747. Synodus Romæ habita est, qua revocata fuit indulgentia post quartum gradum nubendi à Gregorio II. Germanis recenter ad fidem conversis concessa. *Deo autem largiente* (inquiunt illius Synodi Patres) *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum præteritis annis litteras miserunt Archiepiscopi, & Reges Provinciæ illius petentes Apostolica præcepta qualiter liceat illius conjugia copulare, & quomodò debeat observare.* 3tio. Ex Nicolao Papa I. qui Sæculô nonô Bulgaros ad fidem conversos docuit, in quo consanguinitatis gradu valerent inita Matrimonia, & in quo irrita essent & invalida, in Respons. ad eosdem, ubi cap. 39. *De consanguinitate*, inquit, *generationum inquiritis; at quibus utique fœminis jungi debeatis, liquidò cognoscetis; inter eas enim personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio sea non tanta.*

Decimô Sæculô Orientales Episcopi convocati ad Concilium declarârunt nullas deinceps fore quartas nuptias, annô 925. Eodem Sæculo annô scilicet 998. Robertus Francorum Rex Bertham Odonis Comitis filiam consanguineam suam (*b*) duxit in Matrimonium: Erchembaldus Turonensis Archiepiscopus conjugium illud consecravit, probaruntque multi adulatores & aulici Episcopi. Sed Gregorius Papa V. coactô Romæ Conciliô ipsum damnavit, duosque edidit Canones, ex quibus invictissimè colligitur Ecclesiæ potestas in Fidelium Matrimonia. Priore Canone Rex sub excommunicationis pœnâ jubetur, ut Bertham dimittat. Altero Canone ejicitur è communione Fidelium illius conjugii consecrator.

Sæculis 12mô & 13tiô eodem jure Ecclesiam fuisse potitam demonstratur 1mo. ex Alexandri Papæ II. Epist. 38. ad Episcopos, Clericos, & Judices Italiæ, in qua sub pœna nullitatis confirmat prohibitionem multis jam Sæculis sancitam nubendi infra septimum consanguinitatis gradum. 2do. Ex Burchardo Worma-

(*b*) Dicunt aliqui eam Commatrem simul suam fuisse, cujus nempe filium de sacro fonte susceperat.

Wormatienſi Epiſcopo, qui ſub finem Sæculi 11mi in ſuam Canonum collectionem retulit Decretales Epiſtolas adſcriptas prioribus Romanis Pontificibus, in quibus Epiſtolis præſcribuntur impedimenta Matrimonium dirimentia. 3tio. Ex Yvone Carnotenſi, & Gratiano, qui ineunte Sæculô 12mô illas easdem Epiſtolas ſuis Decretis inſeruêre. 4to. Ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. habito an. 1215. in quo Conſanguinitatis impedimentum ad quartum gradum coarctatum fuit. 5to. Ex Gregorio Papa IX. cujus auctoritate ubique ferè promulgatæ fuerunt Decretales, quibus jus præſcribendi leges Matrimonium irritantes Eccleſiæ vindicatur.

Sæculis 14tô & 15tô Eccleſiam jus ſuum in nuptias Fidelium exercuiſſe oſtenditur 1mo. Ex eo, quod contigit an. 1366. cùm reſciſſum fuit Matrimonium Edmundi Anglorum Regis filii cum Margaretha filia Ludovici Belgarum Comitis conſanguinea ſua; nec Urbanus Papa V. adduci potuit, ut petitam ab Eduardo diſpenſationem concederet. 2do. Ex eo, quod contigit Sæculô 15tô. cùm enim Ludovicus XII. Galliarum Rex quaſi invitus Joannam ex Ludovico XI. natam duxiſſet, ſed ratus poſteà hujusmodi nuptias non valere, rem totam Alexandro Papæ VI. commiſiſſet, ejus auctoritate ſolutum fuit illud Matrimonium, & aliud initum cum Anna Britannica prædeceſſoris ſui vidua.

Denique Sæculô 16tô. Jus, quod Eccleſia à Chriſto continua & nunquam interrupta Sæculorũ ſerie ad illud usque circa impedimenta Matrim. dimentia tenuerat confirmavit Concil. Tridentinum, Novatoresque jus illud impugnantes damnavit Seſſ. 24. Can. 3. & 4. Can. 3. ſic definit: *Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant & dirimant; anathema ſit.* Et Can. 4. *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.*

Prob. Concluſ. 3tio. Ratione 1mo. 208
Quia nullus etiam Hæreticus unquam negavit Sacramentorum adminiſtrationem juris eſſe Eccleſiaſtici, & ad ſolam Eccleſiam pertinere, idque ipſe agnovit Calvinus ſuprà citatus. Atqui ex dictis hîc Cap. 1. probatum manet Matrimonium eſſe Sacramentum novæ Legis propriè dictum. Ergo ejus adminiſtratio ad Eccleſiam pertinet; adeoque etiam leges ſtatuere poteſt, quibus irritum ſit vel validum. 2do. Illius eſt impedimenta Matrimonium dirimentia conſtituere, cujus eſt in iis diſpenſare. Atqui ſolius Eccleſiæ eſt diſpenſare in impedimentis Matrimonii, prout paragraphô ſequenti demonſtrabimus. Ergo etiam illius eſt impedimenta Matrimonium dirimentia conſtituere.

Diſputant hîc inter ſe noſtrates Theo 209
logi, an Principes ſæculares poteſtatem habeant ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia. Verùm huic quæſtioni nobis diutiùs immorandum eſſe non cenſemus; utpotè cujus eadem ratio ineunda videtur, ac Matrimonii à filiisfamilias ſine parentum conſenſu initi, de quo ſuperiori parte egimus. Si quæ igitur impedimenta Matrimonium dirimentia fortè à Principibus ſæcularibus ſtatuta ſint, ea, vel valere duntaxat videntur quoad effectus civiles contractûs Matrimonialis, vel Eccleſiam ſua auctoritate firmaſſe ſuaque feciſſe videtur dicendum: ex quo enim Chriſtus Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evexit, res Eccleſiæ ſpiritualis effectum eſt, proindè Principum ſæcularium legibus non

amplius subjacet sed solius Ecclesiæ; enimverò, ut omnes fateri coguntur, Nosque Tom. 1. Theol. nost. Tract. 3. fusè ostendimus, ubi de Summorum Pontificum auctoritate disseruimus; temporalis Principum auctoritas ad res spirituales Ecclesiæ nullatenùs se extendit.

210 Equidem negandum non est, esse quidem penes Principes leges condere circa Matrimonium, v. g. de dotibus, de successionibus, de hæreditatibus, & aliis hujus generis; his tamen legibus minimè irritari & dirimi posse videtur ipse contractus conjugalis, aut saltem, eo civiliter irritato, nullum & invalidum consequenter fieri Sacramentum; contractus enim ipse est materia Sacramenti, de qua statuere solius est Ecclesiæ, non Principum; aut saltem irritato contractu civili, superest contractus naturalis & humanus, mutuus scilicet consensus, qui sufficiens est Sacramenti materia, quamdiu nulla lege Ecclesiastica irritatur.

Quòd si verò Principes sæculares interdum aliqua decreverunt impedimenta sive prohibentia sive dirimentia Matrimonium, immeritò sibi jus illud, utpotè à se alienum & extraneum, arrogasse videntur; aut saltem nonnisi approbante & consentiente Ecclesia illud exercuerunt tanquam vindices ac protectores legum Ecclesiasticarum.

Et sanè antiqua hac de re monumenta percurrenti statim occurret 1mo. hujusmodi Principes Christianos, præsertim Galliarum Reges (quorum tamen auctoritatem & potestatem hìc tueri velle videntur nonnulli celebres Gallicani Theologi) adeò detulisse Ecclesiasticis Canonibus, ut eis suas leges postposuerint, prout meritò postponere debuerunt. Sic Imperatorum constitutionibus viduis nonnisi post expletum à morte sponsi annum nubere licebat; sed vi sacrorum Canonum altera disciplina ubique obtinuit. Servis, non obtento Dominorum suorum consensu Matrimonia, sub pœna nullitatis, quondam interdicebantur à Principibus; alius tamen post Decretalium promulgationem à Gregorio IX. factam usus invaluit. Jus civile nullam affinitatis collateralis habuit rationem; habuerunt tamen posteà Principes Christiani, eò quòd habendam esse decrevisset Jus Canonicum. Civili Jure non contrahitur affinitas nisi ex legitimo viri & mulieris coitu, ubi tamen oriri etiam ex illegitimo concubitu statutum fuit Ecclesiæ Canonibus, Principes hujusmodi mutationi subscripserunt.

2do. Inveniet, se sæpiùs Principes Christianos tanquam sacrorum Canonum executores duntaxat exhibuisse. *De reliquis verò propinquis*, inquit Carolus Magnus lib. 6. Capitularium n. 7. *juxta constituta SS. Patrum, & juxta decreta Canonum judicetur.*

3tio. Reperiet, eosdem Principes Matrimonia damnasse præcisè eò, quòd contra Canonum prohibitionem inita fuissent; atque ab Ecclesiæ Canonibus præsidium & auctoritatem advocasse. Annô 577. Chilpericus Francorum Rex Prætextatum Archiepiscopum Rothomagensem in cœtu Episcoporum, teste Gregorio Turonensi lib. 5. Hist. cap. 18. hisce allocutus est: *Quid tibi visum est o Episcope, ut inimicum meum Merovechum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est, cum patrui sui uxore conjungeres? An ignarus eras, quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent?*

Childebertus itidem Francorum Rex circa annum 595. sic de conjunctionibus, quæ incestæ dicuntur, ajebat: *Per prædicationem Episcoporum jussimus emendari.*

Carlomannus Rex annô 743. in Conventu Liptinensi cap. 3. *Similiter*, inquit, *præcipimus, ut juxta decreta Canonum adulteria, & incesta Matrimonia,*

quæ

quæ non sunt legitima, prohibeantur, & emendentur Episcoporum judiciô.

Carolus Magnus jam suprà laudatus, lib. 5. Capitul. num. 7. postquam certas nuptias prohibuit, *Ita*, inquit, *Gregorius sensit. Ita Canones prohibent copulari.* Et lib. 6. cap. 96. postquam declaravit inter raptorem & raptam ratum non esse Matrimonium, *Sacri*, inquit, *Canones non solùm raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores, eisque consentientes anathemate feriunt.*

Carolus Calvus in Edicto Pistensi cap. 31. *Si autem*, inquit, *de istis partibus in illis fœmina maritum, aut maritus fœminam accepit, illud conjugium, quia non est legale, neque legitimum, sicut Leo in Decretis suis, & S. Gregorius in Epistolis, monstrant, dissolvatur.*

Et ut plura alia omittamus Regum Galliæ exempla, Henricus II. in Edicto anni 1556. Carolus IX. in Edicto anni 1561. art. 9. Henricus III. art. 40. Edicti Blesensis. Henricus IV. in Edicto annô 1606. Ludovicus XIII. in Edicto annô 1639. & Ludovicus XIV. variis in Edictis, jubent disciplinam à Canonibus Ecclesiæ præscriptam in celebrandis nuptiis à suis subditis observari; & cognitionem earum causarum, quæ Matrimonii celebrationem spectant, ad Judices Ecclesiasticos remittendam esse decernunt.

211 Nemo etiam ignorat, idque narrat Pallavicinus Hist. Concil. Trid. lib. 22. cap. 1. Oratores Gallos Regis Christianissimi nomine à Patribus Tridentinis postulasse, ut juberent irritari Matrimonia clandestina, sicut & ea, quæ filiifamilias insciis vel invitis parentibus contraxissent.

Denique Reges ipsi & Imperatores in propria sua causa ad Ecclesiasticam se semper contulêre & adhuc etiam conferunt auctoritatem pro obtinenda dispensatione ab aliquo Matrimonii impedimento. Carolus Magnus priorem suam conjugem filiam Desiderii Longobardorum Regis nonnisi post latum ab Episcopis judicium dimisit. Lotharius post suam à Thiedeberga separationem, à Concilio Aquisgranensi decretam, alterarum nuptiarum veniam ab eodem humiliter postulavit. Henricus IV. Galliæ Rex Margaretham Reginam, cum qua contraxerat, dimisit post repudii sententiam, quam per commissos in Francia Judices Ecclesiasticos tulerat Clemens Papa VIII. De Eduardo Anglorum Rege, seu potiùs Edmundo ejus filio, & Ludovico XII. Franciæ Rege jam suprà egimus.

Ex his & aliis monumentis, quæ hîc attexere non vacat, non obscurè, nî vehementer fallimur, colligere est, Principes Christianos semper agnovisse, ad solam Ecclesiam pertinere impedimenta Matrimonii statuere. His testimoniis constricti Gallicani Theologi illi, qui contrariam sectari videntur sententiam, atque tuentur, posse Principes sæculares proprio jure statuere impedimenta Matrimonii; tandem fateri coguntur, eos pro sua pietate ac in Ecclesiam condescensu, ab usu & exercitio hujus suæ potestatis à multis jam Sæculis (dicere deberent jam ab exordio sui Christianismi) abstinuisse, ut jam nullum censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat. Verùm quo fundamento id asserant, ignoramus.

Solvuntur Objectiones 212

Contra positam Conclusionem.

Ob. 1mo. Si Ecclesia irritare posset contractum conjugalem, atque impedimenta statuere, quæ Matrimonium dirimerent, posset immutare substantiam illius, nempe efficere, ut quæ fuit à

Christo instituta sufficiens materia hujus Sacramenti, nempe mutuus contrahentium consensus, non amplius esset sufficiens illius materia. Atqui Ecclesia non potest immutare substantiam illius utpote Sacramenti. Ergo.

Resp. neg. seq. maj. Huic objectioni jam alibi satisfecimus. Ecclesia enim statuendo impedimenta Matrimonium dirimentia, non efficit, ut mutuus contrahentium consensus non sit materia Sacramenti Matrimonii, sed tantùm sua prohibitione declarat, contrahentes inhabiles esse ad consensum illum exhibendum in ordine ad Matrimonium.

213 Ob. 2do. Ecclesia leges conjugia irritantes condidit per usurpationem duntaxat, & beneficiô falsarum Decretalium, quæ primùm Sæculô nonô prodierunt, atque temerè prioribus Summis Pontificibus adscriptæ fuerunt, insciis, vel invitis ac reclamantibus Principibus sæcularibus; aut etiam aliquando ex indulgentia concedentibus. Ergo non jure proprio, sed temerè id ab ipsa fuit attentatum.

Resp. neg. ant. Quàm falsa & putida sint hæc figmenta, patet 1mo. Quia nullus appellari potest Princeps Christianus, qui de hac prætensa usurpatione conquestus sit; neque consignari potest tempus, quo primùm inceperit hæc usurpatio, neque via seu medium, per quod potuerit Ecclesia pacificè ad eam pervenire. Quod enim beneficiô falsarum Decretalium hanc auctoritatem sibi asseruerit Ecclesia, fabula est impudentissima: Enimverò longè ante nonum Sæculum, quò primùm vulgatæ sunt falsæ illæ Summorum Pontificum Decretales Epistolæ, Ecclesia leges statuerat Matrimonium in certis circumstantiis irritantes, quod declarant testimonia, quæ in nostra Conclusione adduximus. 2do. Non potest assignari Princeps sæcularis, qui omnium primus privilegium istud Ecclesiæ indulserit, ut leges ferret circa celebrationem Sacramenti Matrimonii. Et verò, quodnam e. g. privilegium aut gratiam expectare aut consequi poterant Patres Concilii Eliberitani, & Synodi Neocæsariensis à Principibus Ethnicis, qui Ecclesiam persequebantur. Equidem Principes Christiani edictis suis sæpissimè confirmant, protegunt, executioni demandari jubent leges Ecclesiæ; at potestatem illam & jus condendi leges, quæ spectant Sacramentorum administrationem, non à Principibus, sed à Christo accepit Ecclesia. Principes, inquam, sæpissimè laudant & commendant Canonicas circa Matrimonia leges; ad eas sua Edicta conformant & accommodant; ad ipsam etiam Ecclesiæ auctoritatem confugiunt, si fortè dispensationem ab aliquo, quo detinentur, impedimento velint obtinere &c. supponunt igitur, proprio ac nativo jure Ecclesiam leges ferre circa Matrimonium &c.

Ob. 3tio. Matrimonium est contractus 214 civilis, aut saltem illum supponit tanquam fundamentum, cui innititur. Atqui ad solos Principes sæculares pertinet statuere de contractu civili. Ergo.

Resp. Dist. maj. Matrimonium est contractus civilis simul & verum Sacramentum, conc. Est contractus purè civilis, politicus ac temporalis, neg. maj. Ecclesia Matrimonium non attingit, nisi quatenus est Sacramentum resque spiritualis, ac proindè soli suæ auctoritati relictum &c.

Ob. 4to. Deus ipse in Libro Levitici 215 declaravit cum quibus personis iniri possit conjugium. Ergo hoc non reliquit potestati Ecclesiæ.

Resp. neg. cons. Neque enim omnes gradus consanguinitatis in Levitico enumerati modò observantur, ut sint impedimen-

dimenta Matrimonium dirimentia. Et certè Apostolus novum impedimentum, scilicet cultûs disparitatem, induxit. Etsi igitur aliqua sint impedimenta juris divini, quale est *Ligamen*; & alia juris naturalis, qualis est *defectus ætatis*, *impotentia perpetua*, *&c.* Aliqua tamen jure Ecclesiastico positivo induci posse nunquam prohibuit Christus: è contrà permisit, & ipse formam & exemplum dedit.

216 Ob. 5to. Ecclesia suis legibus non potest irritare contractum, quem natura ipsa sufficientem ac ratum habet. Atqui per impedimenta Matrimonium dirimentia irritatur contractus, quem natura ipsa sufficientem ac ratum habet. Ergo talia impedimenta Ecclesia statuere non potest &c.

Resp. 1mo. Retorq. arg. Potestas sæcularis non potest irritare contractum, quem natura ipsa sufficientem ac ratum habet. Atqui per impedimenta &c. Ergo potestas sæcularis talia impedimenta statuere non potest; contrà quàm tamen velint Novatores.

Resp. 2do. Neg. maj. Lex enim Ecclesiastica, sicut & civilis, naturalem legem perficit; atque dictat ipse naturæ sensus, ut legibus Superiorum, quos Deus cæteris præposuit obtemperetur.

§. II.

217 *De Dispensatione ab impedimentis Matrimonii.*

Huc revocanda sunt ea, quæ Tom. 3. Theol. nost. Tract. 2. de legibus. part. 2. cap. 1. Sect. 5. §. 2. de Dispensatione disseruimus.

Novatores sicut Ecclesiæ potestatem denegant constituendi impedimenta Matrimonii, sic & auctoritatem in iis dispensandi ab ea removent. Contra quos sit

CONCLUSIO. 218

Ecclesia semper habuit, & etiamnum adhuc retinet potestatem dispensandi in impedimentis Matrimonii.

Prob. 1mo. Ex Traditione, qua habetur Ecclesiam ipsam semper agnovisse se circa quædam impedimenta Matrimonii cum Fidelibus posse dispensare. Sic descíscente Sæculo 6to. Gregorius Magnus facultatem indulsit Anglorum Genti recenter ad fidem conversæ, ut posset cum consanguineis nubere in tertio gradu; intra quem tamen irrita tunc erant Matrimonia. Verba S. Pontificis paragraphô præcedenti retulimus. Gregorius II. ineunte Sæculo octavo, nimirùm circa annum 721. fecit facultatem Germanis, ut nuberent post quartum consanguinitatis gradum; prout cit. paragraphô præcedenti memoravimus. Petrus Abbas Cellensis Sæculi 12mi. Scriptor lib. 7. Epist. 3. ad quemdam Cardinalem, *Pensset*, inquit, *vestra discretio, ut si quid de gradu consanguinitatis obstat, pro bono pacis & pro tantorum malorum recompensatione, quæcumque fieri potest à Domino Papa, non recusetur dispensatio.* Rogat nempè, ut Summus Pontifex dispensare velit circa impedimentum consanguinitatis, quo fortè illi, quos commendat, ab ineundo Matrimonio arceantur. Adde hîc etiam exempla illa, quæ paragraphô præcedenti attulimus de Christianis Principibus, qui pro obtinenda ab impedimentis Matrimonii dispensatione apud Ecclesiam supplicârunt. Et certè post Sæculum 12mum frequentes visæ sunt dispensationes in impedimentis dirimentibus concessæ ab Ecclesia. Eas non plebeji modò, sed & Principes, à sancta Sede postulârunt, postularuntque his etiam temporibus, prout paragraphô præcedenti observavimus.

Prob. 2do. Ex Synodo Tridentina, quæ Sess. 24. de Matrimon. Can. 3. sic 219
definit:

definit: *Si quis dixerit eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leviticô exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis dispensare . . . anathema sit.*

220 Prob. 3tio. Ratione manifesta. Quia, ut paragraphô præcedenti ostensum, Ecclesia auctoritatem habet constituendi impedimenta Matrimonii. Ergo etiam habet auctoritatem, in iis, quæ constituit, dispensandi; qui enim legem ferendi habet potestatem, utique etiam potest in ea dispensare.

221 Stabilita Ecclesiæ potestate dispensandi in impedimentis; quæritur modò, Quis in Ecclesia eam habeat auctoritatem?

Ex communi & longiori tempore firmato usu solius est Summi Pontificis dispensare in impedimentis Matrimonium dirimentibus jure humano inductis, ubi præsertim agitur de Matrimonio contrahendo. Dicitur 1mo. *Ex communi & longiori tempore firmato usu.* Quia nullum Concilium Generale, nullumve Decretum Sedis Apostolicæ ubique receptum jus illud Summo Pontifici reservavit; qui tamen usus & consuetudo vim legis obtinet; sicut enim consuetudine lex abrogatur, sic etiam consuetudine inducitur. Id agnoscunt Concilia Turonense c. 9. annô 1583. & Tolosanum c. 8. annô 1590. & Ritualia communiter. Dicitur 2do. *In impedimentis Matrimonium dirimentibus.* Quia in impedimentis simplicibus, quibus scilicet Matrimonium non dirimitur, dispensare possunt locorum Ordinarii, exceptis votis simplicibus & absolutis perpetuæ castitatis & Religionis.

Dicitur 3tio. *In impedimentis jure humano inductis;* quia in iis, quæ sunt juris naturalis aut divini, nulla potest esse dispensatio, ut alibi observavimus.

Dicitur 4to. *Ubi præsertim agitur de Matrimonio contrahendo;* quia quando Matrimonium est bona fide contractum cum impedimento occulto, nec sine scandalo aut magno incontinentiæ periculo contrahentes recurrere possunt ad Summum Pontificem; dispensandi facultatem penès Episcopum esse docent communiter Theologi & Canonistæ, Nosque jam stabilivimus in Tract. de Leg. loc. cit. Ratio est, quia non est verisimile, quòd Papa in illis angustiis sibi dispensationem, de qua agitur, reservare voluerit.

Quænam autem conditiones requirantur, ut obtenta in impedimentis dirimentibus dispensatio valeat, facilè colligi potest ex iis, quæ in memorato Tractatu de Legibus diximus. Igitur conformiter ad ea, quæ ibidem statuimus, nulla est dispensatio 1mo. Cùm preces veritate non nituntur, sive ubi concessa fuit propter narrationem facti falsi & suppositi, sive illa falsa narratio cognita sit nupturis, sive eos latuerit. 2do. Cùm in supplici libello exposita non fuerunt omnia, quæ debebant exponi, v. g. cùm expressus non fuit gradus consanguinitatis, affinitatis, aut honestatis publicæ. Cùm etiam expressum non fuit peccatum incestûs commissum ad hunc finem, ut faciliùs obtineretur dispensatio. Cùm non fuit dictum partes scienter contraxisse Matrimonium in gradibus prohibitis, aut cum aliis impedimentis dirimentibus. 222

Quando autem, & quibus de causis circa Matrimonii impedimenta dispensatio sit concedenda. 1mo. declarat Concilium Tridentinum Seff. 24. de Reform. Matrim. cap. 5. his verbis: *In contrahendis Matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ad publicam causam.* 223

2do.

2do. prout iterum idem Concilium cit. cap. 5. his aliis verbis declarat: *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis; non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſit.* 3tio. Concedenda eſt diſpenſatio, cùm urget neceſſitas, aut poſtulat ſpiritualis utilitas, juxta præclaram hanc S. Bernardi ſententiam lib. 3. de Conſid. ad Eugenium Papam, cap. 4. *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas, dico, communis non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Neceſſitas verò & utilitas, de quibus S. Bernardus, in cauſis Matrimonialibus reducuntur 1mo. ad magnæ litis extinctionem. 2do. Ad anguſtiam loci, quæ poteſt oriri vel ex eo, quod major civium pars ſint conſanguinei vel affines poſtulantis diſpenſationem; vel ex eo, quòd quis compartem non inveniat, quæ ejusdem aut ſimilis ſtatûs aut conditionis ſit: ſumma nimirum conditionis diſparitas domeſticæ paci ac nuptorum ſaluti ut plurimùm adverſatur. Addi etiam poſſunt, pacificatio diſcordiarum ſive præſentium, ſive earum, quæ prævidentur futuræ; paupertas cognatæ affinisve, cui vir dives vult nubendo dotem conſtituere; devitatio periculi mortis; ſcandalum grave præcavendum, aut peccatum vitandum; hæ enim rationes eſſe videntur, quæ petitionem & conceſſionem diſpenſationis licitam efficiunt. Vide dicta cit. Tract. de Leg. &c.

Solvuntur Objectiones 224

Contra Concluſionem.

Ob. 1mo. Prioribus Sæculis Principes circa Matrimonii impedimenta diſpenſabant. Leg. *Si Nuptiæ* latâ ab Honorio Imp. Ravennæ annô 409. exponunt Imperatores Theodoſius & Honorius, quando, quibus, & qua ratione velint in Matrimoniis prohibitis diſpenſare. Item Caſſiodorus lib. 7. variarum cap. 6. num. 40. & 47. refert duas Theodorici Regis diſpenſationum formulas. Priore Theodoricus ratum efficit conjugium nobilis cujusdam, qui contra legum Statuta nupſerat cum muliere plebeja. Altera facultatem facit viro, ut nuptias ineat cum conſanguinea in ſecundo gradu. Ergo id, ſaltem olim, non potuit Eccleſia.

Reſp. 1mo. Diſt. ant. Principes circa Matrimonii impedimenta diſpenſabant; quantùm ad effectus illius civiles, conc. quantùm Sacramentum eſt; neg. ant. Solutio patet ex dictis.

Reſp. 2do. aliter diſt. ant. Principes &c. & hoc fecerunt jure ſibi proprio & debito, neg. ant. Per uſurpationem, conc. ant. Solutio iterum patet ex dictis alibi.

Ob. 2do. Joannes Mariana Hiſpanorum Hiſtoricus, lib. 10. cap. 8. loquens 225
de inceſtis nuptiis Alphonſi Caſtellæ Regis cum Ulraca ſua conſanguinea, hæc ſcribit: *Nondum moribus receptum erat* (Sæculô 11mô) *ut Pontificum Romanorum veniâ, lege cognationis ſoluta, conjugia inter cognatos coirent.* Ergo id quondam non poterant Romani Pontifices quod factitant modò.

Reſp. 1mo. neg. conſ. Falſum quippe eſt, quod hîc ait Mariana; prout patet ex diſpenſationibus, quas tùm Gregorius

Magnus, tùm Gregorius Papa II. Anglis & Germanis concessêre.

Resp. 2do. Datô ant. neg. cons. Ratio est; quia prioribus Sæculis nusquam, aut saltem rarissimè dispensati fuerunt Fideles circa alia, quæ vetabant Canones, v. g. circa Clericorum irregularitates; & tamen certum est, Ecclesiam tunc potuisse in iis dispensare; ergo & in Matrimonio. Et certè quàm difficilis etiam adhuc Sæculô 14tô fuerit Ecclesia in concedenda dispensatione circa Matrimonii impedimenta patet ex exemplo Eduardi Anglorum Regis, quod paragraphô præcedenti retulimus.

226 SECTIO II.

De impedimentis Matrimonii simplicibus seu simpliciter prohibentibus, nec dirimentibus Matrimonium.

Impedimenta simplicia seu impedientia tantùm Matrimonii celebrationem, nec illud dirimentia olim Jure veteri duodecim numerabantur, quæ jam ad quinque solùm revocata & restricta sunt his expressa versibus:

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum:
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

227 Per *Ecclesia vetitum* seu interdictum, intelligimus hîc prohibitionem, qua Ecclesia alicui nuptias prohibet ob temporalem aliquam causam; scilicet, vel ad sedandum scandalum, vel ad discutiendam veritatem circa aliquod impedimentum, vel ne oriantur lites, dissensiones, rixæ. Ecclesiæ verò nomine hîc intelliguntur Superiores Ecclesiastici, Summus Pontifex, Episcopi, Parochi.

Duplex potest esse interdictum hujusmodi: alterum simpliciter prohibens sine ulla irritante clausula; alterum verò cum clausula irritante. Prius illicitum quidem facit, sed non invalidum Matrimonium. Ita declaravit Alexander III. lib. 4. Decretal. Cap. *Licet.* Tit. 16. Alterum habetur ex Cap. *Ad dissolvendum.* Tit. *De desponsatione impub.* quod est Innocentii III. & ex Cap. *Tua Fraternitas.* Tit. *De sponsa duorum.* quod est Alexandri III. Ubi uterque S. Pontifex irritat Matrimonium, quod contra interdictum Ecclesiæ fuerat celebratum, occurrere volentes nonnullorum tunc temporis abusui, qui, lite adhuc pendente super validitate Matrimonii, ad alia vota transibant. Ad prius interdictum se extendit potestas Parochi, secùs ad posterius.

Per *tempus feriatum*, intelligitur im- 228
pedimentum temporis, quo non licet nuptias celebrare.

Circa quod non una olim fuit disciplina. Concilium Laodicenum Can. 52. *Non oportet*, inquit, *in Quadragesima nuptias vel natalitia celebrare.* Et Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 48. idem confirmat: *Nec uxorem ducere*, inquit, *nec convivia facere quadragesimali tempore convenire posse ullatenùs arbitramur.* Sed Concilium Ilerdense, quod habitum est sub Symmacho Papa, ut creditur, sextô ineunte Sæculô, alia figit tempora his verbis: *Non oportet à Septuagesima usque ad octavas Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam, nuptias celebrare.* Similia habet Concilium Salegunstadiense (*c*) seu Moguntinum annô 1022. sub Benedicto VIII. *De legitimis conju-*

(*c*) *Seligenstatt.*

conjugiis, inquit Capitulô 3. *ita visum est, quòd nullus Christianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuagesima usque in octavas Paschæ, nec in suprà notatis quatuordecim diebus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus.* Sed Concilium Tridentinum Seff. 24. de Reform. Matrim. cap. 10. decreta illa ita restrinxit in hunc modum: *Ab Adventu Domini nostri JEsu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarũ prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit; in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut eâ, quâ decet modestiâ & honestate fiant, curabunt; Sancta enim res est Matrimonium, & sanctè tractandum.*

Meminit hîc Concilium antiquarum prohibitionum, ut ostendat se novos mores non inducere, carpatque Novatorum temeritatem, qua prohibitiones illas vocant superstitionem tyrannicam, & ab Ethnicorum superstitione prófectam. Unde meritò Concilium Can. 11. eos anathemate percussit his verbis: *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum, certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.*

Occasione istarum vocum, *solemnium nuptiarum*, quibus cit. c. 10. Concilium utitur, & quibus vetat solemnes nuptias feriatis temporibus celebrari, nonnulli Theologi inferunt non ipsas nuptias hoc decreto prohiberi; sed earum dumtaxat solemnitatem, pompam scilicet & apparatum, quo sponsi ad Ecclesiam ducuntur. Huic opinioni alii obnuntiant, ajuntque, præter hanc accidentalem solemnitatem, quæ ad ritum religiosum Matrimonii nullatenus pertinet, nec ab Ecclesia fuit invecta, aliam esse solemnitatem à Concilio præceptam, nempe Parochi & duorum testium vel etiam trium præsentiam &c. quam solemnitatem si à nuptiis detraxeris, non tantùm solemnes non sunt, sed ne quidem veræ nuptiæ Jure per laudatum Concilium inducto. Adde huic solemnitati benedictionem Sacerdotalem, quæ omitti non debet. Ergo, inquiunt, dum Concilium prohibuit nuptias solemniter celebrari certis temporibus, haud dubiè prohibuit eas omninò celebrari. Ecclesia autem prohibuit certis temporibus celebrari nuptias ob sanctitatem tùm Sacramenti, tùm aliquorum dierum, ad quos ritè & sanctè traducendos, vel luctu, vel jejuniis & orationibus suos exercet ac præparat Ecclesia Fideles: neque enim congruum videtur, ut iis diebus, quibus Fideles debent se ipsos jejuniis castigare & affligere, nuptias læti celebrent.

Per *sponsalia* intelligitur impedimentum quod nascitur ex sponsalibus cum aliqua initis & nondum dissolutis. V. g. Petrus, qui desponsatus est, hoc est fidem dedit Mariæ futuri Matrimonii, non potest cum alia Matrimonium contrahere, nisi priùs Ecclesia pronuntiaverit circa obligationem priorum sponsalium. Cap. *Ex litteris.* Tit. *De sponsalibus.* & Ratio est, quia sic fides in sponsalibus data frangeretur, quod non licet. 229

Per *votum*, hîc intelligitur votum simplex castitatis, vel ingrediendi Religionem; quod quidem impedit Matrimonium, sed non dirimit contractum. Cap. *Meminimus.* Cap. *Veniens.* Tit. *Qui Clerici vel voventes.* Et S. Augustinus culpæ arguit Comitem Bonifacium, quòd post votum castitatis uxorem duxisset, Ep. 120. aliàs 70. Ratio est aperta, quia scilicet fides in voto data Deo sic frangeretur. 230

Votum autem illud ſimplex non dirimit contractum Matrimonii, ſicut votum ſolemne: quia in iſto non tantùm promiſſio, ſed actualis intervenit traditio; in alio verò eſt ſimplex promiſſio. ut ait S. Thomas in 4. diſt. 38. quæſt. 1. a. 2. quæſtiunc. 2.

231 Per *Catechismum* intelligunt communiter Doctores inſtructionem fidei, cum nempe baptizandus ab aliquo inſtruitur ſeu informatur fidei noſtræ documentis. Antiquis enim & prioribus Eccleſiæ Sæculis Catechumeni, antequam ſacrô fontis lavacrô abluerentur & baptizarentur, viris probatis credebantur, qui illos doctrinâ fidei, & morum Chriſtianorum imbuerent; hacque inſtitutione affinitatem cum ipſis contrahebant ſpiritualem, adeoque impedimentum ſaltem prohibens.

Verùm impedimentum iſtud poſt Concilium Tridentinum non eſt ampliùs in uſu (*d*): affinitatem enim ſpiritualem ad certos fines contraxit, nempe cùm quis alium baptizat vel confirmat, aut eum ſuſcipit ab his Sacramentis, nulla injecta mentione Cathechismi; prout ſequenti Sectione dicemus. Ergo nunc quatuor tantùm vigent impedimenta ſimplicia hoc verſu comprehenſa,

Eccleſiæ vetitum, votum, ſponſalia, tempus.

232 SECTIO III.

De numero impedimentorum Matrimonium dirimentium.

Impedimenta Matrimonium dirimentia ante Concilium Tridentinum tredecim tantùm numerabantur, poſt illud verò quindecim omninò recenſentur his verſibus expreſſa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Porro ex iſtis impedimentis dirimentibus quædam ſunt juris naturalis, quæ hoc verſu indicantur:

Mens ægra, & conjux, vis, error, ineptia, ſanguis.

Alia verò juris ſunt duntaxat Eccleſiaſtici, quæ his verſibus continentur, quibus addi debet *conditio; Conditio* quippe ſeu conditionis impedimentum jure Eccleſiaſtico dumtaxat conſtitutum eſt.

Ordo ſacer, votum, necnon ſponſalia firma,
Atque duplex crimen, quadruplex cognatio, raptus,
Si Baptisma deeſt, ætas, teſtes, Parochusve.

Ab his impedimentis ante Concilium Tridentinum excludebantur *Clandeſtina Matrimonia*, & *Cultûs diſparitas*, hæc quippe non ſemper fuit impedimentum dirimens. Imò non pauci Theologi contendunt, votum ſolemne caſtitatis non ſemper & ubique fuiſſe impedimentum dirimens Matrimonium ſubſequens; ea ergo cæteris addidit laudatum Concilium, atque univerſim omnibus Fidelibus præſcripſit. De quindecim igitur his impedimentis ſingillatim & diſtinctis paragraphis præſenti Sectione nobis diſſerendum eſt.

§. I.

(*d*) Certum tamen eſt impedimentum iſtud olim viguiſſe. Extat eâ de re Conſtitutio Bonifacii VIII. in 6to tit. *De cognatione ſpirituali.* Ubi *Per Catechismum*, inquit, *qui præcedit Baptismum, contrahendum Matrimonium impeditur.*

§. I.

233 *De impedimento Erroris.*

Error circa Matrimonium generatim duplex esse potest; personæ scilicet, & qualitatis. Prior est, quo circa personam erratur, atque una persona pro alia supponitur, v. g. si putetur esse Petrus qui est Paulus, Rachel, quæ est Lia vel è contrà; non quidem, quòd error sit in nomine, sed in homine sic nominato.

Error qualitatis & circa accidentia dumtaxat personæ, alius est *conditionis;* ut si liber putetur qui servus est; vel contrà. De quo suo loco dicemus. Alius, est, ut vocant, *qualitatis*, qui nempe circa mores, nobilitatem & ignobilitatem versatur; ut si putetur sobrius, qui ebriosus; virgo, quæ corrupta; nobilis, qui ignobilis; vel contrà. Alius denique *fortunæ*, quo circa bona externa seu possessiones erratur: ut si dives putetur, qui pauper est, & contrà.

Observ. cum S. Thoma in Supplem. q. 51. a. 2. errorem qualitatis aut fortunæ, aliquando redundare in errorem personæ, aliquando non. Tunc error qualitatis aut fortunæ redundat in errorem personæ, quando consensus errantis directè fertur in personam illam, cui talis qualitas adhæret, & tamen offertur ei persona illa, cui talis qualitas non inest: ut si fertur in personam, quæ sit vel primogenita, vel filius Regis; & offertur ei is, qui tales qualitates non habet. Quando autem directè in personam præsentem, cum eo tamen errore, quod existimetur filius Regis, fertur consensus, solùm est error qualitatis.

234 Error circa divitias & qualitates personæ etiam in ordine ad consensum contrahentis duobus modis considerari potest: 1mo. Concomitanter, ita ut de illis qualitatibus nec cogitet, nec eas exigat, ut in Matrimonium consentiat, 2do. Antecedenter, ita ut animus contrahentis in eas qualitates feratur, tanquam in conditionem, ex qua pendere vult suum in personam consensum. His præsuppositis

Certum est 1mo. Errorem circa personam invalidum reddere Matrimonium. 235 Ratio est, quia error, qui liberum consensum destruit, & ipsum quoque conjugium destruit, quod illo consensu perficitur. Atqui error circa personam est hujusmodi: qui enim vult contrahere v. g. cum Maria, non vult contrahere cum Margaritha, quæ illi, locô Mariæ, substituitur. Ergo jure ipso naturali nullum est ac irritum Matrimonium illud. In hanc doctrinam consentiunt Canones apud Gratianum causâ 29. q. 1.

Duo hìc observanda sunt. 1mo. Nil referre an error personæ antecedens sit, vel concomitans: undè si quis Mariam duceret existimans se ducere Margaritham, licèt ita foret animô affectus, ut Mariam animô libentiori duceret, non valeret Matrimonium, quia tunc deesset interior consensus in Mariam: aliud enim est dicere, *Cònsentio in talem determinatè personam;* & aliud, *libentiùs consentirem in talem personam.* 2do. Cùm error personæ nulla possit dispensatione tolli, adeoque novo consensu sit opus, hunc aliquando publicè, aliquando privatim renovari debere: publicè quidem coram Parocho & testibus, si error in foro exteriori probari possit; privatim verò si error fuerit occultus, nec possit probari exteriùs.

Certùm est 2do. Errorem circa divitias & qualitates nunquam irritare Matrimonium, nisi redundet in errorem personæ. Ratio est; quia non obstante errore circa divitias & qualitates adhuc manet consensus in personam præsentem: undè quando quis contrahit cum persona paupere, vel quæ pravis est moribus, 236

quæ putabatur dives & honesta, validum tamen est Matrimonium.

Diximus, *Nisi redundet in errorem personæ:* quando enim error qualitatis aut fortunæ redundat in errorem personæ, tunc, omnibus fatentibus, dirimit Matrimonium, non quia error est qualitatis aut fortunæ, sed quia est error personæ. Ut suprà adnotavimus.

Nec valet si dicatur, quòd error tollat voluntarium, consequenter & consensum. Ergo & Matrimonium dirimat si sit circa qualitates perindè ac si sit circa personam. Nam error qualitatis & fortunæ facit quidem involuntarium circa id, quod Matrimonio est per accidens; sed tamen relinquit voluntarium circa contractum secundùm ea, quæ ipsi sunt essentialia, consideratum: error autem circa personam facit involuntarium circa id, quod est de natura contractûs, & propterea tollit consensum ipsi contractui ineundo necessarium. Refer huc ea quæ Tom. 3. Tract. 5. De Justitia & Jure c. 3. Sect. 2. de Contractibus disseruimus.

§. II.

237 *De impedimento Conditionis.*

Nomine conditionis hîc intelligitur status servitutis, qua quis ita est in potestate Domini, ut sit ejus possessio, & res ipsi propria, de qua disponere possit, & eam pro lubitu vendere, locare, permutare, non tamen occidere; nam ex alibi dictis solus Deus habet dominium directum in vitam hominis.

1mo. Error conditionis servilis, cùm ignoratur, dirimit Matrimonium. Ita Innocentius III. cap. 4. *Ad nostram* lib. 4. Decret. tit. 9. *De conjugio servorum.* Et ratio est; quia error conditionis servilis ipsam conjugalis contractûs afficit substantiam, cùm servus sui corporis potestatem non habeat; adeoque illud alteri tradere non possit.

2do. Hic error non dirimit Matrimonium, si non ignoretur. Ita Alexander III. eod. tit. c. 2. *Proposuit.*

3tio. Neque dirimit, saltem à duodecimo Sæculo, si ambæ personæ servituti obnoxiæ inter se contrahant, etiam invitis Dominis. Cap. 1. *Dignum est* eod. tit.

Dicimus *saltem à duodecimo Sæculo;* quia priùs irrita erant Matrimonia inter servos inita absque consensu Dominorum; prout patet ex S. Basilio Epist. ad Amphilochium Can. 40. ubi, *Eorum*, ait, *qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent.* Et ex Conciliis Vermeriensi Sæculô octavô, necnon Cabillonensi II. annô 813.

Servi item pœnæ, ut ajunt, id est, qui ex sententia Judicis pœnæ mancipati sunt, v. g. ad triremes, vel perpetuum exilium, aut etiam ad mortem, quam fugâ declinaverunt, possunt validè Matrimonium contrahere, nec illorum conditio illud dirimit. Ratio est, quia impedimentum conditionis Matrimonium dirimens est juris positivi Ecclesiastici. Atqui nulla lex Ecclesiastica irritat hujusmodi hominum Matrimonia.

Impedimentum autem istud jure Ecclesiastico duntaxat, non naturali esse constitutum ex eo patet; quia si jure naturali constitutum esset, ne quidem cognita servitute liceret servis, Domino renitente, Matrimoniô conjungi. Optimis autem rationibus ducta est Ecclesia in hoc statuendo impedimento: intellexit nimirùm servitutem plurimùm obstare prolis educationi, securitati, ac dignitati & reverentiæ Sacramenti.

§. III.

§. III.

238 *De impedimento Voti & Ordinis sacri.*

Utrumque istud impedimentum, propter eam, quam habent, affinitatem, hîc conjungimus. De voto solemni hîc agimus, seu illo, quod fit palam & publicè coram Ecclesia, Superiore illud nomine totius Ecclesiæ acceptante; tale est votum, quod emittitur in Professione Religiosa, vel in susceptione Ordinis sacri. De utroque quæritur, an irritum & invalidum reddat Matrimonium subsequens.

Igitur dicendum, quòd Matrimonium post solenne continentiæ votum in Religione approbata, vel post susceptionem Majorum Ordinum nullum & irritum sit. Patet ex Concilio II. Lateranensi sub Innocentio II. annô 1139. cap. 7. & 8. ubi id definit. Idem posteà confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 24. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.*

239 Lis est inter Theologos an solemne Religionis & castitatis votum semper fuerit impedimentum dirimens Matrimonium. Qui putant jure naturali divino irritari Matrimonium per solemne votum castitatis in Religione approbata, ii consequenter volunt voto solemni annexum semper fuisse illud impedimentum. Qui ex altera parte sentiunt non jure naturali divino sed positivo dumtaxat Ecclesiastico impedimentum illud inductum fuisse, consequenter etiam docent, non ubique nec semper illud obtinuisse; quamquam differant in figenda prima Epocha hujus impedimenti. Sunt qui Sæculô 6tô, tempore S. Gregorii Magni; sunt qui initiô Sæculi duodecimi in Concilio Lateranensi II. generalem hanc disciplinæ legem statutam fuisse arbitrantur. Opinionem suam probare conantur ex S. Augustino lib. de bono viduitatis c. 10. Ex S. Leone Epist. 85. ad Rusticum Narbonensem Ex Concilio Chalcedonensi Can. 16. Ex Innocentio I. Epist. ad Victricium Rothomagensem. Ex ipso denique S. Bernardo Epist. 76. qui SS. Patres declarant Matrimonium, post votum castitatis emissum, initum esse validum. Sed omisso, quòd S. Basilius Ep. ad Amphilochium Can. 6. fuerit in opposita sententia, adductos SS. Patres quis interpretari posset de simplici voto castitatis locutos fuisse.

Verùm quidquid sit, certum videtur à Sæculo 6to fuisse legem universalem, per votum solemne dirimi Matrimonia postmodùm contracta, ut patet ex S. Gregorio lib. 7. Ep. 9. Ex Concilio Triburiensi, cap. 23. annô 895. Ex Concilio Troslejano cap. 8. annô 909. & Ex Cap. *Meminimus*, quod est Alexandri III. Tit. *Qui Clerici vel voventes.*

§. IV.

De Impedimento Cognationis Carnalis. 240

Cognatio triplex distinguitur, *Carnalis*, seu *Naturalis*, quæ *consanguinitas* dicitur, quasi sanguinis unitas; *Spiritualis*, quæ vocatur *compaternitas*; & *Legalis*, quæ *adoptio* dicitur, de quibus seorsim est agendum.

De cognatione naturali seu carnali. 241

Circa eam tria hîc nobis sunt expendenda. 1mo. Quid sit. 2do. Quomodò illius gradus distinguantur. 3tio. An & in quo gradu cognatio naturalis seu consanguinitas sit impedimentum dirimens Matrimonium.

Definitur igitur Consanguinitas, quòd sit *Vinculum personarum, quarum una vel ab alia, vel ambæ ab eadem, tanquam à com-*

à communi ac propinquo stipite, per carnalem generationem descendunt.

Dicitur 1mo. *Vinculum*, id est, arctior tùm corporum tùm animorum ob unitatem sanguinis conjunctio. 2do. *Personarum, quarum una descendit ab alia.* ut filius à Patre. 3tio. *Vel ambæ ab eadem persona descendunt*, sicut frater & soror à patre; consobrini germani ab avo. 4to. *Tanquam à communi stipite:* ductâ metaphorâ ab arboris trunco, à quo multi rami defluunt ac pendent. Ita filii à patre. 5to. *A propinquo stipite:* quia si remotior sit, & ultra quartum gradum, habebit potiùs rationem radicis, quàm trunci; & qui ab eodem multùm remoto stipite descendunt, non dicuntur consanguinei ea consanguinitate, quæ Matrimonium impediat vel dirimat. 6to. *Per carnalem generationem:* undè infertur, eos qui nascuntur per generationem non solùm licitam, sed etiam illicitam, verè esse consanguineos illis, qui ab eodem stipite sive licitè sive illicitè orti sunt.

242 Consanguinitas sic definita distinguitur à Theologis per lineas & gradus. Per lineam intelligunt seriem seu ordinem personarum consanguinearum ab eodem stipite descendentium: per gradum verò intelligunt intervallum seu mensuram distantiæ consanguineorum inter se & à communi stipite: v. g. filius distat à patre uno gradu, ab avo duobus, &c.

Porro cùm personæ fiant consanguineæ ex duplici capite. 1mo. Quia una descendit ab alia, v. g. filius à patre. 2do. Quia licèt una non descendat ab alia, ambæ tamen descendunt ab eodem stipite, v. g. duo fratres ab eodem patre, duo consobrini germani ab eodem avo; ideò duplex distinguitur linea, scilicet directa, & indirecta seu collateralis.

Linea directa personas continet, quarum una descendit ab altera, ut avus, pater, & filius.

Indirecta seu collateralis & transversalis, est series personarum, quarum una non descendit ab altera, sed quæ solùm descendunt ab eodem stipite. V. g. Frater & soror, consobrinus & consobrina: ii quippe à se invicem non descendunt, nec unus alium genuit; sed descendunt à communi stipite, ab eodem patre vel avo.

Tres statuuntur regulæ in Jure Canonico pro computandis gradibus consanguinitatis, quarum prima pro linea recta, & aliæ duæ pro linea collaterali statuuntur. 243

1ma. Regula. In linea recta ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot sunt generationes personarum, quarum una descendit ab alia; vel tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto ipso stipite: v. g. Pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, sunt quinque personæ, & quatuor tantùm sunt generationes; & dempto capite, nempè Patre, restant tantùm quatuor personæ: undè filius cum patre est in primo gradu, nepos cum avo in secundo gradu, pronepos cum proavo in tertio, abnepos cum abavo in quarto.

Secunda Regula & prima pro linea 244 collaterali hæc est; In linea collaterali, si personæ distant æqualiter à communi stipite, quo gradu distant ab illo communi stipite, eodem distant inter se: v. g. duo fratres uno tantùm gradu distant, quia ambo æqualiter, & uno tantùm gradu distant à comuni stipite, scilicet à patre, in quo conjunguntur. Item filii duorum fratrum distant inter se duobus gradibus, quia æqualiter duobus gradibus distant à communi stipite, scilicet avo.

Secunda Regula pro linea collaterali 245 hæc est. In linea collaterali, personæ inæ-

inæqualiter distantes à communi stipite, eo gradu distant inter se, quo illarum remotior distat à communi & proximo stipite: v. g. frater est in secundo gradu cum filia fratris sui; quia etsi ipse frater tantùm uno gradu distet à communi stipite, scilicet patre, filia tamen fratris distat duobus gradibus ab eodem stipite. Observa, in petitione dispensationis exprimendam esse inæqualitatem graduum, alioquin dispensatio subreptitia foret ac nulla: ut verò cautiùs in præsenti materia, quæ magni est momenti, procedatur, optimum consilium est, ut primùm in charta scribatur stipes communis seu persona, à qua descendunt duæ illæ personæ, de quibus agitur; deindè scribantur hinc & inde generationes, & nomina personarum usque ad illas, quæ dispensationem postulant. Sic facilè & tutò fiet computatio ex regulis mox dictis.

246 Jus civile, quamvis quoad supputationem graduum in linea recta cum Jure Canonico conveniat, tamen in linea collaterali discrepat, quòd gradus numeret per personas, totque statuat, quot sunt personæ dempto stipite; Jus verò Canonicum attendat ad distantiam personarum à stipite. Igitur secundùm Jus Civile duo fratres sunt quidem in primo gradu respectivè ad communem parentem; sed inter se sunt in secundo gradu, quia duæ sunt personæ, quarum quælibet gradum constituit. Similiter filii duorum fratrum distant in quarto gradu, quia quilibet distat à stipite in secundo, & quatuor efficiunt personas, eo dempto stipite. Modum hunc computandi gradus juxta JusCivile sequuntur Græci, quos redarguit Innocentius IV. Ratio autem Canonicæ supputationis optima est; quia, cùm personæ in ordine transverso non conjungantur nisi ratione stipitis, à quo procedunt, non possunt inter se magis aut minùs distare, quàm distent à stipite: undè necessariò fit, ut eo gradu conjungantur inter se vel distent, quo stipiti conjunguntur, vel ab eo distant. His positis modò expendendum est, quæ & quomodo Consanguinitas sive in linea recta sive in collaterali sit impedimentum dirimens Matrimonium.

Primò igitur. Omnis consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ est & semper fuit impedimentum dirimens Matrimoniū. Habetur ex Nicolao I. ad Consulta Bulgarorum cap. 39. ubi, *Inter personas*, inquit, *quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam; vel avum & neptem, & usque in infinitum.* Ratio autem est; quia hujusmodi Matrimonia directè adversantur pudori, reverentiæ, ac obedientiæ filiorum in parentes. Cùm enim conjuges sint una caro, atque in multis officiis pares, si supponantur filii Matrimonia contraxisse cum parentibus, necesse est filios minùs subjectos esse parentibus post Matrimonium, quàm anteà fuerant. Si v. g. mater vel avia filio nupserit, necesse est matrem vel aviam filio subjici: oportet enim uxores subditas esse viris suis. Atqui hoc absurdum est, & naturæ repugnat. 247

Secundò. Consanguinitas in linea collaterali Matrimonium jure naturali dirimit in primo gradu. Enimverò Matrimonia inter fratres & sorores naturæ rationali repugnant ita, ut Gentiles ipsi solius naturæ ductu existimaverint societatem humanam pati non posse ejusmodi Matrimonia. Id patet ex *cap.* 12. *Genes.* ubi Abraham Ægyptum ingressurus Saræ persuasit, ut diceret se ipsius sororem, ne ab Ægyptiis crederetur ipsius uxor. Et certè nulla unquam data fuit dispensatio in primo gradu collaterali, nisi inter primos Adami filios, compellente necessitate. *Commixtio fratrum & sororum*, ait S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei 248

cap. 16. *quantò fuit antiquior, compellente necessitate, tantò posteà facta est damnabilior, religione prohibente.*

249 Tertiò, Consanguinitas in cæteris remotioribus gradibus jure Ecclesiastico duntaxat, non naturali, dirimit Matrimonium; idque ad quartum gradum usque inclusivè, nec ulteriùs.

Eam jure naturali non dirimere Matrimonium patet ex eo, quòd Abraham duxerit filiam fratris sui, quæ secundo proindè tantùm gradu ab ipso distabat. Quòd autem jure Ecclesiastico illud dirimat, habetur ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III, annô 1215. Can. 50. ubi consanguinitatem restrinxit ad quartum gradum inclusivè; quam regulam secuta est Synodus Tridentina Sess. 24. de Matr. c. 5.

Undè Ecclesia, quamvis ab impedimento consanguinitatis in gradibus lineæ directæ, & in primo lineæ collateralis obstante nimirùm, ut modò diximus, jure naturali, dispensare neutiquam possit, potest tamen id in secundo, tertio, & quarto consanguinitatis gradu, ut qui lege duntaxat positiva Ecclesiastica, in qua dispensatio locum habere potest, prohibeantur. Attamen in secundo gradu, nonnisi ex gravi causa inter magnos Principes dispensationem esse concedendam vult Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 5. de Ref. Matrim.

§. V.

250 *De cognatione Spirituali.*

Cognatio spiritualis est affinitas seu propinquitas, quæ juxta Juris Ecclesiastici dispositionem contrahitur ex administratione & susceptione Baptismi vel Confirmationis.

Hujusmodi cognatio, quæ scilicet oritur ex Baptismo & Confirmatione est impedimentum dirimens Matrimonium Jure Ecclesiastico duntaxat, non verò naturali aut divino. Primum habetur ex toto Titulo *De cognatione spirituali* in 6to & ex Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 2. Secundum patet ex eo, quòd ante Sæculum quartum hujusce impedimenti nullum inveniatur vestigium, nec colligi possit ex lege sive naturali, sive Evangelica.

Ecclesia autem hoc impedimenti genus induxit propter reverentiam horum Sacramentorum, in quibus Minister & Susceptores habentur veluti patres spirituales, inter quos & baptizatum indecens omninò esset carnalem per Matrimonium intercedere conjunctionem.

Porro hanc spiritualem cognationem, 251
quæ olim ad plures personas extendebatur, Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.* ad istas duntaxat personas reduxit: 1mo. Inter baptizantem & baptizatum, & patrem & matrem baptizati. 2do. Inter patrinum & matrinam, id est, utrumque simul ex una parte, & baptizatum, quem ex sacro fonte susceperunt, & patrem ac matrem baptizati: inter patrinum autem & matrinam nulla est spiritualis cognatio. Inde fit, ut Laicus, qui puellam baptizavit, non possit cum illa contrahere Matrimonium, neque cum matre ipsius; Matrina pariter non possit conjugiô sociari cum illo, quem de sacro fonte suscepit, vel cum illius patre. Quod de Baptismo dictum, idem quoque dicendum est de Confirmatione, ubi scilicet viget consuetudo adhibendi patrinos & matrinas in collatione hujus Sacramenti.

Conditiones verò requisitæ ad hanc 252
affinitatem & ex ea consequens Matrimonii impedimentum contrahendum inter patrinum & matrinam simul ex una parte, & baptizatum ejusque patrem & matrem, hæ sunt: 1mo. Ut patrinus & matrina

matrina usum rationis habeant. 2do. Ut ipsi sint baptizati. 3tio. Ut in ipsa valida Baptismi administratione suscipiendum tangant vel teneant, vel immediatè suscipiant de manu baptizantis. 4to. Denique ut id agant cum animo & intentione exercendi officium patrini & matrinæ, sicut in Ecclesia fieri solet. Idem dicendum de patrinis & matrinis in Sacramento Confirmationis.

253 Ex his infertur 1mo. Non intercedere cognationem spiritualem inter illos, qui nomen duntaxat imponunt infanti jam domi baptizato, cùm posteà solemnes Baptismi cæremoniæ in Ecclesia adhibentur, & baptizatum baptizatique parentes. Quia stando verbis Concilii Tridentini affinitas duntaxat contrahitur, quando infans à sacro fonte suscipitur, quod certè in casu proposito non evenit. Secùs dicendum videtur multis, si in dubio de validitate primi Baptismi infans iterum sub conditione baptizetur. Quia tunc sicut verus esse potest Baptismus, ita & verum impedimentum contrahi potest. Atqui tali pendente dubio, unde sequi potest nullitas Sacramenti, Matrimonium contrahi non debet. Quòd si verò infans domi sine solemnitatibus baptizetur, cognatio contrahi à patrino & matrina &c. videtur; quia Jura inter publicum & privatum Baptisma non distinguunt.

254 Infertur 2do. Quòd, cùm infans per Procuratorem è sacro fonte levatur, ipse Procurator seu Mandatarius, non verò Mandans, affinitatem spiritualem contrahat; quia ipse, non mandans, infantem de sacro fonte suscipit. Ita declarant Cardinales apud Pontium lib. 7. cap. 39. n. 10. eamque sententiam Romæ teneri tradit Fagnanus in Cap. *Veniens.* Tit. *De cognatione spirituali.* cui proindè velut tutiori adhærendum, quidquid nonnulli contrà sentiant, qui volunt Mandantem duntaxat, non verò Procuratorem affinitate ligari. Auctores tamen sumus, ut si casus iste occurrat, Episcopus consulatur.

Infertur 3tio. Cognationem spiritualem contrahere obstetricem & alios Laicos qui etiam in necessitate baptizant: 255
Jura enim non distinguunt inter baptizantem in necessitate, vel sine necessitate. Excipiuntur tamen pater aut mater, si in necessitate aliqua, maximè propter periculum mortis, propriam prolem baptizaverint; tunc enim baptizans nullo modo impeditur à petitione debiti, ut patet ex Cap. *Ad limina.* Causâ 30. quæst. 1. ubi hæc ratio affertur: *Quia inculpabile judicandum, ad quod necessitas impulit.* Secùs dicendum, si utercunque eorum propriam prolem sine ulla prorsùs necessitate baptizaverit; tunc enim baptizans contrahit cognationem, quæ illum impedit à petitione debiti conjugalis, non tamen à redditione illius. Nota hîc etiam, quòd, juxta plurimorum Doctorum sententiam, si parentes propriam prolem ignoranter baptizaverint, id est, vel ignorantes prohibitionem Ecclesiæ, vel quòd sua sit proles, nullum tunc contrahant impedimentum, & id probant ex Cap. *Si vir.* Tit. *De cognatione spirituali.*

Infertur 4to. Illum, qui carnaliter 256
cognovit eam, cum qua spirituali cognatione conjunctus est, si dispensationem obtinere velit ad contrahendum cum ipsa Matrimonium, debere in sua supplicatione exprimere non tantùm affinitatis impedimentum, sed etiam crimen commissum. Ita Pyrrhus Corradus lib. 8. c. 8. n. 12. aitque hanc esse constantem Curiæ Romanæ praxim.

§. VI.

De Cognatione Legali. 257

Cognatio Legalis est ea, quæ oritur ex adoptione. Adoptio autem definitur,

Personæ extraneæ assumptio in filium, vel nepotem; vel in filiam, aut neptem, cum jure ad hæreditatem.

Ex tali adoptione, saltem si perfecta sit (*e*), id est, rescriptô Principis facta, & per quam adoptatus transit in familiam & potestatem adoptantis, oritur cognatio, quæ Matrimonium dirimit. Ex cap. unico. Tit. *De cognatione legali.* & Cap. *Per adoptionem.* Causâ 3. q. 3.

258 Igitur ratione cognationis legalis irritum est Matrimonium 1mo. Inter adoptantem & adoptatum & posteros adoptati usque ad quartum gradum. 2do. Inter uxorem adoptantis & adoptatum, & vicissim inter uxorem adoptati & adoptantem. 3tio. Inter filios aut filias adoptantis, & adoptatum sive adoptatam; sed hoc ultimum impedimentum desinit cessante adoptione, id est, ex quo filii aut filiæ adoptantis liberi sunt ab ejus potestate per ipsius mortem, vel per emancipationem, ex cap. unico. *De cognat. legali.* cùm duo priora impedimenta, etiam soluta adoptione remaneant.

§. VII.

259 *De impedimento affinitatis.*

Circa affinitatem tria hîc nobis expendenda veniunt, 1mo. Quid sit affinitas. 2do. Quomodo numerentur ac dignoscantur gradus affinitatis. 3tio. An & in quo gradu affinitas sit impedimentum dirimens.

Quid sit affinitas.

Affinitas est personarum conjunctio seu propinquitas orta ex copula carnali, sive licita in Matrimonio, sive illicita extra Matrimonium. Sic Petrus qui Mariam uxorem duxit, affinis est consanguineis Mariæ, & vice versa Maria est affinis consanguineis Petri. Ita pariter qui illicitè conjunctus fuit extra Matrimonium cum Maria, fit affinis consanguineis ipsius, & vice versa.

Triplex olim fuit affinitatis genus, 260
quod explicatur hoc exemplô: Maria nupsit fratri meo, inde efficitur mihi & consanguineis meis affinis; en primum affinitatis genus. Mortuo fratre meo, Maria nubit Petro, Petro mihi & consanguineis meis efficitur affinis; en secundum genus affinitatis. Tandem moritur Maria, & Petrus ejus viduus contrahit cum Anna, Anna hæc fit mihi & consanguineis meis affinis; en tertium affinitatis genus. Verùm Concilium Lateranense IV. cap. 50. solo retento priori genere affinitatis, secundum & tertium sustulit.

Igitur juxta disciplinam jam receptam 261
affinitas solùm contrahitur 1mo. Inter virum & consanguineos mulieris à se carnaliter cognitæ. 2do. Inter mulierem & consanguineos viri, à quo cognita est. Inter ipsum verò maritum & uxorem propriè loquendo non est affinitas, cùm sint duo in carne una; sed ipsi sunt velut stipes seu truncus, undè sumitur initium affinitatis. Pariter affinitas non intercedit inter consanguineos mariti & consanguineos uxoris; sed consanguinei duntaxat mariti fiunt affines ipsius uxori, & vice versa consanguinei uxoris fiunt affines marito, ut jam dictum. Hinc pater & filius ducere possunt matrem & filiam; duæ sorores nubere possunt cum duobus fratribus; frater & soror cum fratre & sorore; filius uxoris cum filia viri. Ratio hujus disciplinæ est, quia affinitas non parit affinitatem; nec enim affinis uxoris est affinis viri, nec vicissim.

Quomo-

(*e*) Imperfecta adoptio, quæ scilicet non fit auctoritate principis, non inducit cognationem legalem.

262 *Quomodo numerentur ac dignoſcantur gradus affinitatis.*

Eodem modo numerantur gradus affinitatis, quo gradus conſanguinitatis, adeò ut ſicut ſoror eſt in primo gradu conſanguinitatis, filius ſororis in ſecundo, & hujus filius in tertio; ita maritus ſororis ſit in primo gradu affinitatis, uxor filii ſororis in ſecundo, &c. Igitur juxta parentelam viri, numeranda quoque eſt & uxoris; & quo gradu quis diſtat in conſanguinitate à viro, eodem gradu affinitatis diſtat ab ejus uxore.

Porro ut dignoſci poſſit, utrum inter duas perſonas ſit affinitas, expendendum eſt, an vir cognoverit conſanguineam mulieris, quam ducere cupit, vel è contrà an mulier cognita fuerit ab aliquo conſanguineo viri, cui nubere vult: ſi nihil horum interceſſerit, nulla erit affinitas: ſi verò aliquid tale contigiſſe reperiatur, rursùs videndum eſt, in quo gradu fuerit conſanguineus vel conſanguinea, cum quibus habitum eſt commercium carnale; nam in eodem gradu vir & mulier ſibi erunt affines. V. g. Si vir cognoverit ſororem mulieris à ſe ducendæ, erit ipſi mulieri affinis in primo gradu: item ſi mulier cognita fuerit à conſobrino germano viri, tunc illa erit affinis ipſi viro in ſecundo gradu, & ſic de aliis.

263 *An & in quo gradu affinitas ſit impedimentum dirimens.*

Quod affinitas dirimat Matrimonium habetur ex Cap. *Nec eam.* Causâ 35. q. 2. & 3. Cap. *Fraternitatis.* ead. cauſ. q. 10. Cap. *Ex Litteris.* Cap. *Non debet.* Tit. *De conſanguinitate & affinitate &c.* Et ex Concilio Tridentino Seſſ. 24. *De Matrim.* Can. 3.

Quantùm verò ad gradus, in quibus ipſa Matrimonium dirimit ac invalidum reddit. 1mo. In quocumque gradu affinitatis lineæ rectæ ſemper prohibitum & irritum fuit Matrimonium. Ita S. Paulus 1. Cor. 5. velut nefandum ſcelus arguit in eo, qui uxorem patris habebat. Nullum itaque eſt Matrimonium inter ſocerum & nurum, ſocrum & generum; privignum & novercam, & vitricum. Prohibita verò ſunt hujusmodi conjugia propter honeſtam ac reverentiam publicam, quæ debet eſſe inter perſonas hujusmodi. *Affinitatis enim veneratione*, ait Lex, *ſocrum & novercam prohibitum eſt uxores ducere, quia locô matris ſunt.*

2do. In linea collaterali prohibitum olim fuit conjugium usque ad ſeptimum affinitatis gradum; at jure per Concilium Lateranenſe IV. inducto, impedimentum illud ad quartum incluſivè gradum reſtrictum fuit Can. 50. Si ergo e. g. Petrus in uxorem duxerit Mariam, eâ defunctâ, non poterit ſine diſpenſatione ducere aut ſororem, aut conſobrinam aliasque Mariæ conſanguineas usque ad quartum gradum incluſivè.

Jam initiô annotavimus etiam ex illicita copula carnali, ſeu extra Matrimonium ſecuta, contrahi affinitatem, ſi nempè ſit idonea ad generationem. Cap. *Diſcretionem.* Tit. *De eo qui cognoverit conſanguineam uxoris ſuæ.* At impedimentum iſtud, quod olim ad eosdem gradus affinitatis, ad quos affinitas ex licita copula, extendebatur, Concilium Tridentinum ſæpè cit. Seſſ. 24. c. 4. non ultra primum & ſecundum gradum protendi voluit. Si ergo Petrus v. g. carnaliter cognovit Mariam, non poteſt ſine diſpenſatione Matrimonium contrahere, vel cum ſorore, vel cum nepte ipſius; quia ſoror eſt in primo, neptis in ſecundo gradu, in quibus affinitas ex fornicatione contracta Matrimonium dirimit.

Quod ſi contingat uxoratum peccare cum ſorore vel nepte ſuæ uxoris, non quidem diſſolvitur Matrimonium, ſed ejus uſus impeditur ex parte peccantis, qui

qui debitum petere non poteſt, non verò innocentis.

264 Porro jure naturali & divino poſitivo affinitas in linea recta dirimit Matrimonium. De jure naturali habetur ex Geneſ. c. 49. ubi Jacob filio ſuo Ruben maledixit, quòd, ut habetur ibid. c. 35. cum Bala uxore ipſius Jacob commercium carnale habuiſſet: *Non creſcas*, inquit ad ipſum, *quia aſcendiſti cubile patris tui & maculaſti ſtratum ejus.* Et Geneſ. 38. Judas Patriarcha nurum ſuam viduam, à ſe cognitam, non tamen duxit in uxorem, ratus haud dubiè ſe id validè non poſſe. In Lege Moſaica, *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies*, inquit Moyſes Levit. 18. *turpitudo enim patris tui eſt.* Unde etiam Adonias, qui ambierat nuptias cum Abiſach Sunamitide, quæ fuerat Davidis uxor, licèt ex ea Adonias progenitus non fuiſſet, repulſam paſſus eſt à fratre Legis obſervantiſſimo. In lege Evangelica 1. Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio*, inquit Apoſtolus, *& talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui quis habeat.* Quibus verbis Apoſtolus teſtatur ipſas gentes ſolo naturæ ductu deteſtatas fuiſſe hujuſmodi nuptias.

265 In linea verò collaterali ſeu tranſverſa & obliqua ſolo Jure Eccleſiaſtico dirimit Matrimonium, quidquid Novatores contrà regerant, qui volunt, affinitatem jure naturali etiam in linea collaterali dirimere Matrimonium.

Prob. 1mo. Ex veteri & novo Teſtamento. In veteri permittebatur fratri ducere uxorem fratris ſine liberis mortui, Deut. 25. Jacob duas ſorores Liam & Rachelem duxit uxores, Geneſ. 38.

In novo Teſtamento nihil legitur, quod adverſetur ejuſmodi nuptiis. 2do. Multa extant exempla diſpenſationum à Summis Pontificibus conceſſarum etiam pro primo gradu lineæ collateralis, v. g. Alexander VI. conceſſit Emanueli Regi Luſitaniæ duas ſorores Hiſpaniarum Regis filias ſucceſſivè habere uxores. Pariter Julius II. conceſſit Henrico VIII. Regi Anglorum, ut Catharinam viduam fratris ſui Arturi haberet uxorem, illudque Matrimonium validum fuiſſe ſummo conſenſu docuerunt Catholici, & Clemens VIII. poſt maturam conſultationem idem aſſeruit contra dictum Henricum VIII. qui indè ſumpſit occaſionem ſchismatis Anglicani.

Obſerva, nos ſuprà dixiſſe, *ex copula carnali etiam illicita contrahi affinitatem, ſi modò idonea ſit ad generationem.* 266
Igitur affinitas, de qua hîc loquimur, non naſcitur niſi ex copula perfecta, & qualis ad generationem requiritur, quia ſine ea, qui copulantur una caro non fiunt, quod tamen requiritur Cap. *Fraternitatis.* 35. q. 10. Undè quælibet alia commixtio, etiam cum effuſione ſeminis conjuncta, non ſufficeret. Idem docet S. Thomas in 4. Diſt. 41. q. unicâ, art. 1. quæſtiunc. 4. ad 2.

Obſerva iterum affinitatem oriri ex copula etiam ſine alterius partis conſenſu vel cognitione facta; putà ſi quis vim intulerit virgini, aut dormientem oppreſſerit; ſi amens vel ebrius puellam carnaliter cognoverit. Ita ſtatuitur Cap. *Veniens.* 9. Tit. *De eo, qui cognovit conſanguineam.* lib. 4. tit. 13. Idem colligitur ex Cap. *Diſcretione.* Tit. *De eo, qui cognoverit.*

§. VIII.

De impedimento Criminis. 267

Duo crimina Matrimonium dirimunt, adulterium ſcilicet, & homicidium. Id probatur ex cap. 1. *De converſione Infidelium.* Cap. *Si quis vivente.* 31. q. 1. &c. Ratio impedimenti eſt, ut vitentur cædes & adulteria inter conjuges, quod fit ſublata ſpe Matrimonii inter delinquentes.

In

In quinque potiſſimum caſibus duo hæc crimina Matrimonium dirimunt. Primus caſus eſt, ſi alter conjugum occidat alterum per tertiam perſonam, tunc non poteſt eſſe validum Matrimonium tertiæ illius perſonæ cum conjuge ſuperſtite, ſive adulterium intercesſerit, ſive non. Ita Cap. *Laudabilem.* lib. 3. tit. *De converſione Infidelium.*

Secundus caſus eſt, ſi cum homicidio unius conjugum ex intentione Matrimonii contrahendi, præceſſit adulterium cum ſuperſtite, etiamſi ſuperſtes in homicidium non conſenſerit: tunc eſt impedimentum dirimens Matrimonium. Caſus hic in toto Titulo, *De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*, deciditur, & in Cap. *Laudabilem.* Tit. *De converſ. Infidel.* & in Cap. *Si quis vivente.* 31. q. 1. Satis eſt autem ad impedimentum contrahendum, quòd conjux morti conjugis, vel propria manu, vel conſiliô, aut mandatô cooperatus ſit: non ſufficit tamen ratihabitio occiſionis jam per alium illatæ.

Si verò occiſio fiat per unum, non conſentiente altero, poſſunt validum Matrimonium inter ſe contrahere, modò adulterium non intervenerit; ſimiliter ſi alio fine occiderint, quàm causâ Matrimonii, ut ex cit. Cap. *Laudabilem.* colligitur.

Tertius caſus eſt homicidii adulterio mixti, cùm quis adulteratur, & conjugem ſuam interficit, vel curat interfici: tunc enim inter conjugem ſuperſtitem & adulteram non poteſt validum iniri Matrimonium, ſi animô ducendi adulteram ejusmodi homicidium factum ſit. Ita S. Thomas hîc, & alii poſt Cap. *Super hoc.* & Cap. *Significaſti.* Tit. *De eo qui duxit in Matrimonium &c.*

Quartus caſus eſt, cùm quis ſciens propriam uxorem eſſe ſuperſtitem, contrahit per verba de præſenti cum ea, cum qua mœchatus eſt, ſive ante ſive poſt illum contractum. Cap. *Si quis.* eod. tit.

Quintus denique caſus eſt, ſi adulterium commiſſum ſit accedente promiſſione acceptata futuri Matrimonii poſt obitum conjugis. Cap. *Significaſti.* & Cap. *Relatum.* 31. q. 1.

Dicimus 1mo. *Accedente promiſſione:* quia ſine ea, mortuô virô, cum quo verum connubium fuit, fieri poteſt conjugium cum eo, cum quo præceſſit adulterium, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. c. 10.

Dicimus 2do. *Acceptatâ:* niſi enim alter acceptaverit ſive expreſsè, ſive tacitè, adulterium non irritat Matrimonium. An autem mera taciturnitas ſit ſignum ſufficiens acceptationis necne, aliqui affirmant, alii verò negant: quia, inquiunt, in rebus nocivis taciturnitas pro conſenſu non habetur.

Nihil autem refert 1mo. Sitne promiſſio ficta, an ſincera; cùm promiſſio ficta, quæ ſincera creditur, æquè ad adulterium & homicidium impellere poſſit, ac ſi vera eſſet. Ab his autem adulterii & homicidii ſceleribus Eccleſia Fideles deterrere voluit ſtatuendo impedimentum criminis. 2do. Nihil pariter refert ſitne promiſſio abſoluta, an conditionata: ſufficit enim fides data cum adulterio ad iſtud impedimentum, nec requiritur, ut promiſſio valeat, nusquam enim nefaria hujusmodi promiſſio valere poteſt. 3tio. Nec quoque intereſt, an promiſſio antecedat, vel ſequatur adulterium: Jura enim iſtud diſcrimen non ſtatuunt. 4to. Requiritur ut adulterium verum ſit ac conſummatum. Cæterùm auctores ſumus, ut, cui hujusmodi difficillimi caſus obvenerint, is Epiſcopum conſulat.

Notandum adhuc circa caſus propo- 268
ſitos, jura, quæ loquuntur de impedimento uxoricidii, eſſe etiam intelligenda de mariticidio: quia quæ de uno

conju-

conjuge dicuntur, de altera similiter intelliguntur, præsertim cùm agitur de impedimentis.

Cæterùm istud ex crimine impedimentum jure dumtaxat Ecclesiastico, non naturali aut divino, institutum esse vel ex eo patet, quòd David duxerit Betsabee, quam infami polluerat adulteriô, & cujus virum interfecerat, non suô quidem, sed gladiô filiorum Ammon. 2. Reg. 11. & 12.

§. IX.

269 *De impedimento disparis cultus.*

De isto impedimento in antecessum tùm part. 2da. tùm hac parte 3tia hujus Tractatus disseruimus, atque ostendimus 1mo. Ecclesiam prioribus temporibus tolerasse Matrimonia Christianorum cum Infidelibus. 2do. Ecclesiam semper in votis habuisse, ut ab ejusmodi conjunctionibus illicitis Christiani abstinerent. 3tio. Illicita esse ac prohibita, non tamen invalida jure sive naturali sive Ecclesiastico Matrimonia Orthodoxorum cum Hæreticis, atque licita fieri per dispensationem Ecclesiæ. 4to. Jure divino non dirimi Matrimonium, cum è duobus conjugibus infidelibus unus ad fidem convertitur, alter verò non convertitur quidem, sed consentit habitare pacificè, ac sine injuria Creatoris, cum fideli conjuge. His nonnulla addemus, vel potiùs eadem per compendium repetemus.

Igitur Cultûs disparitas seu Religionis, vocatur non ea, quæ intercedit Fidelem inter & Hæreticum; sed quæ reperitur inter baptizatum & non baptizatum.

270 Matrimonia Fidelium cum infidelibus illicita sunt ac prohibita, regulariter & ordinariè loquendo, 1mo. Jure naturali: adversantur enim commodæ prolis educationi in fide Catholica, paci domesticæ, & exercitio veræ Religionis. 2do. Jure divino positivo. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, inquit Apostolus 2. Cor. 6. Et 1. Cor. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, id est, nubat Christiano, ait S. Hieronymus lib. 1. adversùs Jovinianum c. 5. Quam expositionem admittit etiam S. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis, c. 25. 3tio. Jure Ecclesiastico, ut constat ex variis Conciliorum Decretis, quæ hujusmodi Matrimonia vetant. Sic Concilium Eliberitanum Can. 19. Chalcedonense Can. 13. Aurelianense II. Can. 18. & alia, quæ sunt apud Gratianum 28. q. 1.

Dicimus, *regulariter, & ordinariè:* quia, ut notant Theologi, certis quibusdam circumstantiis non est jure naturali aut divino illicitum Matrimonium Fidelis cum Infideli, quando scilicet nullum est periculum, ne Fidelis aut ejus liberi pervertantur, sed potiùs est spes vel convertendi Infidelem, vel adjuvandi Fideles, ne grave nocumentum ipsis inferatur. Sic Moyses & Joseph nupserunt Gentibus; Esther Assuero; S. Cæcilia Valeriano; S. Monica Patricio; S. Clotildis Clodovæo; &c.

Non tamen sunt nulla aut irrita Jure 271 naturali & divino positivo; bene autem Jure Ecclesiastico.

Non esse irrita jure naturali patet, tùm quia non omninò adversantur fini Matrimonii, possunt enim ex eis proles nasci, & Catholicè educari, quamvis difficiliùs, quàm si ambo conjuges essent Fideles; tùm quia valida certè fuerunt conjugia Estheris cum Assuero, S. Cæciliæ cum Valeriano, &c.

Nec esse irrita jure divino positivo colligitur ex eo, quòd nec in novo nec in veteri Testamento ullum reperiatur præceptum, quo talia Matrimonia decernantur irrita.

Attamen irrita esse jure Ecclesiastico constat ex usu receptissimo ac longa Ecclesiæ consuetudine, quam uno consensu

omnes

omnes Theologi & Canonistæ testantur. Id insuper colligitur ex Cap. *Cave.* Causâ 28. q. 1. Et Can. *Si quis.* ibid. Quo autem præcisè tempore institutum fuerit hoc impedimentum tanquam dirimens, non ita constat. Hoc certum est, scilicet illud non semper in Ecclesia viguisse, vigere tamen à Sæculis pluribus, & nunc præsertim.

272 Quod Matrimonium Catholicorum cum Hæreticis legitimè baptizatis spectat, certum est, illud esse validum, dummodò nullum aliud interveniat impedimentum. Ratio est, quia Hæretici verè sunt baptizati, & nulla Ecclesiæ lege, vel consuetudine irritatur hujusmodi Matrimonium. Ordinariè tamen est illicitum ac prohibitum saltem jure Ecclesiastico in variis Conciliis. Dicimus *saltem*, nam Celebres quidam Theologi volunt illud etiam jure divino ac naturali prohibitum esse, ob eadem incommoda & pericula, quæ paulò ante diximus reperiri in Matrimonio Fidelis cum Infideli. Tamen Ecclesia dispensare potest, & de facto in Germania nostra dispensat, ut Matrimonium Fidelis cum Hæretico vel Hæretica sit licitum. Vid. sup. cap. 2. num. 197. & seqq.

§. X.

273 *De impedimento violentiæ.*

Si quis violenter ac contra proprium consensum ad nuptias cogatur, jure ipso naturali nullum est ac irritum Matrimonium defectu consensûs. Vide, quæ sup. part. 2dâ. diximus circa necessarium in celebrando Matrimonio liberum consensum. Ad completam eorum, quæ ibidem dicta sunt tractationem

Observandum 1mo. Matrimonium contractum ex gravi metu injustè illato, sed non ordinato ad extorquendum hunc consensum, esse validum. Ratio est, quia in tali casu metus per accidens se habet ad Matrimonium: ac proindè habendus est eodem loco ac si fuisset illatus à causa merè naturali.

Observ. 2do. Nihil referre ad irritandum Matrimonium, quòd metus gravis ad extorquendum consensum in Matrimonium injustè incussus fuerit ab uno ex contrahentibus, vel ab aliquo alio, etiam ignorante uno ex contrahentibus.

Observ. 3tio. Quòd si unus ex contrahentibus alteri metum injustè incussit, vel conscius sit metûs incussi, tenetur, juxta plures Theologos, expectare an qui metum passus est, velit de novo Matrimonium liberè contrahere, tunc enim ipse tenebitur rati habere consensum.

Observ. Denique, quòd ille, qui contraxit Matrimonium per metum gravem injustè incussum, nullo modo possit Matrimoniô uti, donec cessante metu de novo liberè consentiat: nam aliàs esset fornicatio, quæ ita est intrinsecè mala, ut nunquam possit fieri licita.

§. XI.

De impedimento ligaminis. 274

Ligamen hîc est vinculum prioris Matrimonii legitimè contracti, licèt non consummati, quo durante, secundum conjugium nullum ac invalidum est: non licet enim duas simul habere uxores; uti demonstravimus, ubi de polygamia simultanea egimus. Impedimentum hoc non solùm est juris Ecclesiastici, sed etiam naturalis & divini.

Olim Jure Civili indultum fuit uxori, quæ ex diuturna mariti absentia, illum mortuum judicabat, ut post quinquennium absentiæ illius ad alias nuptias convolare posset. At Justinianus Imperator Authenticâ *Hodie.* prohibuit, ne alteri nuberet, donec certissimis argumentis comprobata foret prioris mariti mors. Idem Jure Canonico statutum est Cap. In

In præsentia. Tit. *De sponsalibus & Matrimonio.* Ubi uxori denegatur facultas alteri nubendi, *donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Ex quo sequitur, quòd si fortè mulier hujusmodi cum altero contraxisset, existimans priorem suum maritum mortuum esse, qui tamen post diuturnam absentiam redierit; debet illa, posteriori virô derelictô, redire ad priorem, qui solus est verus ac legitimus ipsius maritus. Ita præscribitur Cap. *Dominus.* Tit. *De secundis nuptiis.* Per certum verò nuntium, de quo in cit. Cap. *In præsentia.* intelligi debet testimonium, quo tollatur omnis scrupuli dubiique causa.

275 Undè 1mo. Non sufficit vel distantia locorum, cùm ex remotissimis locis multi revertantur; vel desperatæ infirmitatis testimonium, cùm Deus ex portis mortis multos retrahat; vel absentiæ diuturnitas, quia multi etiam servitutis laboribus oppressi longam vitam vivunt. 2do. Nec sufficere videtur testimonium viri cujusvis & oculati, aliundè etiam non suspecti; licèt nonnulli aliter sentiant. Si enim in aliis causis testis unus sit nullus testis, quid nî & in causis Matrimonialibus, de quibus nunc, cùm tot indè incommoda sequantur? 3tio. Itaque cùm vidua ad Parochum accedit de secundo Matrimonio cogitans, exigendæ sunt ab ea probationes nixæ, vel depositione testium duorum non dubiæ fidei, vel instrumentô authenticô è Regiftris sepulturarum extractô, & recognitô ab Episcopo loci, in quo sepultus est defunctus, &c. Porro probationum sufficientia relinqui debet judicio Episcopi, ad quem proindè in ejusmodi casibus semper est recurrendum. Et sic agendo consuletur tùm legitimitati prolis, tùm contrahentium conscientiæ: quæ omnia diligenter à quolibet Parocho, ad quem hujusmodi difficilis casus venerit, sunt attendenda.

§. XII.

De impedimento publicæ honestatis. 276

Nomine honestatis publicæ in Jure Canonico intelligitur propinquitas orta vel ex Sponsalibus, vel ex Matrimonio rato non consummato: quam quidem sponsus contrahit cum consanguineis sponsæ, vicissim sponsa cum consanguineis sponsi.

Dicitur 1mo. *Propinquitas:* quia præsefert aliquam affinitatis speciem, propter quam indecens & minimè honestum videtur, ut quis eam ducat, cujus consanguineam sibi desponsavit, & desponsando quasi suam fecit.

Dicitur 2do. *Orta vel ex Sponsalibus vel ex Matrimonio rato non consummato:* in quo differt ab affinitate. Nam affinitas oritur vel ex Matrimonio consummato, vel ex commercio carnali: honestas autem publica provenit ex Sponsalibus, vel ex Matrimonio absque ullo commercio carnali.

Dicitur 3tio. *Cum consanguineis personæ desponsatæ:* non verò cum affinibus, quia ad affines non extenditur honestas publica: quapropter posset sponsus mortuæ sponsæ ducere non quidem sororem, quia est consanguinea sponsæ, sed posset ducere viduam fratris sponsæ, quia vidua fratris est tantùm affinis sponsæ. His ita prælibatis exponendum modò quî, & in quo gradu contrahatur impedimentum publicæ honestatis, tam ratione sponsalium, quam ratione Matrimonii rati & non consummati.

1mo. Ex sponsalibus, validis tantùm, 277
oritur impedimentum publicæ honestatis in primo gradu duntaxat. Ita Concilium Tridentinum Sess. 24. de Matrim. cap. 3. expressè definit his verbis: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsùs tollit; ubi*

sed autem validè fuerint, primum gradum non excedunt. Unde vir non potest contrahere cum matre affidatæ, utpote in primo gradu lineæ rectæ, vel cum ejus sorore, utpote in primo gradu lineæ collateralis, ut cum alia ejus consanguineâ patet: idem dicendum de affidatâ respectu consanguineorum viri. Hoc quidem jure novo Concilii Tridentini; nam jure antiquo illud publicæ honestatis impedimentum oriebatur etiam ex sponsalibus invalidis; [illegible] ad quartum gradum exclusivè; ut patet ex causa 27. q. 2. cap. 11. & 12. Et ex cap. unico. Tit. *De sponsalibus*, in 6to.

209\. Disputant hic Theologi, an ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis etiam nascatur impedimentum publicæ honestatis; negant aliqui; quia, aiunt, hujusmodi sponsalia sunt nulla; declaravit autem Concilium Tridentinum, ex sponsalibus quacumque ratione invalidis impedimentum publicæ honestatis non contrahi: [illegible] Et ita visum fuisse Congregationi Concilii [illegible] Pyrrhus Corradus lib. [illegible] num. 14. Quorum [illegible] in tenendum declaravit Alexander VII. die 13. mensis Julii anni 1665. ut refert Prosper Fagnanus super Cap. *Ad audientiam*, num. 29. *De sponsalibus.* Ratio est [illegible] sponsalia illa supponuntur validè facta. [illegible] sponsalia per mortem alterius [illegible] impedimentum, ut non possit [illegible] contrahi v. g. cum sorore affidatæ mortuæ, quanto magis cum sorore affidatæ, [illegible] sponsalibus.

210\. Ex Matrimonio rato & non consummato oritur impedimentum publicæ honestatis, etiam usque ad quartum gradum. Quòd oriatur tale impedimentum [illegible] habetur ex Cap. *Si quis desponsaverit*, quod est Julii Papæ & refertur causa 27. quæst. 2. & Cap. *Qui desponsavit*, quod est Gregorii Magni Papæ, & refertur causa 27. quæst. 2. [illegible] & docent [illegible] Theologorum & Canonistarum [illegible]. Quòd autem impedimentum illud usque ad quartum gradum extendatur, habetur [illegible] declarasse sacram Cardinalium Congregationem, refert Fagnanus loco [illegible] citato. [illegible] Pontificia auctoritate [illegible] Pius V. in Bulla [illegible] Concilii [illegible]

Sed Matrimonium [illegible]

[illegible]

Impedimentum [illegible] jure [illegible] 211 [illegible] Patet id ex Cap. [illegible] Causa 27. quæst. 2. [illegible] Capite, [illegible] impedimentum [illegible] non tamen [illegible] dirimens [illegible]

[illegible]

[illegible] Matrimo- [illegible] de quibus [illegible] ad Parochum [illegible] Matrimonii [illegible] vel [illegible] à Registris [illegible] & [illegible] Episcopus [illegible] cus [illegible] Episcopi, ad quem [illegible] per est [illegible] sulenti [illegible] ligenter à quolibet Parocho, ad quem hujusmodi dubiis casibus [illegible] sunt attendenda.

§. XII.

De impedimento publicæ honestatis.

Nomine honestatis publicæ in Jure Canonico intelligitur propinquitas orta vel ex sponsalibus, vel ex Matrimonio rato non consummato: quam quidem sponsus contrahit cum consanguineis sponsæ, vicissim sponsa cum consanguineis sponsi.

Dicitur 1mo. *Propinquitas*: quia præsefert aliquam affinitatis speciem, propter quam indecens & minime honestum videtur, ut quis eam ducat, cujus consanguineam sibi desponsavit, & desponsando quasi suam fecit.

Dicitur 2do. *Orta vel ex Sponsalibus vel ex Matrimonio rato non consummato*: in quo differt ab affinitate. Nam affinitas oritur vel ex Matrimonio consummato, vel ex commercio carnali; honestas autem publica procedit ex Sponsalibus, vel ex Matrimonio absque ullo commercio carnali.

Dicitur 3tio. *Cum consanguineis personæ desponsatæ*; non verò cum affinibus, quia ad affines non extenditur honestas publica: quapropter potest sponsus mortuæ sponsæ ducere non solum sororem, aut consanguineam sponsæ, sed potest [illegible] viduam [illegible] sponsæ, quia [illegible] est [illegible] affinis sponsæ. [illegible] gradibus [illegible] modo [illegible] & in quo gradu contrahatur impedimentum publicæ honestatis, tam ratione sponsalium, quam ratione Matrimonii rati & non consummati.

[illegible] ex Sponsalibus, validis tamen, oritur impedimentum publicæ honestatis in primo gradu duntaxat. Ita Concilium Tridentinum Sess. 24. de Matrim. cap. 3. [illegible] his verbis: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit*; ubi

ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant. Unde vir non potest contrahere cum matre affidatæ, utpotè in primo gradu lineæ rectæ, vel cum ejus sorore, utpotè in primo gradu lineæ collateralis, at cum aliis ejus consanguineis potest: idem dicendum de affidata respectu consanguineorum viri. Hoc quidem jure novo Concilii Tridentini; nam jure antiquo istud publicæ honestatis impedimentum oriebatur etiam ex sponsalibus invalidis; necnon usque ad quartum gradum extendebatur, ut patet ex causa 27. q. 2. cap. 11. & 14. Et ex cap. unico. Tit. *De sponsalibus*, in 6to.

278 Disputant hîc Theologi num ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis etiam nascatur impedimentum publicæ honestatis; negant aliqui; quia, inquiunt, hujusmodi sponsalia sunt nulla; declaravit autem Concilium Tridentinum, ex sponsalibus quacumque ratione invalidis impedimentum publicæ honestatis non contrahi: è contrà affirmant alii. Et ita visum fuisse Congregationi Cardinalium ait Pyrrhus Corradus lib. 8. cap. 6. num. 14. Quorum judicium probasse, & tenendum definivisse Alexandrum VII. die 10. mensis Julii annô 1658. testatur Prosper Fagnanus super Cap. *Ad audientiam.* num. 29. *De sponsalibus.* Ratio est 1mo. Quia ab initio sponsalia illa supponuntur valida fuisse. 2do. Quia sponsalia per mortem affidatæ dissoluta inducunt impedimentum, ut non possit validè contrahi v. g. cum sorore affidatæ mortuæ, quantò minùs cum sorore affidatæ, dissolutis, ea vivente adhuc, sponsalibus.

279 2do. Ex Matrimonio rato & non consummato oritur impedimentum publicæ honestatis, etiam usque ad quartum gradum. Quòd oriatur tale impedimentum &c. habetur ex Cap. *Si quis desponsaverit.* quod est Julii Papæ & refertur causâ 27. quæst. 2. & Cap. *Qui desponsatam.* quod est Gregorii Magni Papæ, & refertur causâ 27. quæst. 2. Favet Ecclesiæ praxis, & accedit unanimis & constans Theologorum & Canonistarum consensus. Quòd autem impedimentum istud usque ad quartum gradum protendatur, habetur 1mo. quia ita declaravit sacra Cardinalium Congregatio, teste Fagnano locô mox citatô. 2do. Et id ipsum Pontificia auctoritate declaravit Pius V. in Bulla *Ad Romanum.* an. 1558. Integram hanc Constitutionem refert Prrhus Corradus lib. 8. c. 7.

Imò Matrimonium etiam invalidum, *modò invalidum non sit ex defectu consensûs*, impedimentum hoc inducit. Patet id ex cap. 1. *De sponsalibus.* in 6to. in quo expresSè ita definitur. Accedit auctoritas Theologorum & Canonistarum. Vid. Fagnan. loc. cit. n. 2. q. 7.

Diximus, *modò invalidum non sit ex defectu consensûs:* Si enim Matrimonium sit ex defectu consensûs contrahentium irritum, sicut in pueris, amentibus, & iis, qui ex errore personæ, vel metu gravi & injusto &c. contrahunt, certum est ex eo non oriri impedimentum publicæ honestatis.

Impedimentum autem istud jure Ecclesiastico duntaxat Matrimonium dirimit. Patet id ex Cap. *Lex divinæ constitutionis.* Causâ 27. quæst. 2. quo constat tempore Benedicti IX. cujus est hoc Caput, atque ab anno 1034. usque ad annum 1044. Ecclesiæ clavum tenuit, impedimentum ex sponsalibus nondum fuisse institutum. Favet ratio congruentiæ: nam licèt valdè conveniens sit per illud Matrimonium dirimi, non tamen ita, ut nulla interveniente cujusquam voluntate actu dirimatur. 280

§. XIII.

281 *De impedimento amentiæ, vel furoris.*

Item

De impedimento Clandestinitatis.

Hæc duo impedimenta simul jungimus, quòd pauca admodùm de primo dicenda nobis veniant: De impedimento verò Clandestinitatis, quod induxit Concilium Tridentinum Seff. 24. de Matrim. cap. 1. jam abundè dixerimus suprà part. 2dâ. cap. ubi de Matrimonio clandestino &c. agebamus; undè hîc nihil præter illius nomen memoramus. Igitur quantùm amentiæ seu furoris impedimentum spectat

Jure ipso naturali ad contrahendum Matrimonium inhabilis redditur, quisquis perpetuâ laborat dementiâ vel furiâ. Ratio est aperta; quia rationis & libertatis usum, hîc omninò necessarium, non habent, qui tali infirmitate correpti sunt: si tamen dementia post contractum Matrimonium superveniat, illud non dissolvit. Quo sensu intelligi debet, quod refert Gratianus causâ 32. quæst. 7. *Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur.* Supple, si contractum fuerit ante dementiam vel furorem, cùm liber & expeditus erat rationis usus.

Si verò amens contraheret tempore lucidi intervalli, quamvis non sit tutum, quòd sic contrahat, eò quòd, propter amentiam subindè recurrentem, talis ineptus sit educationi prolis, valeret tamen Matrimonium, & vel per conjugem sanum, vel per consanguineos occurri posset ac deberet defectui educationis prolis.

§. XIV.

De impedimento impotentiæ. 282

Impotentia est inhabilitas consummandi Matrimonium, seu ex defectu quodam naturali, seu ex maleficio proveniens.

Variæ sunt impotentiæ species. Nam 1mo. Impotentia vel est antecedens Matrimonium, vel eidem jam contracto adveniens. 2do. Alia est perpetua, alia temporalis. Prior dicitur ea, quæ tolli non potest, vel sine miraculo, vel sine peccato, vel sine vitæ periculo. Ita colligitur ex Cap. *Fraternitatis.* Tit. *De frigidis & maleficiatis.* Temporalis est ea, quæ tolli potest sine ullo è tribus prædictis; sed v. g. ætatis incrementô, arte medicinæ, vel consuetis Ecclesiæ precibus.

3tio. Vel est absoluta, respectu cujuscumque; vel respectiva dumtaxat respectu alicujus. (*f*)

4to. Denique impotentia vel oritur ex causa seu defectu quodam naturali, vel ex maleficio, ut jam initiô dictum; Qui laborant impotentiâ ex defectu naturali, dicuntur frigidi: qui verò ex maleficio, maleficiati. His expositis


Dicimus 1mo. Per impotentiam, quæ 283
Matrimonio jam contracto supervenit, sive consummatum sit, sive non; non dissolvitur Matrimonium. Patet hoc ex dictis superiùs circa firmitatem & indissolubilitatem vinculi conjugalis.

Dicimus 2do. Nec dissolvi per impotentiam antecedentem temporalem, quæ aliquo remedio sanari ac depelli potest: Cap. *Ex litteris.* Cap. *Fraternitatis.* Tit. *De frigidis & maleficiatis.*

Dicimus 3tio. Illud dissolvi per impotentiam antecedentem perpetuam, sive absoluta illa sit, sive respectiva; sive ex causa

(*f*) Putà mulieris arctioris.

Arbor Consanguinitatis.



causa naturali purè interna, sive ex maleficio. Tit. *De frigidis & maleficiatis.* Lib. 4. Decret. Gratianus causâ 33. q. 7. Circa Maleficiatos autem cavendum, ne Dæmonum malitiæ tribuatur, quod sæpiùs vel ex verecundia & pudore, vel ex nimio amore, vel ex infenso sponsæ odio, aliisve id genus causis nascitur.

284 Impotentia perpetua & antecedens jure non solùm positivo, sed etiam naturali dirimit Matrimonium. Ratio est, quia tollit id omne, quod est de essentia Matrimonii, scilicet traditionem potestatis ad copulam carnalem. Et certè lex naturalis dictat neminem posse contrahere de eo, quod non habet in sua potestate: porro impotens non potest alteri tradere usum corporis sui in ordine ad copulam carnalem. Ergo &c.

Quòd si verò dubium sit, an impotentia præcedens Matrimonium perpetua sit, an temporalis, triennium cohabitationis & experientiæ conjugibus conceditur: absolutô autem trienniô, si bona fide operam dederint consummando Matrimonio, nec tamen potuerit consummari, Ecclesia judicat impotentiam esse perpetuam, & Matrimonium anteà contractum fuisse nullum; ac proinde separatio saltem thori illis indicenda est. Ita colligitur ex Cap. *Laudabilem.* & ex Cap. *Fraternitatis.* Tit. *De frigidis & maleficiatis.* Cui concordat authentica *de nuptiis.* Collatione 4. cap. 6. Facta autem hac separatione, licet parti, quæ impotentiâ non laborat, ad alias convolare nuptias, non autem illi, quæ impotentiâ detinetur: Cap. *Laudabilem.* mox cit. Idem statuit Gregorius II. scribens ad Bonifacium Moguntinum.

Diximus, *separationem saltem thori conjugibus esse indicendam:* quia si consentiant secum invicem habitare, & absit periculum incontinentiæ, iis licebit cohabitare; ita ut vir mulierem, *etsi non uxorem suam saltem habeat ut sororem*, ut dicitur cit. Cap. *Laudabilem.* 5. & Cap. *Consultationi.* 4. *de frigidis &c.*

Quod si etiam quis post dissolutum Matrimonium impotentiæ absolutæ causâ, nubat cum altera, ex qua prolem suscipiat; hoc posterius Matrimonium dissolvitur, & prius redintegratur; adeoque hac secunda relicta tenetur ad priorem redire. Cap. *Accepistis.* & Cap. *Fraternitatis.* eodem Tit. *De frigidis &c.*

Quamvis inter senes & steriles valeat 285
Matrimonium, non tamen valet inter Eunuchos &c. Inter senes valet (modò coëundi ac Matrimonium consummandi potestatem retineant) ad individuæ vitæ societatem, & mutuum senectutis levamen.

Valet etiam inter steriles: quia sterilitas non impedit, quominùs vir & mulier fiant una caro per carnalem copulam: Cap. *Lex divinæ.* 27. q. 2. & Cap. *Fraternitatis.* sæpiùs cit.

At non valet inter Eunuchos, ex Constitutione Sixti Papæ V. annô 1587. die 27. Junii. in qua Eunuchi declarantur inhabiles ad contrahendum Matrimonium.

Ad hoc impedimentum reducitur æta- 286
tis puerorum defectus: undè irritum est eorum Matrimonium, si puer ante decimum quartum ætatis annum completum, puella verò ante duodecimum completum annum Matrimonium inierint, nisi ante illos annos constet, quòd malitia suppleverit ætatem, id est, quòd sufficientes vires habuerint ad Matrimonium consummandum, ut patet ex Cap. *De illis.* Et Cap. *A nobis.* Tit. *De desponsatione impuberum.* lib. 4. tit. 2. Sed hoc subtili & modestâ prudentiâ requirendum est.

§. XV.

287 *De impedimento raptus.*

Raptus est abductio personæ, seu volentis, seu invitæ, ad explendam libidinem, aut contrahendum Matrimonium.

Dicitur *seu volentis, seu invitæ;* unde duplex raptus distinguitur, unus *violentiæ*, qui aperta vi, renitente persona abducta, committitur. Alter *seductionis* seu *subornationis*, qui dolo, arte, blanditiis, promissis, voluptatis illecebris tenellum puellæ animum corrumpit ac seducit, ut Matrimonio consentiat.

288 Uterque raptus est impedimentum dirimens Matrimonium. Habetur tùm ex Lege Civili. Lib. 9. Cod. Theodos. Tit. 24. extat Constitutio Constantini Magni, qua raptori amputatur omnis spes eam ducendi uxorem, *quam vel invitam rapuerit, vel volentem abduxerit.* Similia leguntur in Novella 143. Justiniani Imperatoris. Et Carolus Magnus Capitularium lib. 7. cap. 395. *Placuit*, ait, *ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenùs habeant uxores, quamvis eis postmodùm conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint.* Tùm ex Lege Ecclesiastica Can. *De raptoribus* qui est Concilii Aurelianensis I. annô 511. causâ 36. *Raptor qui confugerit ad Ecclesiam, morte non est plectendus, sed raptæ servire tenetur, nisi se redemerit: quòd si puella raptori consenserit, reddetur patri, cui raptor tenebitur satisfactione simili.* Can. 66. Concilii Meldensis annô 845. *Quicumque deinceps rapere virgines vel viduas præsumpserint, secundùm Synodalem beati Gregorii* (secundi in Concilio Romano) *definitionem, ipsi & complices eorum anathematizentur, & raptores sine spe conjugii perpetuò maneant.* Idem statuitur Can. 10. Concilii Ticinensis annô 850.

Innocentius III. Cap. *Accedens.* lib. 5. tit. 17. *De raptoribus.* aliquid remisit ex severitate legis, permisitque ut raptor cum rapta postmodum consentiente contrahere possit: *Rapta puella*, inquit, *legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio postmodùm transeat in consensum.* Sed Concilium Tridentinum restringit hanc facultatem, inhabilemque reddit raptorem ad contrahendum cum rapta etiam consentiente Matrimonium, nisi priùs in loco tuto & libero fuerit constituta, atque hac cautione novum posuit Matrimonii impedimentum. En ejus verba Sess. 24. c. 6. de Reform. Matrim. *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.*

Hìc generatìm de raptu loquitur Concilium, nec distinguit inter raptum violentiæ, & raptum seductionis seu subornationis. Hinc controversia est inter Theologos, utrum in hocce decreto comprehendatur raptus Seductionis. Negant aliqui, affirmant verò alii, atque, ut nobis videtur, longè probabiliùs. 1mo. Quia ex raptu seductionis induci impedimentum dirimens constat tùm quia Leges seu civiles seu Ecclesiasticæ, quibus raptus prohibetur, vix distinguunt inter utrumque raptum, ubi de Matrimonio agitur: tùm quia conceptis verbis hunc seductionis raptum, cùm puella consentit, designant Leges tùm civiles, tùm Canonicæ seu Ecclesiasticæ, prout vidimus. 2do. Concilium Tridentinum loquitur de raptu, nulla facta distinctione raptûs violentiæ aut seductionis. Ergo utrumque damnat & repellit. Et verò ipsa seductio non minùs generat malum, quàm violentia, atque familiarum pacem non minùs perturbat, cùm puella

puellæ seductæ conditione, [illegible] parentes [illegible] nullæ [illegible] 3tio. Concilium Tridentinum [illegible] Decreto novi aliquid, [illegible] verumque, seu novum [illegible] capitum inducere voluit [illegible] Majores, [illegible] loquerentur, qui [illegible] Matrimonium [illegible] Jurisdictionis sui Decreti comprehendere.

CAPUT V.

De peccatis oppositis Matrimonio.

Cum tria sint Matrimonii seu conjugorum bona, scilicet fides, proles, & Sacramentum; alia [illegible] directè pugnant contra fidem [illegible], alia contra bonum prolis, alia tandem contra Sacramenti significationem [illegible] [illegible] [illegible] ut inter [illegible] portius [illegible] tur, & [illegible] desperationem [illegible] contrahat, [illegible] dicemus.

§. I.

De peccatis oppositis contra Matrimonii fidem.

Contra Matrimonii fidem [illegible]

[illegible]

1[illegible]. Demum [illegible]

[illegible]

Primum [illegible]

[illegible]

§. [illegible]

[illegible] raptus.

[illegible]

[illegible] Et Caroli Magni Capitular. lib. 7. cap. [illegible] *Placuit, ut, si ii, qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eas postmodum cum parentibus* [illegible] *aut* [illegible] [illegible] Can. *De raptoribus* [illegible] [illegible] *raptor* [illegible] Can. [illegible] Concil. [illegible] Gregorii [illegible] in Concilio Romano [illegible] *& raptores* [illegible] [illegible] Can. [illegible] Concilii [illegible] anno [illegible]

Innocentius III. Cap. *Accedens* lib. 5. tit. 17. *De raptoribus*, aliquid remisit ex severitate legis, permisitque ut raptor cum rapta postmodum consentiente contrahere possit: *Rapta puella*, inquit, *legitime contrahet cum raptore, si prior dissensus postmodum transeat in consensum.* Sed Concilium Tridentinum restrinxit hanc facultatem, inhabilemque reddit raptorem ad contrahendum cum rapta etiam consentiente Matrimonium, nisi prius in loco tuto & libero fuerit constituta, atque hac ratione novum posuit Matrimonii impedimentum. En ejus verba Sess. 24. c. 6. de reform. Matrim. *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.*

Hic generatim de rapto loquitur Concilium, nec distinguit inter raptum violentiae, & raptum seductionis seu suasionis. Hinc controversia est inter Theologos, utrum in hocce decreto comprehendatur raptus seductionis. Negant aliqui, affirmant vero alii, atque, ut nobis videtur, longe probabilius. Imo. Quia ex raptu seductionis eadem incommodorum summa consequitur, tum quia Leges seu civiles seu Ecclesiasticae, quibus raptus punitur, vix distinguunt inter utrumque raptum, ubi de Matrimonio agitur; tum quia [illegible] verbis [illegible] seductionis raptum, etiam puella consentiente, [illegible] Leges tum civiles, tum Canonicae seu Ecclesiasticae, prout vidimus §. 1. Concilium Tridentinum loquitur de rapto, nulla facta distinctione raptus violentiae aut seductionis. Ergo utrumque [illegible] & rapelliti. Et vero ipsa seductio non minus generat malum, quam violentia, atque familiarum pacem non minus perturbat, cum

puella

puella ſeducta conſentiens è domo paterna educitur nulla interveniente violentia. 3tio. Concilium Tridentinum citatô Decretô novi aliquid, ut jam animadvertimus, ſeu novam diſciplinam circa raptum inducere voluit: at nihil novi ſtatueret, ſi de ſolo raptu ex violentia loqueretur, qui ſemper irritum fecit Matrimonium. Ergo etiam ipſum raptum ſeductionis ſuô Decretô complectitur.

289 CAPUT V.

De peccatis conjugum in Matrimonio.

CUm tria ſint Matrimonii ſeu nuptiarum bona, ſcilicet fides, proles, & Sacramentum; alia conjugum peccata directè pugnant contra fidem thori; alia contra bonum prolis; alia denique contra Sacramenti dignitatem: de quibus ſingillatim diſſerere animus eſt, ita quidem, ut inter nimiam laxitatem, qua mores potiùs corrumpuntur, quàm corrigantur, & duram ſeveritatem, quæ potiùs deſperationem inducit, quàm à malo retrahat, medium quoddam tenere videamur.

§. I.

290 *De peccatis conjugum contra Matrimonii fidem.*

Contra Matrimonii fidem pugnant 1mo. Adulterium, ad quod refertur concupiſcentia perſonæ extraneæ, Matth. 5. v. 28. & quivis actus libidinoſus in illud tendens, ut tactus, oſcula, & cogitatio moroſa, ut vocant; ejusmodi enim peccata ſunt graviora in conjuge, quàm in homine ſoluto, utpotè quæ lædant fidem alteri conjugi datam, ac proindè in Sacramentali confeſſione ſunt declaranda cum circumſtantia conjugii.

2do. Voluntaria pollutio, à fortiori 291
peccata contra naturam, ut Sodomia & aliæ monſtroſæ & execrandæ libidines; in iis quippe fit injuria alteri conjugi; quia ex Apoſtolo 1. Corinth. 7. *vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, nec viciſſim mulier, ſed vir.* Ergo qui proprium corpus ita contaminat, contra juſtitiam abutitur re aliena.

3tio. Denegatio debiti conjugalis. 292
Nolite fraudare invicem, inquit Apoſtolus, cit. cap. 7. id eſt, nolite privare alterutrum re ipſi debita, quoties illam exigit. Ergo denegare debitum conjugale eſt peccatum contra juſtitiam, & quidem ex natura ſua mortale, utpotè in re gravi; alter enim conjux exponitur periculo incontinentiæ, daturque occaſio rixarum, odiorum, & diſſenſionum.

Dicimus, ejusmodi peccatum *eſſe ex* 293
natura ſua mortale; ut ſignificaremus poſſe aliquando denegari debitum conjugale absque culpa ſaltem gravi.

Igitur 1mo. Ab omni culpa excuſatur denegando debitum alteri, quem adulterum eſſe conſtat; prout jam memoravimus, ubi de divortio. 2do. Si exigens ſit omninò ebrius; quia non petit humano more. 3tio. Si laborat morbô contagioſô, puta gallicô, leprâ &c. Ita S. Thomas in Suppl. q. 64. a. 1. ad 2. ubi, *Uxor*, inquit, *non habet poteſtatem in corpus viri; niſi ſalvâ conſiſtentiâ ipſius perſonæ. Undè ſi ultrà exigat, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere.* Et in Corpore Articuli: *Cùm uxor*, inquit, *in virum poteſtatem non habeat, niſi quantùm ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea, quæ ſunt ad conſervationem individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalva tamen perſonæ incolumitate.* Hæc ratio etiam valet pro uxore, quæ, ex Medicorum judicio

judicio debitum non redderet absque proximo & evidenti periculo vitæ; *proximô*, inquam, *& evidenti*; alioquin namque mulieres, ſaltem juniores, nunquam tenerentur debitum reddere; cùm ex conceptu vitæ periculum ſemper incurrant.

Ubi tamen ex congreſſu cum viro e. g. tali morbô, putà leprâ, morbô comitiali, laborante non imminet notabile periculum vitæ aut ſanitatis ſeu infectionis, tenetur alter conjux reddere debitum. Ita Alexander III. Cap. *Quoniam*, Tit. *De conjugio Leproſorum.* Et S. Thomas cit. art. 1. ad 4.

294 2do. Non peccat, qui juſtis de cauſis aliquando negat debitum conjugale remiſsè petenti, aut dilationem facilè concedenti citra periculum incontinentiæ, cùm tunc non graviter exigatur: ſicut enim in aliis debitis non eſt peccatum eorum ſolutionem negare, quando creditor illam remiſsè petit, aut rogatus facilè dilationem concedit; ita etiam in propoſito.

Diximus 1mo. *Juſtis de cauſis.* Qui enim ſine juſta cauſa renuit ſolvere creditori debitum repoſcenti peccat, ſaltem venialiter. Juſtæ autem cauſæ hæ eſſe poſſunt, ſi ad ſacram ſynaxim accedere velit, non ſat benè ſe habeat, menſtrua patitur, uterum gerat, vel objiciat petenti, quòd frequentiùs & intemperantiùs petat.

Diximus 2do. *Aliquando.* Vix enim à mortali excuſari poteſt, quæ ſemper ex memoratis cauſis debitum conjugale negat, aut petenti difficiliorem ſe reddere ſolet. Nimis enim grave eſt, rem ſibi debitam vix poſſe recipere ab eo; qui negare conſuevit. Hinc ſtomachatur conjux, & in periculum incontinentiæ conjicitur.

Diximus 3tio. *Petenti remiſsè;* quia ſi multùm inſtet, lethaliter peccat alter, niſi morem ei gerat. Quin S. Thomas in Suppl. q. 64. a. 2. docet virum teneri debitum reddere uxori etiam expreſsè non petenti ex verecundia, quando vel ex ſignis, vel ex ejus ingenio advertit eam cupere hujusmodi remedium; *quia*, inquit, *in redditione debiti medicamentum præſtatur contra uxoris concupiſcentiam; ſed Medicus cui infirmus eſt commiſſus, tenetur morbo ejus ſubvenire, etiamſi ipſe non petat: ergo vir uxori non petenti tenetur debitum reddere redditio quippe debiti eſt in viro ordinata contra peccata uxoris.*

3tio. Licitè & absque culpa vir ab 295 uxore gravida petit debitum, ob periculum grave incontinentiæ, dummodò abſit periculum perdendi fœtum, etiam nondum animatum; ſi autem abſit grave periculum incontinentiæ, talis peccat venialiter. Ita S. Thomas in 4. diſt. 31. ubi, *Ideò*, inquit, *Hieronymus vituperat acceſſum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quòd ſemper ſit peccatum mortale, niſi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortûs.*

Ubi ergo periculum eſt perdendi fœtû etiam nondum animatum, debitum exigere aut etiam reddere ſemper eſt peccatum mortale; quia ſicut qui alium impedit, ne lucrum faciat, peccat contra ſeptimum præceptum Decalogi; ita qui futurum hominem impedit, etſi non propriè occidat, peccat tamen eo genere peccati, quod ad homicidium reducitur, prout rectè docent S. Thomas, & S. Bonaventura in hanc diſtinctionem, & S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 15. *Crudeli quadam libidine*, inquit, *ſeu libidinoſa crudelitate prolem volunt priùs interire, quàm vivere.*

Quòd autem vir, qui ſecluſô abortûs periculô, propter imminens grave periculum incontinentiæ, debitum petit, non peccet, patet ex eo, quod nemo tenea-

teneatur, per intermissionem actûs aliàs per se liciti, & qui sine cujuscumque injuria poni potest, se exponere gravi propriæ suæ animæ damno, quale est incontinentia.

Esse autem peccatum veniale, si citra tale periculum incontinentiæ, debitum exigatur, asserunt Theologi, quia, inquiunt, hoc tempus non congruit, cùm tunc concipi fœtus nequeat.

296 4to. Similiter non peccat vir qui gravi imminenti periculo incontinentiæ expositus ab uxore menstruata debitum requirit, ob rationem mox allatam. At secluso hoc periculô peccat venialiter. Ita S. Thomas in 4. dist. 32. q. 1. a. 2. ubi, *Finaliter*, inquit, *si vir non desistit à petitione, debet* (Uxor) *debitum reddere poscenti.* Expressè quidem non definit, quale sit peccatum poscentis; sed eo ipso, quo actum conjugalem in uxore innoxium pronuntiat, satis indicat non esse in viro lethalem. Ratio autem asserti est, quia talis concubitus est indecens, & minùs congruere videtur generationi; attamen falsum est, quod aliqui hìc supponunt, prolem scilicet, quæ fortè eo concubitu concipitur, infici, atque ex tali menstruo semine fœtum corrupti seminis vitia contrahere: contrarium enim docet quotidiana experientia. Quod si fluxus mulieris esset quasi perpetuus & nimis diuturnus, juxta S. Thomam ibid. S. Antoninum & alios, licet viro debitum petere absque ulla culpa.

Prohibitio ergo, quæ Levitici 15. & 20. legitur, ubi sub pœna mortis prohibetur concubitus cum muliere menstruata, partim cæremonialis est & judicialis, partim moralis. Quatenùs cæremonialis & judicialis, sub gravi peccato & pœna, ut dictum, obligabat Judæos; sed abrogata est per legem Evangelicam; utpotè quæ nihil de hac prohibitione memoret: quatenùs autem moralis, obligat quidem Christianos, sed, sub veniali peccato tantùm.

5to. Eadem est ratio debiti, quod vir 297
petit ab uxore tempore puerperii sui, scilicet talem petitionem, secluso gravi incontinentiæ periculô, esse veniale peccatum, tùm ob mulieris indispositionem, tùm ob nocumentum prolis jam natæ, si à matre lactetur seu alatur, vel ejus quæ nasci posset, vel etiam ipsius matris: nam, juxta medicos, indè imminent uxori incommoda non levia. Undè S. Gregorius Cap. *Ad ejus verò.* dist. 5. ait: *Nisi purgationis tempus priùs transierit, viris suis* (Mulieres) *non debent admisceri.* Quæ omnia si cessent, aut locum non habere compertum sit; non videmus, cur vir peccati alicujus arguatur, qui debitum exigit ab uxore in puerperio existente.

6to. Secluso quovis periculo, & alia 298
inordinatione, exercere actum conjugii ob solam voluptatem, est semper venialis culpa. Patet 1mo. Ex S. Augustino lib. 1. de nupt. cap. 15. Ibi, *Carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, venialem habet culpam.* 2do. Innocentius XI. appositam propositionem damnavit annô 1679. quæ sic habet: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsùs caret culpâ, ac defectu veniali.* 3tio. Homo semper tenetur agere propter finem honestum, utpotè solum consentaneum naturæ suæ rationali; Atqui voluptas non est finis honestus hominis nec consentaneus naturæ suæ rationali. 4to. Est debiti ordinis inversio seu potiùs eversio quærere actum propter delectationem, cùm delectatio sit propter ipsum actum: idque præsertim in actu conjugali, qui ex se ad prolis generationem ordinatur.

Id verò culpam esse venialem tantùm, præter auctoritatem S. Augustini, hæc suadet ratio; quia, cùm sit intra fines Matrimonii, non evertit ordinem justitiæ,

neque rationi dominatur, nec ad damnabilia peccata pertrahit hominem.

299 7mo. Conjuges, per se loquendo, non quidem tenentur petere debitum: quia nemo per se loquendo tenetur uti jure suo, quod pro se introductum est, *cùm liberum sit unicuique juri suo renuntiare*, cap. 6. tit. *De privilegiis.* At tenentur per accidens 1mo. Si alter, præsertim uxor, ex signis vel ex dispositione, ut jam ex S. Thoma annotavimus, videatur cupere hoc remedium, licèt ex verecundia taceat. 2do. Si alioqui sit periculum incontinentiæ in comparte: nam quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, cùm facilè potest. 3tio. Si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum. 4to. Si prolis procreatio necessaria sit ad avertendum grave damnum præsertim Religionis vel Reipublicæ.

300 8vo. Licet etiam exigere usum conjugii præcisè ad vitandam in se incontinentiam, ut pollutionem, adulterium &c. Quia Matrimonium secundariò institutum est in remedium concupiscentiæ. *Propter fornicationem*, inquit Apostolus 1. Corinth. 7. *unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat & iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.* 2do. Licitè & approbante Ecclesia contrahunt Senes, quibus tamen, ob senium, nulla est spes suscipiendæ prolis. 3tio. Sicut est actus licitus & charitatis exigere debitum ad impediendam incontinentiam compartis, ita & ad eam in se vitandam; cùm ordo charitatis postulet, ut in iisdem circumstantiis priùs nostro, quàm proximi bono spirituali, imò & temporali necessariò consulamus.

301 9no. Neque etiam conjuges tenentur sub mortali aut etiam veniali abstinere ab usu conjugii, dum mulier hactenùs mortuos edidit filios; imò mulier lethaliter peccat, si marito petenti debitum pertinaciter deneget. Ratio est, quia contingere potest, & de facto nonnunquam contingit, ut quæ sæpiùs abortum fecerat, aliquando tandem rectè pariat. Enimverò abortus sæpè accidunt vel culpâ conjugum, qui fortè intemperantiùs ac frequentiùs utuntur conjugiô, & propterea impeditur fœtûs conformatio, & mulieris vires debilitantur ita, ut non habeat virtutem pariendi &c. Fortè ipsa uxor fœtui non pepercit, nec ejus incolumitati sat consuluit: vel ista fiunt per occultam Dei providentiam, ut scribit S. Augustinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 22. ideoque ejus benedictio crebris orationibus, eleemosynis, & aliis bonis operibus est efflagitanda; *Hoc enim bonum est*, inquit Apostolus 1. Timoth. 2. *& acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* Cùm ergo ejusmodi conjuges felicem partum despondere non debeant, ab usu conjugii abstinere non tenentur.

10mo. Oscula & tactus partium corporis honestarum inter conjuges in testificationem duntaxat mutui amoris conjugalis, nec ad copulam ordinati, si fiant absque aliorum scandalo, sunt liciti; quia non sunt indecentes, & mutuam conjugum animorum conjunctionem velut nutriunt & roborant, modò absit pollutionis periculum; tunc enim essent etiam lethale peccatum. Tactus etiam & aspectus obscœni seu partium verendarum ex se ordinati ad copulam conjugibus sunt liciti, si sine periculo pollutionis immediatè referantur ad copulam conjugalem, nec fiant præcisè propter voluptatem: quia cùm licitus sit actus consummatus, etiam liciti sunt actus prævii ex se ad illum ordinati, & licitè se juvant ac excitant conjuges ad actum honestum. Quòd si exerceantur cum periculo proximo pollutionis ex com- 302

communi sententia sunt mortales: quia cùm pollutio graviter repugnet generationi, est æquè saltem conjugatis illicita ac aliis; & proindè tenentur sub mortali vitare ejus periculum proximum, & non ponere proximam illius causam. Si verò hujusmodi tactus & aspectus obscœni exerceantur absque animo perveniendi ad copulam, juxta multos, sunt tantùm veniales, seclusô tamen omni pollutionis periculô, quia, inquiunt, tales actus & aspectus sunt intra Matrimonii fines, nec evertunt justitiæ ordinem, atque naturâ suâ ordinantur ad copulam ipsis licitam, nec quidquam illis deest, nisi quòd hîc & nunc non referantur ad copulam: solus autem defectus debiti finis est per se loquendo solùm venialis; necnon per Matrimonium ipsum quodammodò cohonestantur. Monendi tamen sunt conjuges à Confessariis, ut ab hujusmodi obscœnis tactibus & aspectibus ad copulam non ordinatis omninò abstineant. Porro graviter conjugibus sunt illiciti tactus quidam valde infames, dum scilicet inter membrum tangens & tactum fœda nimis est disproportio: quia tales actus graviter dedecent naturam rationalem, & indicant affectum voluptatis prædominantem ac graviter inordinatum, nec conjugium potest excusare actiones, quæ ex se ad copulam conjugalem non ordinantur. Sciant igitur conjuges *vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum*, ait Apostolus 1. Thessal. 4.

303 11mo. Conjux, si in absentia compartis se libidinosè tangat, vel deliberatè capiat delectationem veneream cogitatione consortii habiti vel habendi cum conjuge, etiamsi absque ullo pollutionis periculo, mortaliter peccat; quia ejusmodi impudici tactus, vel cogitationes, naturaliter commovent spiritus genitales, pollutionemque inchoant; & sicut hæc lethalis est, ita & omnis actus voluntarius ex natura sua ad illam ordinatus. Quòd si verò hujusmodi cogitationes etiam deliberatæ non adeò morosæ (g) sint, absitque ab eis spirituum genitalium omnimoda commotio, non videntur esse lethales; quia cogitatio de actu licito per se licita videtur nec mala. Tamen etiam abigendæ sunt hujusmodi cogitationes, propter periculum, quod post se trahunt, commotionis spirituum genitalium pollutionem inchoantium.

§. II.

De peccatis conjugum, quæ pugnant adversùs bonum prolis. 304

In prole triplex bonum attenditur, ex S. Augustino lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 7. scilicet ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, & religiosè educetur. De peccatis, quæ pugnant contra secundum & tertium illius bonum jam satis disseruimus suprà, ubi de effectibus Matrimonii egimus. Hîc ergo solùm ea peccata exponemus, quæ adversùs suscipiendæ prolis bonum pugnant.

I. Igitur adversùs bonum istud pec- 305
cant, & quidem mortaliter conjuges, si habeant copulam extra vas debitum, aut cum effusione seminis extra illud: nam hoc adversatur fini naturali seminis & copulæ, qui est prolis generatio, ideoque bono speciei. Imò iste abusus, *qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabiliùs in uxore*, ait S. Augustinus lib. de bono conjug. cap. 11. quia adversatur etiam bono fi-

(g) Vox *morosa* hîc à mora non voluntatis duntaxat, sed temporis sumitur; undè hîc dicere volumus, hujusmodi cogitationes deliberatas debere esse velut momentaneas tantùm, ut à peccato mortali excusent.

dei conjugalis (de quo paragraphô præcedenti egimus) cui cedere conjuges nequeunt ; nam uterque conjux tenetur ſervare alteri corpus ſuum caſtè ; nec habet jus in corpus alterius, niſi ad copulam naturalem generationi aptam. Item ſi habeant copulam extra vas debitum, etiam ſine animo ibi conſummandi, ſed excitandi ad conſummandum in vaſe debito : nam tunc eſt actus Sodomiticus, & Sodomia inchoata : ille enim tactus ex ſe ordinatur ad effuſionem ſeminis extra vas.

306 II. Si ſervato quidem vaſe debito, tamen non ſervetur naturalis ſitus, cum periculo effuſionis ſeminis extra vas. Quòd ſi ſecluſô tali periculô, ſine neceſſitate non ſervetur naturalis ſitus, ut dum vir ob majorem voluptatem accedit à tergo, vel ſuccumbit, eſt ſolùm veniale, quamvis grave & graviter increpandum à Confeſſario ; quia eſt abuſus, ac naturalis ordinis everſio in ſolo modo accidentali, cùm non impediatur generatio, & inordinatè quærere voluptatem intra Matrimonii uſum ſit ſolùm veniale, modò in ea non ponatur finis ultimus, cùm tunc non ſit gravis inordinatio. Sed qui, citra periculum pollutionis, hunc naturalem ſitum immutant ex neceſſitate, fortè quia aliter convenire nequeunt, nullatenus peccant. Ita poſt S. Thomam communiter omnes.

307 III. Si impediant ne proles concipiatur, vel conceptam extinguant, ſuſceptum ſemen ejicientes vel ejicere conantes. Multi à peccato, mortali ſaltem, excuſant mulieres, quæ proprium ſemen privatim fundunt ex neceſſitate, ut ipſæ putant, cùm ſcilicet, poſtquam vir jam ſeminavit, & retroceſſit, uxor nondum ſeminavit, manente interim valdè irritata libidine. Hìc inſiſtunt mulieres, cauſanturque conjugium alioquin non fore remedium, ſed cruciatum ; cùm intolerandi ſint æſtus libidinis per actum, qui præceſſit, vehementiùs commotæ, nec unquam tam ardentes ignes paſſæ ſint, dum vitam cœlibem agerent, affirmantque ſe continere non poſſe in hujusmodi circumſtantiis. Quoniam igitur iſthæc incommoda accidunt ex natura frigidiore in quibusdam mulieribus, conſulet eis Confeſſarius, ut ante actum conjugalem faciant, quæ neceſſaria ſunt ad commovendam libidinem, ſecluſô tamen pollutionis periculô : nam, ut ſuprà jam animadvertimus, tactus & alia quæ non præcisè voluptatis gratiâ ſed ex neceſſitate, ad commovendum ſcilicet libidinoſum ardorem in ordine ad copulam ſunt prorsùs innoxia, ſicut & ipſa copula, iisque uti poſſunt & debent mulieres naturæ frigidioris, ne poſt concubitum acrioribus urantur ignibus.

IV. Peccant lethaliter conjuges qui 308
de induſtria actum conjugalem interrumpunt absque ſeminatione integra ; ob periculum proximum pollutionis, quod tunc nunquam abeſt, ſaltem ab alterutro. Item ſi in coitu vir de induſtria non ſeminet, etiam conſentiente uxore ; quia contra naturam eſt coitum ſine ſeminatione relinquere, cùm coitus conjugalis ſit ordinatus à natura ad prolis generationem, ad quam ſolam ab auctore naturæ ordinatus eſt : undè tunc copula eſt illicita & inordinata ; & cùm ſit aliquid grave, hæc inordinatio eſt gravis, ideoque mortalis.

V. Si actum illum exerceant cum 309
periculo abortûs : nam abortum procurare, eſt mortale, ergo etiam mortale eſt ejus periculum voluntarium : vel cum gravi nocumento prolis aut valetudinis conjugum ; nam graviter tenentur vitam propriam & prolis tueri. Unde etiam peccant mortaliter, qui procurant abortum fœtûs ani-

mati

mati (*h*); etiamsi alioquin sit periculum ne fœtus simul cum matre vitam amittat; quia nunquam licet innocentem occidere, ne quidem pro conservanda alterius vita. Idem dicendum, si dubitetur an fœtus sit animatus; quia tunc est saltem periculum homicidii. At si fœtus nondum sit animatus, affirmant communiter Theologi, in extremo mortis periculo, quod matri imminet, licere illum ejicere & abortum procurare; quemadmodùm amputandum est membrum pro salute totius corporis periclitantis; Ratio est, quia in proposito casu non disturbatur anima nascitura, cùm nondum creata sit, nec ex semine jam deciso & malè affecto fructus speratur, quemadmodùm speratur ex semine vitali, quod perdere, ne proles nascatur, grande nefas est & quædam homicidii species. Hujus autem criminis reatum incurrit 1mo. puella, quæ abortum sibi infert, ad vitandam gravem infamiam, vel etiam mortem ex graviditate, quæ aliàs foret secutura. (*i*) 2do. Qui pollutionem promovet sanitatis causâ; quia perdit fructum, hoc est, hominem, qui, ut ait Tertullianus Apolog. cap. 9. in semine est. At semen jam excisum, & intra viscera detentum, ut iis aliquando accidit, qui moribus sunt castissimis, jam non reputatur semen, utpotè non vitale, sed noxius humor, qui inficit vicinas corporis partes, & morbos creat, quibus exspiratione, seu, ut vocant, *transspiratione* mederi necesse est. Atqui fœtus nondum animatus in extremo matris periculo est veluti humor infectus & inficiens, ex quo fructus sperari non potest. (*k*)

VI. Peccat etiam mortaliter conjux, 310 si debitum deneget poscenti, ea dumtaxat ratione, ne numerosiore familia gravetur; quia non habet potestatem corporis sui. Excipe nisi ambo liberè in id consentiant. Enimverò laudandi sunt conjuges, qui perfectioris continentiæ studiô incitati ex consensu mutuo se de thoro separant. At sine singulari illo Dei dono temerè hac de re paciscuntur. Compertum enim est plura & gravia ex ejusmodi pactione sequi incommoda, nisi ad eam provocet flagrans vitæ sanctioris desiderium: nimirùm tepescit amor conjugalis, animorum nexus remittitur, individua societas minùs grata evadit, acriùs pungunt ignei carnis stimuli, quibus conjuges vel in damnabiles corruptelas pertrahuntur vel contabescunt; pudet enim ad necessarium remedium recurrere, ne alter levitatem aut infirmitatem exprobret. Hæc & alia mala prævidisse videtur Apostolus, cùm 1. Corinth. 7. scribit: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.* In Dei ergo providentia confidant pii conjuges; qui enim dat benedictionem uteri, dabit etiam benedictionem rei familiaris. *Respicite volatilia cæli*, ait Dominus Matth. 6. *quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?*

Zzzzz 3 §. III.

(*h*) Innocentius XI. an. 1679. hanc propositionem damnavit: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eam habere, cùm pariter, ac consequenter dicendum in nullo abortu homicidium committi.*

(*i*) Innocentius XI an. 1679. damnavit hanc Casuistarum quorumdam propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

(*k*) Id quidem valere potest in illorum sententia, qui fœtum seriùs & post multas hebdomades primùm animari tuentur.

§. III.

311 *De peccatis conjugum, quæ pugnant contra ſanctitatem Sacramenti.*

Omnia quidem peccata, quæ duobus præcedentibus paragraphis enumeravimus uti contraria vel fidei thori, vel bono prolis, pugnant etiam contra ſanctitatem Sacramenti. Quædam igitur hîc adnectemus, quæ in prioribus paragraphis quòd ſint immediatè vel contra fidem thori, vel bonum prolis, omiſiſſe videri poſſemus; & inſuper alia memorabimus in conjugibus improbanda, quæ quamvis nec fidem thori, nec bonum prolis lædant, ſanctitati tamen Sacramenti valdè repugnant; ut ſunt illa, quæ ſacrilegam hujus Sacramenti perceptionem efficiunt; quæ interturbant individuam conjugum ſocietatem; & quæ thorum nuptialem maculant. Igitur

312 I. In perceptione hujus Sacramenti peccant 1mo. Qui cum conſcientia peccati mortalis ad illud Sacramentum accedunt. Matrimonium enim ideo dicitur Sacramentum vivorum, quia exigit à ſuſcipientibus, ut omnem peccandi affectum per veram pœnitentiam depoſuerint, accedantque tanquam ex mortuis viventes per charitatem ſeu gratiam ſanctificantem, quæ eſt vita animæ, alioquin grandis Sacrilegii reos ſe conſtituerent, benedictioque nuptialis ipſis in maledictionem verteretur. 2do. Sacramentum iſtud indignè percipiunt, qui ad illud præcipuè deſideriô alicujus boni temporalis accedunt. Probat id S. Thomas argumentô à ſimili; quia ſicut qui Baptismum ſuſcipit ſola ſpe conſequendi ſanitatem corporalem procul dubio peccat, & abutitur re ſacra: ita qui ſimili intentione benedictionem nuptialem ſuſcipit, *quamvis*, inquit, S. Doctor in 4. diſt. 31. quæſt. 2. a. 2. ad 4. *intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum; ſicut qui ex Sacramento Baptismi tantùm ſalutem corporalem quæreret; & ſimiliter eſt in propoſito de actu matrimonii.* Hinc multis videtur peccare mortaliter juvenis, qui ducit vetulam ſolo intuitu bonorum temporalium, quæ illa pollicetur. 3tio. In Sacramentum graviter delinquunt, qui ad illud tanquam ad ſpectaculum profanum accedunt; quique ſolemnitatem nuptiarum adornant pompis Satanæ, hoc eſt, luxu, choreis, conviviis flagitioſis, à quibus pudor exulat, ubi ſobrietas & modeſtia vertuntur in crimen, amatoria & obſcœna cantica aures demulcent, nedum feriunt; denique probroſa Gentilium bacchanalia ad tanti Sacramenti ſolemnitatem transferuntur. Piè ergo & cultu religioſo, ut decet, nuptiarum ſolemnitates ſunt celebrandæ, atque tota dies in gratam accepti Sacramenti memoriam piè tranſigi debet.

II. Conjugum rixæ, diſſidia, & cætera, quæ turbant ſocietatem conjugalem repugnant ſanctitati Sacramenti hujus. Quia Matrimonium, quatenùs Sacramentum, ſignum eſt unionis Chriſti cum Eccleſia, confertque conjugibus gratiam, qua divinum illud exemplar imitentur. *Sicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto*, inquit Apoſtolus Epheſ. 5. *ita & mulieres viris ſuis in omnibus, quoniam vir Caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ: ipſe Salvator corporis ejus:* Hæc Apoſtolus ad mulieres. Ad viros autem ſic pergit: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacrô aquæ in verbo vitæ.* Atqui vir & mulier ſibi non conſentientes, aliud 313

prorsùs

prorsùs referunt, quàm nexum charitatis, quo Chriſtus & Eccleſia conjunguntur, Sacramentum Matrimonii fruſtrant effectu, ad quem inſtitutum eſt, & nuptiis detrahunt, quantùm in ipſis eſt, rationem ac dignitatem Sacramenti, quam in eo ſitam eſſe diximus, quòd ſit ſacrum ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia. Quis enim ſimilem ſponſo Eccleſiæ dixerit maritum, qui, ut ait Sapiens Eccli. 4. *agit in domo ſua tanquam leo ſubvertens domeſticos ſuos?* quin leone immanior, hic quippe caveam ſuam ingrediens ponit feritatem, cum leæna pacatè agit, catulis patrem ſe exhibens, eos leniter amanterque fovet ac nutrit. Ille è contrà è publico domum rediens exuit humanitatem & comitatem, qua exteros excipere ſolet, ſimulque induit ferinos mores, quibus uxorem de mente dejicit, totamque miſcet familiam.

Nec minùs à moribus ſponſæ Chriſti diſcrepant mulieres querulæ, repugnaces, & viris adeò moleſtæ, ut S. Auguſtino in Pſalm. 33. nihil occurrat aptiùs ad pingendum conſcientiæ malæ tormentum, quàm exemplum mulieris rixoſæ, ac tetricæ; ſicut enim peccata miſerè torquent conſcientiam & vix non evertunt, ſic mulier rixoſa maritum torquet totamque domum ſusque deque vertit.

Sed quò tandem ducunt tumultuantia ejusmodi conjugia, niſi ad locum, ubi nullus eſt ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Enimverò extremum illud ſupplicium iis congruit, qui ſacratiſſimum ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia tam impiè violant, Sanguinem Chriſti, cujus virtute Sacramentaliter conjuncti ſunt, pollutum ducunt, ut loquitur Apoſtolus Hebr. 10. & contumeliam faciunt Spiritui gratiæ per benedictionem nuptialem ipſis collatæ, ut alter alterius onera ſeu vitia portaret per compaſſionem, lenitatem, benevolam correptionem, & orationem.

III. Conjuges, qui fidem mutuam 314
ſibi ſervare videntur, thorum nuptialem maculant, præter ea, quæ præcedentibus paragraphis jam expendimus, 1mo. Si cum affectu adulterino ad aliam perſonam, quæ in ipſo actu præſens repræſentetur vel optetur; vel etiam cum affectu fornicario ſeu affectu accedendi ad ſuam etiamſi ſua non eſſet, actum conjugalem exercent; nam affectus ille eſt mortalis: vel cum ad voluptatem affectu, ut in ea finis ultimus ponatur, ut ſi cum alia quàm uxore vir æquè eſſet facturus, ut notat S. Thomas; vel ob finem aliquem graviter malum; nam finis dat actui malitiam propriam, cùm in ipſo actu intendatur; & ſic mortaliter peccatur.

2do. Si actum conjugalem exerceant coram aliis ob grave ſcandalum, & turpitudinem actûs taliter exerciti; vel in Eccleſia ob Sacrilegium, eſt enim contra reverentiam Deo & loco ſacro debitam, & per eum polluitur Eccleſia, adeoque eſt peccatum mortale. Excipi tamen debere videtur caſus, quo in Civitatis alicujus obſidione, vel hoſtium irruptione cives unà cum uxoribus & liberis ſuis aſylum quærunt in Eccleſia, atque per aliquot vel plures hebdomadas in ea morantur; tunc enim, qui in gravi incontinentiæ periculo, illoque proximo, conſtitutus foret, ex dictis ſuprà, absque culpa debitum conjugale petere poſſe videtur, nec illud reddendo peccatur.

3tio. Si ita frequens ſit, vel intempeſtivus actus conjugalis, ut impediat tempora, quæ orationi debentur, ut ſunt dies feſti. Ita S. Auguſtinus lib.

de

de bono conjugali cap. 10. Quod non ſic accipiendum eſt, ut credantur conjuges, qui conveniunt tempore orationis, id eſt, feſtis diebus, hoc ipſo mortaliter peccare; nam ex S. Thoma in Supplem. quæſt. 64. a. 6. non peccat mortaliter uxor vel vir, ſi in die feſto debitum petat. Itaque complexus maritalis tunc ſolùm damnabiliter exercetur diebus feſtis, cùm ex nimia frequentia hominem ita reddit carneum, ut è cœno voluptatum, in quo voluptari ſolet, emergere nequeat hiſce diebus orationi conſecratis. Aliàs debitum conjugale exigere iiſdem diebus, eſt quidem peccatum, ſed veniale (niſi fortè etiam ab eo excuſet grave & proximum incontinentiæ periculum) reddere verò nullum; quia, ut obſervat S. Franciſcus Saleſius, creditori exigenti debita ſolvere oportet, etiam feſtis diebus.

Atque hiſce Tractatui huic de Sacramento Matrimonii, & ſimul toti Theogiæ noſtræ finem imponimus, quam judicio S. Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matri & Magiſtræ, necnon infallibili veritatis Judici, ultrò ſubjicimus, & ſi quid in ea minùs benè aut rectè à nobis dictum ſcriptumque ſit; illud nec pro dicto nec pro ſcripto haberi volumus.

Finis Tractatus octavi.

ERRATA

Tomi quarti Theologiæ Univerſalis.

In Tractatu I.

Pag.	Col.	Lin.	
84.	2.	34.	*poſt* Sacrificia *adde* fuerunt
66.	1.	41.	*poſt* hoc *adde* §.
116.	2.	43.	Ipſemet *lege* Ipſimet

In Tractatu II.

Pag.	Col.	Lin.	
16.	1.	3.&4.	præſcripta *lege* præſcripſit
Ibid.	Ibid.	12.&13.	neneſſe *lege* neceſſe
23.	1.	ult.	nos *lege* hos
25.	1.	ult.	Quod *lege* quo

In Tractatu III.

Pag.	Col.	Lin.	
22.	2.	24.	Aqud *lege* Apud
28.	1.	39.	conluſione *lege* concluſione
48.	1.	28.	anno 183. *lege* 1583.

In Tractatu IV.

Pag.	Col.	Lin.	
8.	in	Not.	Ευχανιστειν *lege* Ευχαριστειν
15.	1.	22.	hoſteas *lege* hoſtias
21.	2.	36.	manaè *lege* mane
22.	2.	6.	perſuaverunt *lege* perſuaſerunt
23.	1.	37.	immulari *lege* immolari
26.	1.	7.	Pania *lege* Panis
Ibid.	Ibid.	30.	vececebantur *lege* veſcebantur
Ibid.	2.	1.	apuæ *lege* aquæ
Ibid.	Ibid.	5.	Rubanus *lege* Rabanus
Ibid.	Ibid.	16.	ſeculo *lege* ſæculo
28.	1.	20.	ſalutanus *lege* ſalutamus
36.	1.	19.	adæquat perficiè *lege* adæquatè perfici
48.	1.	29.	absqe *lege* absque
49.	1.	29.	exſerunt *lege* exerunt
57.	2.	26.	abſolua *lege* abſoluta
68.	2.	25.	diſtinquit *lege* diſtinguit
69.	1.	21.	eruenti *lege* cruenti
73.	2.	9.	vivos *lege* viros
75.	1.	6.	ſenſumque *lege* ſenſuumque
80.81.	2.1.	ult.&1.	ipſamet *lege* ipſasmet
96.	1.	14.	conſideratas *lege* conſecratas
Ibid.	2.	4.	effcendam *lege* efficiendam
122.	1.	35.	ſubitè *lege* ſubitò
125.	1.	30.	peruſſerit *lege* percuſſerit
130.	1.	33.	produit *lege* producit
139.	1.	6.&7.	prodedant *lege* procedant
148.	2.	43.&44.	oblatiotem *lege* oblationem
159.	1.	37.	ejus *lege* eis
170.	1.	14.	ſciliet *lege* ſcilicet
Ibid.	2.	30.	Obigationes *lege* Obligationes
171.	2.	37.	moriretur *lege* moreretur
174.	2.	19.	ſaciant *lege* faciant
175.	2.	13.	ſaitisfacit *lege* ſatisfacit
178.	1.	22.	altario *lege* altari

In Tractatu V.

Pag.	Col.	Lin.	
10.	1.	30.	continuu *lege* continuo
11.	2.	21.	ſecundum *lege* ſecundam
48.	2.	27.	nonl *lege* non
94.	1.	34.	ſuſcitantur *lege* ſciſcitantur
111.	2.	6.	*poſt* pœnitentem *adde* abſolvere
129.	1.	45.	Maldonatas *lege* Maldonatus
145.	1.	37.	quadraginti *lege* quadraginta

In Tractatu VI.

Pag.	Col.	Lin.	
12.	2.	8.	ſacriis *lege* ſacris
20.	1.	35.	Extream *lege* Extremam
29.	2.	35.	arreptitis *lege* arreptitiis
30.	2.	14.	corpoirs *lege* corporis

In Tractatu VII.

Pag.	Col.	Lin.	
21.&22.	2.&1.	ult.&1.	integrnatem *lege* integrantem
22.	2.	43.&44.	improbabiliùs *lege* improbabilis
24.	2.	24.&25.	duduplex *lege* duplex
38.	in Not	7.	porti *lege* orti
39.	2.	12.	uon *lege* non
74.	1.	25.&26.	Athenaſius *lege* Athanaſius
81.	1.	31.	Diconi *lege* Diaconi
83.	1.	1.	Tom. 2. *lege* Tom. 1.
85.	2.	9.	Petum *lege* Petrum
88.	1.	22.	*poſt* ſufficiat *adde* ut
98.	1.	14.	*poſt* audierit *adde* eos: dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit,
Ibid.	2.	penult.	optinum *lege* optimum
101.	2.	16.	comunicatoria *lege* cominatoria
102.	1.	16.	prcees *lege* preces
Ibid.	2.	18.	*poſt* interdictum *adde* iis privant.
121.	2.	3.	Aſolutio *lege* Abſolutio
153.	1.	28.	Irregularitas *lege* Irregularis
Ibid.	Ibid.	29.	Irregularis *lege* Irregularitas
154.	1.	16.	abliquo *lege* aliquo
159.	2.	19.	ǫfficiò *lege* officiò
162.	2.	18.	ſic *lege* ſi
165.	2.	10.	Irregularitateui *lege* Irregularitatem

In Tractatu VIII.

Pag.	Col.	Lin.	
9.	2.	24.	modelam *lege* modalem
26.	2.	17.	*poſt* ut *dele* ,
43.	1.	23.	Hiſpaniorum *lege* Hiſpaniarum
48.	1.	17.	ſandalum *lege* ſcandalum
50.	1.	16.	ipo *lege* ipſo
89.	1.	30.	inducere *lege* induere
99.	1.	39.	dimentia *lege* dirimentia
116.	2.	12.	Petro *lege* Petrus

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Cartier, Gallus, 1693-1757

Theologia Universalis Ad Mentem & methodum celeberrimorum nostrae aetatis Theologorum ac S. Scripturae Interpretum concinnata, & in quatuor Tomos distributa A Religiosis Monasterii D. Ettonis, vulgo Ettenheim-Münster dicti, Ord. S. Benedicti, in Brisgoia
Bd.: 4,1[,2]

Augustae Vindelicorum [1757]

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/4Theol.syst.47(4,1,2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11069769-7
VD18 80473857-001